Narodna in univerzitetna knjižnica
v Ljubljani

87930

Letter

PROPRIUM SANCTORUM

APOSTOLICAE SEDIS INDULTU

USIBUS

DIOECESEOS LABACENSIS

ACCOMMODATUM

JUSSU ET AUCTORITATE

CELSISSIMI, EXCELLENTISSIMI AC REVERENDISSIMI

DOMINI DOMINI

ANTONII ALOYSII WOLF

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPI LABACENSIS & PRINCIPIS

NEC NON

SACRAE CAES. REG. & APOST. MAJESTATIS

CONSILIARII INTIMI ACTUALIS

&c. &c.

ADDITIS OFFICIIS PROPRIIS SANCTORUM, QUAE IN BREVIARIIS NON TAM RECENTIBUS DESIDERANTUR.

LABACI

TYPIS & SUMPTIBUS JOSEPHI BLASNIK.

1848.

87930

87930

FZC 4863/1951

Indultum Apostolicum

pro

Officiis propriis Sanctorum

Ecclesiae cathedralis & Dioecesis Labacensis.

Labacen.

Quum Oppida et Parochiales ejusdem Ecclesiae, quibus nunc circumscribuntur tum Archidioecesis Goritiensis, tum Dioecesis Labacensis ejus suffraganea, ad Patriarchatum olim Aquilejensem pertinuerint, officia illorum locorum propria ad has Dioeceses transierunt, eademque ambabus Dioecesibus sunt communia. Quare Rmus. Labacensis Episcopus Sanctissimum Dominum Nostrum Pium IX. Pontificem Maximum humillime rogavit, ut Proprium Sanctorum praedictae Goritiensis Archidioecesis a Sancta Apostolica Sede adprobatum, et anno 1842 typis editum, servata diversitate ritus, additisque aliis, quae in recentioribus Breviariis non occurrunt, ad Clerum suae Civitatis ac Dioecesis sequenti ordine extendere dignaretur, ut nova editio Officiorum Cleri Labacensis proficere valeat ad illius commodiorem usum, nimirum:

MENSE JANUARIO.

Dominica II. post Epiphaniam, SSmi. Nominis Jesu dupl. 2dae Classis.
Die 16. S. Titiani Episcopi Conf. dupl.
Die 23. Desponsation. B. Mariae Virginis dupl. maj. cum comm. S. Josephi.
Die 31. Translation. S. Marci Evangelistae dupl.

Mobilia.

Feria III. post Dominic. Septuagesimae, Orationis Domini Nostri Jesu Christi dupl. maj.
Feria III. post Dominic. Sexagesimae, Commem. Passionis Dni. dupl. maj.

MENSE FEBRUARIO.

Die 3. S. Blasii Ep. Mart. dupl.
Die 6. S. Anastasiae Mart. dupl.
Die 8. S. Juventii Ep. Conf. dupl.
Die 9. S. Paulini Ep. Conf. dupl.
Die 11. BB. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. Mariae Virg. dupl.
Die 12. S. Petri Nolasco dupl. (ass.)
Die 13. S. Joannis de Matha Conf. dupl. (ass.)
Die 14. S. Zoili Conf. semid.
Die 15. S. Marcelli Papae Mart. sem. (ass.)
Die 16. S. Julianae Virg. Mart. semid.
Die 17. SS. Chrysanthiani et Soc. Mm. dupl.
Die 18. S. Raymundi a Pennafort Conf. sem. (ass.)
Die 19. S. Juliani Conf. sem.
Die 23. S. Petri Damiani Ep. Conf. Doct. dupl. (Urb. et Orbis.)
Die 25. S. Margaritae de Cortona dupl.

Mobilia.

Feria VI. post Ciner. Spineae Coronae Dni. dupl. maj.
Feria VI. post Dom. I^mam^ Quadragesimae, Lanceae et Clavorum dupl. maj.
Feria VI. post Dom. II^dam^ Quadragesimae, Sacrae Sindonis dupl. maj.
Feria VI. post Dom. III^tiam^ Quadragesimae, Quinque Vulnerum dupl. maj.

MENSE MARTIO.

Die 3. SS. Agapis et Sociar. Vv. Mm. dupl.
Die 9. SS. Cyrilli et Methodii Ep. Conf. dupl.
Die 11. S. Franciscae Rom. Viduae dupl. (ass.)
Die 16. SS. Hilarii Ep. et Titiani Diac. Mart. dupl.
Die 19. S. Josephi Sponsi B. Mariae Virg. Patr. dupl. 1mae Classis.
Die 24. S. Gabrielis Archang. dupl. maj.

Mobilia.

Feria VI. post Dom. IV. Quadrag. Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi dupl. maj.
Feria VI. post Dom. Passionis Septem Dolorum B. Mariae Virg. dupl. maj.

MENSE APRILI.

Die 3. S. Abundii Episc. Conf. dupl.
Die 11. S. Leonis I. Papae Conf. dupl. Ant. in utrisq. Vesp. „*O Doctor*“.
Die 12. S. Zenonis Episc. Mart. dupl.
Die 17. S. Liberalis Conf. dupl.
Die 22. Invent. Corporis SS. Cantii et Soc. Mm. dupl.
Die 24. S. Georgii Mart. dupl.
Die 27. S. Fidelis a Sigmaringa Mart. dupl.

Mobilia.

Domin. III. post Pascha, Patroc. S. Josephi Conf. dupl. 2dae Classis.

MENSE MAJO.

Die 4. SS. Floriani et Soc. Mm. dupl.
Die 10. S. Antonini Ep. Conf. dupl. (Urbis et Orbis.)
Die 11. S. Sigismundi Regis Mart. dupl.
Die 13. S. Monicae Vid. dupl. (ass.)
Die 14. SS. Victoris et Coronae Mm. dupl.
Die 16. S. Joannis Nepomuceni Mart. dupl.
Die 17. S. Maximae Virg. dupl.
Die 21. S. Felicis a Cantalice Conf. sem.
Die 22. S. Ubaldi Ep. Conf. sem. (ass.)
Die 23. S. Paschalis Baylon Conf. dupl.
Die 29. S. Maximi Episc. Mart. dupl. maj.
Die 30. Invention. Manus dexterae S. Stephani Hungariae Regis dupl.
Die 31. SS. Cantiani, Cantii et Soc. Mm. dupl. maj.

MENSE JUNIO.

Feria VI. post Oct. Corp. Christi, Sacri Cord. Jesu dupl. maj.
Die 4. S. Quirini Ep. Mart. dupl.
Die 5. S. Francisci Caracciolo Conf. dupl. (ass.)
Die 6. B. Bertrandi Patriar. Aquilejens. dupl.
Die 7. S. Norberti Ep. Conf. dupl.
Die 8. Commemorat. SS. Reliquiarum dupl.
Die 9. SS. Primi et Feliciani Mm. dupl.
Die 15. SS. Viti et Soc. Mm. dupl.
Die 16. S. Joannis Francisci Regis Conf. dupl.
Die 17. SS. Cyriacae et Muscae Virg. Mm. dupl.
Die 18. SS. Felicis et Fortunati Mm. dupl.
Die 19. S. Nazarii Ep. Conf. dupl.

Die 20. S.Prothi Mart. dupl.com. SS.Gervasii et Soc.Mm.
Die 21. S. Aloysii Gonzaga Conf. dupl.
Die 22. SS. Achatii et Soc. Mm. dupl.
Die 23. S. Julianae Falconieri Virg. dupl. (ass.)
Die 25. S. Guillelmi Abbatis dupl.
Die 27. S. Ladislai Regis Hungar. dupl.

MENSE JULIO.

Die 3. S. Nicetae Ep. Conf. dupl. com. SS. Processi et Soc. Mm.
Die 4. S. Udalrici Ep. Conf. dupl.
Die 5. S. Vigilii Ep. Mart. dupl.
Die 10. SS. Septem Fratrum et Soc. Mm. dupl.
Die 11. S. Pii I. Papae Mart. dupl. 9. lect. et com. Vig. SS. Hermagorae ac Fortunati Mm.
Die 12. SS. Hermagorae Ep. et Fortunati Diac. Mm. Patron. dupl. 1mae Classis cum Oct.
Die 15. Divisionis Apostolorum dupl. maj.
Die 17. S. Alexii Conf. dupl.
Die 18. S. Joannis Gualberti Abb. dupl. (ass.)
Die 19. Octava SS. Patronorum dupl.
Die 20. S. Hieronymi Aemiliani Conf. dupl.
Die 21. S. Camilli de Lellis Conf. dupl. (ass.)
Die 24. S. Christinae Virg. Mart. dupl.
Die 27. S. Pantaleonis Mart. dupl.
Die 30. S. Henrici Imperat. Conf. dupl. (ass.)

MENSE AUGUSTO.

Die 2. S. Vincentii a Paulo Conf. dupl. (ass.)
Die 9. S. Alphonsi Mariae de Ligorio Ep. Conf. dupl. (ass.)
Die 11. S. Christophori Mart. sem.
Die 13. . . . . com. SS. Hypoliti et Cassiani Mm.
Die 14. S. Margaritae Virg. Mart. sem.

Domin. infra Oct. Assumpt. B. M. Virg. S. Joachimi Conf. dupl. maj.
Die 16. S. Rochi Conf. dupl.
Die 18. S. Agapiti Mart. sem.
Die 19. S. Ludovici Ep. Tolosani Conf. sem.
Die 21. SS. Donati et Soc. Mm. dupl.
Die 26. S. Hyacinti Conf. dupl. (ass.)
Die 27. Transl. Corp. SS. Hermagorae et Soc. Mm. dupl.

MENSE SEPTEMBRI.

Domin. proxima Kalend. SS. Angelorum Custod. dupl. 2dae Classis cum Octava
Domin. seq. Octava SS. Angelorum.
Domin. infra Octav. Nativit. B. Mariae Virg. Festum SSmi. Nominis ejusdem dupl. 2dae Classis.
Domin. III. Septembris Dolor. B. Mariae Virg. dupl. maj.
Die 1. S. Aegidii Abb. Conf. sem.
Die 3. SS. Euphemiae, Dorotheae et Soc. Vv. Mm. dupl.
Die 4. S. Rosaliae Virg. dupl. maj.
Die 6. S. Joannae Franciscae Fremiot Vid. dupl. (ass.)
Die 7. S. Anastasii Mart. dupl.
Die 9. SS. Hermogenis et Fortunati Mm. dupl.
Die 11. S. Danielis Prophetae Conf. dupl.
Die 12. S. Pelagii Mart. dupl.
Die 13. SS. Septem Dormientium Mm. sem.
Die 18. S. Josephi a Cupertino Conf. dupl.
Die 22. S. Thomae de Villanova Ep. Conf. dupl. (ass.)
Die 25. Beatae Mariae de Socos Virg. dupl.
Die 26. S. Gerardi Ep. Mart. dupl.

MENSE OCTOBRI.

Domin. I. Solemn. Rosarii B. M. V. dupl. maj.
Domin. III. post Kalend. Anniversarium Dedicationis Omnium Ecclesiar. dupl. 1mae Classis cum Oct.

Domin. IV. Octava Dedicat. Ecclesiar. dupl.
Die 1. S. Remigii Ep. Conf. sem.
Die 2. S. Juliani Mart. sem.
Die 3. S. Josephi Calasanctii Conf. dupl. (ass.)
Die 10. SS. Gereonis et Soc. Mm. dupl.
Die 11. S. Justinae Virg. Mart. dupl.
Die 12. S. Maximiliani Ep. Mart. dupl.
Die 14. S. Calixti Pap. Mart. dupl.
Die 16. S. Francisci Borgia Conf. sem. (ass.)
Die 20. S. Joannis Kantii Conf. dupl.
Die 21. SS. Ursulae et Soc. Vv. Mm. dupl.
Die 22. S. Fidei Virg. Mart. sem.
Die 24. S. Raphaëlis Archang. dupl. maj.
Die 31. S. Wolfgangi Ep. Conf. dupl.

MENSE NOVEMBRI.

Die 3. S. Justi Mart. dupl.
Die 5. S. Emerici Hungariae Duc. Conf. dupl.
Die 6. S. Leonardi Conf. dupl.
Die 7. S. Prosdocimi Ep. Conf. dupl.
Die 8. . . . . com. SS. Quatuor Coronat. Mm.
Die 9. . . . . com. S. Theodori Mart.
Die 10. S. Andreae Avellini Conf. dupl.
Die 14. S. Mennae Mart. dupl.
Die 15. S. Leopoldi Conf. dupl.
Die 16. S. Gertrudis Virg. dupl. (ass.)
Die 23. S. Felicitatis Mart. dupl.
Die 24. S. Chrysogoni Mart. dupl.
Die 26. S. Mauri Mart. dupl.
Die 27. S. Valeriani Ep. Conf. dupl.
Die 28. S. Clementis Papae Mart. dupl. (ass.)
Die 29. S. Joannis a Cruce Conf. dupl. (ass.)

Mobilia.

Domin. II. Festum Patrocinii B. Mariae Virg. dupl. maj.

MENSE DECEMBRI.

Die 2. S. Chromatii Ep. Conf. dupl.
Die 4. S. Barbarae Virg. Mart. dupl.
Die 5. S. Petri Chrysologi Ep. Conf. dupl. (ass.)
Die 6. S. Nicolai Ep. Conf. Titularis Cathedr. dupl. 1mae Classis cum Oct.
Die 8. Immacul. Conception. B. Mariae Virg. Patronae dupl. 1mae Classis cum Oct.
Die 9. S. Syri Ep. Conf. dupl.
Die 10. S. Bibianae Virg. Mart. sem. (ass.)
Die 13. Octava S. Nicolai Ep. Conf. dupl.
Die 14. S. Luciae Virg. Mart. dupl. (ass.)
Die 18. Expectationis Partus B. Mariae Virg. dupl. maj.
Die 30. S. Nicephori Mart. dupl.

Sanctitas Sua, referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, benigne in omnibus de speciali gratia annuit, et instar concessionis factae Clero Goritiensi, servatis tamen in omnibus Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 7. Maji 1847.

Pro Emo. et Rmo. Dno. Card. Micara Praefecto.

Jo. Cardinalis Seraphini.

J. G. Fatati S. R. C. Secretarius.

Indultum Apostolicum.

Labacen.

Iteratis humillimis precibus quum Rmus. Labacen. Episcopus Sanctissimum Dominum Nostrum Pium IX. Pontificem Maximum enixe rogarit, ut ad ritum duplicem minorem pro sibi commisso Clero in diebus designatis in Indulto Apostolico superiori Anno 1847. concesso Kalendis Maji elevare dignaretur Officia Sancti Christophori Martyris, Sanctae Margaritae Virginis Martyris, ac Sanctorum Cosmae et Damiani Martyrum; itemque ut antea decimo tertio Kalendas Julii apponere commemorationem cum IX. Lectione Sanctorum Gervasii et Protasii Martyrum, ut in sequenti die XX. Junii fieri valeat ritu duplicis minoris de Sancto Protho Martyre, ac similem commemorationem cum IX. Lectione Sanctorum Processi et Martiniani Martyrum ut in Breviario relinquere sexto Nonas Julii, Sanctitas Sua, referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, benigne in omnibus annuit juxta Episcopi Oratoris preces; dummodo Rubricae serventur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 14. Januarii 1848.

A. Card. Lambruschini
S. R. C. Praef.

J. G. Fatati S. R. C. Secretarius.

FESTA JANUARII.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

In festo

SS. NOMINIS JESU.

Duplex II. classis.

Omnia ut in Breviario.

Occurrente Dominica Septuagesimae, reponitur hoc Festum (quoad Officium) in diem 28. Januarii, tamquam in sedem propriam: (translato quocumque alio Festo, si alicubi occurrat, nisi sit altioris ritus) et tunc legitur Lectio IX. de S. Agnete secundo, et fit de ea commemoratio in Laudibus tantum. (Ita Sacr. Rit. Congr.) Sed advertendum est, quod in fine ℣. ℟. et Antiph. omittitur Alleluja; similiter et in Responsoriis brevibus Horarum, quia erit post Septuagesimam.

Dominica hac pro Regnis et Provinciis Austriae Indulgentiae plenariae pro omnibus Fidelibus, qui verae poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti Missae solemni intersunt, et pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione et S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. Ex concess. Innoc. XIII. 17. Jul. 1722. Quae nunc per totam Octavam ita extenduntur, ut quivis Christifidelis illas usque ad Dominicam sequentem semel lucrari possit. Ex concess. Pii VII. de die 21. Maji 1810.

DIE XVI. JANUARII.

In festo

S. Titiani Episcopi Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Confess. Pontif. praeter haec propria.

Oratio. Da quaesumus, de eodem Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Titianus Heracleae nobili genere natus, voluptatum spretis illecebris, eo tempore Diaconus est ordinatus, quo Opitergiensi Ecclesiae praeerat Episcopus Florianus, cujus vitae integritatem

cum percepisset Titianus, Opitergium petiit, ut Episcopi se tradens disciplinae, ipsius vitae institutum imitaretur. Libenter illum suscepit Florianus, et multis praeditum esse virtutibus animadvertens, supremum Ecclesiae oeconomum constituit, ac Presbyterum ordinavit. Munere oeconomi egregie functus est Titianus, cujus mira elucebat in rebus gerendis prudentia, mira charitas in sublevanda illorum miseria, qui egestate et calamitate aliqua laborabant. Quamobrem cum Florianus desiderio martyrii flagraret, et Opitergium propterea relinquens, Episcopatu se abdicasset, Opitergiensium communi consensu dignus judicatus est Episcopatu Titianus; nec eos fefellit opinio: nam factus Episcopus, veri Pastoris officio in omnibus fungebatur, exemplo et doctrina oves suas pascere non desistens, donec praemium laboris recepturus in coelis ex hac vita migravit.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: ✻ Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V.

Ejus post obitum sanctitas multis est comprobata miraculis: etenim ipsius meritis non solum effugebantur immundi spiritus, quibus multorum corpora tenebantur obsessa, sed coecis visus, surdis auditus, aegris sanitas réddebatur; quorum miraculorum fama ejus parentes, vel propinqui moti, Opitergium accedunt, specie quidem, qua tanti Viri amissionem dolerent, sed revera, ut corpus illius per flumen Liquentiam Heracleam asportarent. Opportunam itaque aliquando occasionem nacti, noctu clam surripientes, Heracleam deferebant, quod ubi perceperunt Opitergienses, accurrunt, ut sibi Pastoris corpns redderetur. Una igitur illis altercantibus, senis cujusdam consilio cuncti steterunt, qui, re prius precibus Deo commendata, consulebat, ut parva illa navicula, qua sancti Viri corpus vehebatur, dimissa, Dei nutui committeretur; quare navicula, cum aliquandiu per flumen sursum adversis undis delata esset, et ad locum quemdam, dictum Septimum, pervenisset, haud longius est progressa, sed substitit.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: ✻ Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

Igitur cum inde ad alium locum corpus esset deductum, et omnis adhiberetur conatus, quo ad propriam sedem Opitergium reduceretur, dimoveri numquam potuit, quamvis hujus rei gratia multa

animalia essent adducta, non sine Dei providentia, ut exitus probavit. Nam longe post Opitergium fuit destructum. At vero homines illi tanto miraculo permoti, cum quid agendum esset, minus haberent exploratum, divinitus patefactum est, ad quem locum corpus sancti Episcopi Deus vellet deferri, et Cenetam, praeter omnium expectationem mirabiliter est delatum; ad quam Civitatem cum appropinquaret immundus spiritus, quo nobilissimi cujusdam viri filia vexabatur, vociferari coepit, se sancti Titiani adventu mirifice torqueri, et de sede sua expelli. Mulier vero ad sacras Reliquias propius adducta, libera prorsus remansit. Cenetenses autem obviam procedentes, et corpus beati Episcopi suscipientes, Cenetae in loco honestissimo collocarunt, ac ejus nomine Ecclesiam construxerunt, ad quam deinde Episcopatus Opitergiensis, post ejus devastationem, est translatus.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Homo peregre, de Com. Conf. Pont. primo loco.

DIE XXIII. JANUARII.

In festo Desponsationis B. M. V. cum S. Joseph.

Duplex majus.

Officium ut in fine Breviarii sub hac die unacum commemoratione S. Joseph.

DIE XXXI. JANUARII.

In translatione S. Marci Evangelistae.

Duplex.

Omnia de Communi Apost. cum Lectionibus de Communi Evangelist. et seq. Orat.

Oratio.

Deus, qui gloriosa beati Marci Evangelistae membra nobis famulis tuis revelare dignatus es, concede propitius: ut qui ejus Corporis Translationem hodie venerando colimus, ipsius beatitudini, te concedente, adjungi mereamur. Per Dominum.

FERIA III. POST DOMINICAM SEPTUAGESIMAE.

Officium

ORATIONIS D. N. JESU CHRISTI

IN MONTE OLIVETI.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Antiph. Venit Jesus, cum reliquis ut infra in Laudibus. Psal. Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica, et loco ultimi, Psal. Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. Matth. 26.

Venit Jesus ad Discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dixit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.

Hymnus.

Aspice ut Verbum Patris a supernis
Sedibus, clemens et amore flagrans,
Perditis culpa genitis mederi
Pergit Adami.

Flebilem mundi miserans ruinam,
Et volens nostros reparare casus,
Orat et prona veniam precatur
Fronte Magister.

Fluctuat secum tot acerba volvens:
Hunc, ait supplex, calicem doloris
Mi Pater transfer; tua sed voluntas,
Non mea fiat.

Cum premat tristis pavor ima cordis,
Deficit languens Dominus: per artus
Sanguinis sudor fluit atque guttis
Terra madescit.

At celer summo veniens Olympo
Angelus Jesum recreat jacentem,
Corpori vires redeunt, novoque
Robore surgit.

Laus, honor Patri, genitaeque Proli,
Cui datum nomen super omne nomen,
Et Paracleto decus atque virtus
Omne per aevum.
Amen.

℣. Tristis est anima mea.
℟. Usque ad mortem.

Ad Magnificat, Antiph. Positis genibus orabat dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui in horto verbo et exemplo nos orare docuisti ad tentationum pericula superanda: concede propitius, ut nos orationi semper intenti, ejus copiosum fructum consequi mereamur. Qui vivis et regnas.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Jesum in monte Olivarum orantem: * Venite, adoremus.

Psal. Venite, exultemus Domino.

Hymnus. Aspice ut Verbum Patris, **ut supra in Vesperis.**

In primo Nocturno.

Antiph. Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.

Psalmus 16.

Exaudi, Domine, justitiam meam: * intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam, * non in labiis dolosis.

De vultu tuo judicium meum prodeat: * oculi tui videant aequitates.

Probasti cor meum et visitasti nocte: * igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.

Ut non loquatur os meum opera hominum: * propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

Perfice gressus meos in semitis tuis, * ut non moveantur vestigia mea.

Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus: * inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

Mirifica misericordias tuas, * qui salvos facis sperantes in te.

A resistentibus dexterae tuae custodi me, * ut pupillam oculi.

Sub umbra alarum tuarum protege me: * a facie impiorum, qui me afflixerunt.

Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt: * os eorum locutum est superbiam.

Projicientes me nunc circumdederunt me: * oculos suos statuerunt declinare in terram.

Susceperunt me sicut leo paratus ad praedam: * et sicut catulus leonis habitans in abditis.

Exurge, Domine, praeveni eum et supplanta eum: * eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuae.

Domine, a paucis de terra divide eos in vita eorum: * de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.

Saturati sunt filiis: * et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.

Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo: * satiabor cum apparuerit gloria tua.

Antiph. Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.

Antiph. Non impediaris orare semper, et ne verearis usque ad mortem justificari.

Psalmus 27.

Ad te, Domine, clamabo, Deus meus, ne sileas a me: * nequando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.

Exaudi, Domine, vocem deprecationis meae, dum oro ad te: * dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatoribus: * et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Qui loquuntur pacem cum proximo suo: * mala autem in cordibus eorum.

Da illis secundum opera eorum: * et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.

Secundum opera manuum eorum tribue illis: * redde retributionem eorum ipsis.

Quoniam non intellexerunt opera Domini, et in opera manuum ejus * destrues illos, et non aedificabis eos.

Benedictus Dominus: * quoniam exaudivit vocem deprecationis meae.

Dominus adjutor meus et protector meus: * in ipso speravit cor meum, et adjutus sum.

Et refloruit caro mea: * et ex voluntate mea confitebor ei.

Dominus fortitudo plebis suae: * et protector salvationum Christi sui est.

Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic haereditati tuae: * et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.

Antiph. Non impediaris orare semper, et ne verearis usque ad mortem justificari.

Antiph. Omnia quaecumque petieritis in oratione credentes, accipietis.

Psalmus 141.

Voce mea ad Dominum clamavi: * voce mea ad Dominum deprecatus sum.

Effundo in conspectu ejus orationem meam: * et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum, * et tu cognovisti semitas meas.

In via hac, qua ambulabam, * absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, et videbam: * et non erat, qui cognosceret me.

Periit fuga a me, * et non est, qui requirat animam meam.

Clamavi ad te, Domine: * dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam: * quia humiliatus sum nimis.

Libera me a persequentibus me: * quia confortati sunt super me.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: * me expectant justi, donec retribuas mihi.

Antiph. Omnia quaecumque petieritis in oratione credentes, accipietis.

℣. Tristis est anima mea.
℟. Usque ad mortem.

De libro Tobiae. Cap. 12.

Lectio I.

Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna magis quam thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam aeternam. Qui autem faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animae suae. Manifesto ergo vobis veritatem, et non abscondam a vobis occultum sermonem. Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.

℟. In omnibus gratias agite: * Sine intermissione orate.

℣. Haec est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis. Sine.

De Epistola beati Jacobi Apostoli. Cap. 5.

Lectio II.

Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua. Elias homo erat similis nobis passibilis, et oratione oravit, ut non plueret super terram, et non pluit annos tres et menses sex. Et rursum oravit, et cœlum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum. Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum, scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.

℟. Cum stabitis ad orandum: * Dimittite, si quid habetis adversus aliquem.

℣. Ut et Pater vester, qui in coelis est, dimittat vobis peccata vestra. Dimittite.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Hebraeos. Cap. 5.

Lectio III.

Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Qui in diebus carnis suae preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam: et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae, appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech.

℟. Exaudivit Dominus deprecationem meam: * Dominus orationem meam suscepit.

℣. Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine. Dominus. Gloria Patri. Dominus.

In secundo Nocturno.

Antiph. Dum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus.

Psalmus 42.

Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: * ab homine iniquo et doloso erue me.

Quia tu es, Deus, fortitudo mea: * quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam, et veritatem tuam: * ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei: * ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: * quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei et Deus meus.

Antiph. Cum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus.

Antiph. Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito.

Psalmus 63.

Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor: * a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium, * a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas: * intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, et non timebunt: * firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt, ut absconderent laqueos: * dixerunt: Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates: * defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum: * et exaltabitur Deus.

Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum: * et infirmatae sunt contra eos linguae eorum.

Conturbati sunt omnes, qui videbant eos: * et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei, * et facta ejus intellexerunt.

Laetabitur justus in Domino, et sperabit in eo: * et laudabuntur omnes recti corde.

Antiph. Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito.

Antiph. Factum est autem in illis diebus, exiit Jesus in mon-

tem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.

Psalmus 120.

Levavi oculos meos in montes,* unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino, * qui fecit coelum et terram.

Non det in commotionem pedem tuum: * neque dormitet, qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet, * qui custodit Israël.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua, * super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: * custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum, * ex hoc nunc et usque in saeculum.

Antiph. Factum est autem in illis diebus, exiit Jesus in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.

℣. Pater mi, si possibile est.
℟. Transeat a me calix iste.

Ex Tractatu
S. Cypriani Episc. et Mart.
De Orat. dominica.

Lectio IV.

Nec verbis tantum, sed et factis Dominus orare nos docuit, ipse orans frequenter et deprecans, et quid facere nos oporteret exempli sui contestatione demonstrans, sicut scriptum est: Ipse autem fuit secedens in solitudinem, et adorans. Et iterum: Exivit in montem orare, et fuit pernoctans in oratione Dei. Quod si ille orabat, qui sine peccato erat, quanto magis peccatores oportet orare! Et si ille per totam noctem jugiter vigilans continuis precibus orabat, quanto nos magis in frequentanda oratione debemus nocte vigilare! Orabat autem Dominus, et rogabat non pro se: quid enim pro se innocens precaretur? sed pro delictis nostris, sicut et ipse declarat, cum dicit ad Petrum: Ecce Satanas expetivit, ut vos vexaret quomodo triticum; ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Et postmodum pro omnibus Patrem deprecatur dicens: Non pro his autem rogo solis, sed et pro illis, qui crediturí sunt per verbum ipsorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.

℟. Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: * Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.

℣. Et tu, aliquando conversus, confirma fratres tuos. Ego autem.

Ex Commentariis
Sancti Anselmi Episcopi.
In Epist. ad Hebraeos cap. 5.

Lectio V.

Sicut verus Pontifex obtulit preces; nam in Evangelio saepe legitur orasse, et maxime apud Lucam, qui Sacerdotis in eo descripsit personam. Sed et quidquid ipse egit in carne, preces et supplicationes fuerunt pro hominibus. Tota vita sua Patrem oravit de surrectione carnis suae, ac de nostra salute, et instante jam passione, obtulit supplicationes, id est, humillimas et instantissimas orationes cum summa devotione cordis et affectione, quando factus in agonia prolixius orabat, et factus est sudor ejus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. Et has preces, supplicationesque obtulit, id est, obviam tulit Patri per exauditionem sibi obvianti. Obtulit eas ad eum, qui posset illum a morte salvum facere, id est, resuscitare; ad eum, quem scivit esse sufficientem, ut salvaret eum, id est, immortalem et impassibilem faceret, eripiendo a morte; ut nec anima remaneret in inferno, nec caro putresceret in sepulchro.

℟. Oratio humiliantis se nubes penetrabit: * Et donec propinquet, non consolabitur.

℣. Et non discedet, donec Altissimus aspiciat. Et donec.

Lectio VI.

Et obtulit has cum clamore valido, id est, cum intentione piae devotionis vehementissima et efficacissima, ut quando prolixius orabat, et etiam cum lacrymis; quia in illa prolixa oratione credendus est lacrymas effudisse, cum et guttae sanguinis pro sudore decurrerent ab ejus corpore: et exauditus est, quia quod quaesierat, accepit in resurrectione. Exauditus est, id est extra numerum aliorum omnium auditus est, quoniam super omnem creaturam, post laboris sui militiam, a Patre sublimatus est, et hoc pro sui reverentia, id est, secundum hoc, quod ipse sicut Dei Filius dignus est reverentia et veneratione. Vel pro sua reverentia in Deum, id est, propter quod ipse super omnia Patrem reveritus est et honoravit. Sive pro sua reverentia, id est, sicut sua religio meruit. Sanguinis quoque ejus effusio potest intelligi clamor validus, in quo exauditus est pro reverentia ejusdem passionis. Reverentia est, quod sine peccato passus est sola charitate.

℟. Fiant aures tuae auscultantes, et oculi tui aperti: * Ut audias orationem servi tui.

℣. Quam ego oro coram te hodie nocte ac die. Ut audias. Gloria Patri. Ut audias.

In tertio Nocturno.

Antiph. Tribulatio et angustia invenerunt me, mandata tua meditatio mea est.

Psalmus 3.

Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es: * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi et soporatus sum:* et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exsurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * et super populum tuum benedictio tua.

Antiph. Tribulatio et angustia invenerunt me, mandata tua meditatio mea est.

Antiph. Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni.

Psalmus 12.

Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? * usquequo avertis faciem tuam a me?

Quamdiu ponam consilia in anima mea, * dolorem in corde meo per diem?

Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? * respice et exaudi me, Domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte: * nequando dicat inimicus meus: Praevalui adversus eum.

Qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero: * ego autem in misericordia tua speravi.

Exultabit cor meum in salutari tuo; cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, * et psallam nomini Domini altissimi.

Antiph. Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni.

Antiph. Adhaesit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum.

Psalmus 87.

Domine, Deus salutis meae, * in die clamavi et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: * inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea: * et vita mea inferno appropinquavit.

Aestimatus sum cum descendentibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris: quorum non es memor amplius: * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori: * in tenebrosis et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me: * posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar: * oculi mei languerunt prae inopia.

Clamavi ad te, Domine, tota die: * expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia? * aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam? * et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, * et justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te, Domine, clamavi: * et mane oratio mea praeveniet te.

Ut quid, Domine, repellis orationem meam, * avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: * exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.

In me transierunt irae tuae: * et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die: * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum et proximum, * et notos meos a miseria.

Antiph. Adhaesit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum.

℣. Vigilate et orate.

℟. Ut non intretis in tentationem.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam. Cap. 22.

Lectio VII.

In illo tempore: Egressus Jesus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum. Secuti sunt autem illum et Discipuli. Et reliqua.

Homilia Sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 10. Comment. in Luc. cap. 22.

Transfer a me calicem istum: quasi homo mortem recusans, quasi Deus sententiam suam servans. Oportet enim mori nos saeculo, ut resurgamus Deo, ut juxta divinam sententiam lex maledictionis resoluta in terrae limum naturae fine solvatur. Quod autem ait: Non mea voluntas, sed tua fiat, suam ad hominem retulit, Patris ad Divinitatem. Voluntas enim hominis, temporalis; voluntas Divinitatis, aeterna. Non alia voluntas Patris, alia Filii. Una enim voluntas, ubi una Divinitas. Disce tamen Deo esse subjectus, ut non quod ipse vis eligas, sed quod Deo scias esse placiturum.

℟. Veni in altitudinem maris: * Et tempestas demersit me.

℣. Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam. Et tempestas.

Lectio VIII.

Deinde verborum ipsorum proprietatem consideremus. Tristis est, inquit, anima mea. Et alibi: Nunc anima mea turbata est valde. Non ergo suscipiens, sed suscepta turbatur. Anima enim obnoxia passionibus, Divinitas libera. Denique spiritus promtus, caro autem infirma. Tristis autem est non ipse, sed anima. Non est tristis sapientia, non divina substantia, sed anima. Suscepit enim animam meam, suscepit corpus meum. Non me fefellit, ut aliud esset, et aliud videretur. Tristis videbatur, et tristis erat non pro sua passione, sed pro nostra dispersione.

℟. Intret in conspectu tuo oratio mea: ✻ Inclina aurem tuam ad precem meam.

℣. Quia repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit. Inclina. Gloria Patri. Inclina.

Lectio IX.

Denique ait: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. Tristis erat, quia nos parvulos relinquebat. Caeterum quam constanter se morti obtulerit, consequentia declarant: quandoquidem quaerentibus occurrit, turbatos confirmavit, trepidos provocavit, proditorem osculi dignatione suscepit. Nec illud distat a vero, si tristis erat pro persecutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegii poenas daturos. Et ideo dixit: Transfer hunc calicem a me. Non quia Deus, Dei Filius, mortem timebat; sed quia nec malos pro se perire volebat.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES

et per Horas, Antiphona.

Venit Jesus cum Discipulis suis in villam, quae dicitur Gethsemani, et dixit illis: Sedete hic, donec vadam illuc, et orem.

Psal. Dominus regnavit, cum reliquis de Dominica.

Antiph. Et assumpto Petro et duobus filiis Zebedaei, coepit contristari et moestus esse.

Antiph. Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hic, et vigilate mecum.

Antiph. Et progressus pusillum, procidit in faciem suam orans et dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.

Antiph. Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

Capitulum. Matth. 26.

Venit Jesus ad Discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.

Hymnus.

Venit e coelo Mediator alto,
Quem sacri dudum cecinere vates:

Parce moerori, lacrymisque amaris,
Filia Sion.
Attulit mortem vetus hortus, unde
Culpa prodivit: novus iste vitam
Hortus en affert, ubi nocte Jesus
Permanet orans.
Vindicem placat Genitoris iram:
Reprimit forti jacienda dextra
Fulmina: occurrit sceleri expiando
Sponte Redemptor.
Sic teret duros laqueos Averni,
Et diu clausam reserabit aulam,
Nos ad aeterna revocans beati
Gaudia regni.
Laus, honor Patri, genitaeque Proli,
Cui datum nomen super omne nomen,
Et Paracleto decus atque virtus
Omne per aevum,
Amen.

℣. Doce nos orare.
℟. Sic ergo vos orabitis.

Ad Benedictus, Antiph. Factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor ejus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui in horto verbo et exemplo nos orare docuisti ad tentationum pericula superanda: concede propitius, ut nos orationi semper intenti, ejus copiosum fructum consequi mereamur. Qui vivis et regnas.

AD TERTIAM.

Antiph. Et assumpto Petro.

Capit. Venit Jesus, de Laudibus.

℟. br. Tristis est * Anima mea. Tristis.

℣. Usque ad mortem. Anima mea.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Tristis est.

℣. Pater mi, si possibile est.

℟. Transeat a me calix iste.

AD SEXTAM.

Antiph. Tunc ait illis.

Capitulum. Lucae 21.

Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quae futura sunt, et stare ante Filium hominis.

℟. br. Pater mi, * Si possibile est. Pater.

℣. Transeat a me calix iste. Si possibile est.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Pater mi.

℣. Vigilate et orate.

℟. Ut non intretis in tentationem.

AD NONAM.

Antiph. Pater mi.

Capitulum. Matth. 5.

Orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est.

℟. br. Vigilate * Et orate. Vigilate.

℣. Ut non intretis in tentationem. Et orate.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Vigilate.

℣. Factus est sudor ejus.

℟. Sicut guttae sanguinis.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, praeter ult. Psal., cujus loco Psal. 115. Credidi, ut infra.

℣. Factus est sudor ejus.

℟. Sicut guttae sanguinis.

Ad Magnificat, Antiph. Ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

Oratio ut supra in Laudibus.

FERIA III. POST DOMINICAM SEXAGESIMAE.

Officium

COMMEMORATIONIS PASSIONIS

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Antiph. Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

Psalmus 115.

Credidi, propter quod locutus sum: * ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino * pro omnibus, quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam, * et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: * pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et filius ancillae tuae.

Dirupisti vincula mea: * tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus * in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem.

Antiph. Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

Antiph. Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus; dum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Psalmus 119.

Ad Dominum, cum tribularer, clamavi: * et exaudivit me.

Domine, libera animam meam a labiis iniquis, * et a lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi * ad linguam dolosam?

Sagittae potentis acutae, * cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar: * multum incola fuit anima mea.

Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: * cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Antiph. Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus; dum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Antiph. Ab hominibus iniquis libera me, Domine.

Psalmus 139.

Eripe me, Domine, ab homine malo: * a viro iniquo eripe me.

Qui cogitaverunt iniquitates in corde: * tota die constituebant praelia.

Acuerunt linguas suas sicut serpentis: * venenum aspidum sub labiis eorum.

Custodi me, Domine, de manu peccatoris: * et ab hominibus iniquis eripe me.

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos: * absconderunt superbi laqueum mihi.

Et funes extenderunt in laqueum: * juxta iter scandalum posuerunt mihi.

Dixi Domino: Deus meus es tu: * exaudi, Domine, vocem deprecationis meae.

Domine, Domine, virtus salutis meae, * obumbrasti super caput meum in die belli.

Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori: * cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur.

Caput circuitus eorum: * labor labiorum ipsorum operiet eos.

Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos: * in miseriis non subsistent.

Vir linguosus non dirigetur in terra: * virum injustum mala capient in interitu.

Cognovi, quia faciet Dominus judicium inopis, * et vindictam pauperum.

Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo: * et habitabunt recti cum vultu tuo.

Antiph. Ab hominibus iniquis libera me, Domine.

Antiph. Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem.

Psalmus 140.

Domine, clamavi ad te, exaudi me: * intende voci meae, cum clamavero ad te.

Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: * elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Pone, Domine, custodiam ori meo, * et ostium circumstantiae labiis meis.

Non declines cor meum in verba malitiae. * ad excusandas excusationes in peccatis.

Cum hominibus operantibus iniquitatem: * et non communicabo cum electis eorum.

Corripiet me justus in miseri-

cordia, et increpabit me: * oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum: * absorpti sunt juncti petrae judices eorum.

Audient verba mea, quoniam potuerunt: * sicut crassitudo terrae erupta est super terram.

Dissipata sunt ossa nostra secus infernum: * quia ad te, Domine, Domine, oculi mei: in te speravi, non auferas animam meam.

Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, * et a scandalis operantium iniquitatem.

Cadent in retiaculo ejus peccatores: * singulariter sum ego donec transeam.

Antiph. Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem.

Antiph. Considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat, qui cognosceret me.

Psalmus 141.

Voce mea ad Dominum clamavi: * voce mea ad Dominum deprecatus sum.

Effundo in conspectu ejus orationem meam, * et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum, * et tu cognovisti semitas meas.

In via hac, qua ambulabam, * absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, et videbam: * et non erat, qui cognosceret me.

Periit fuga a me, * et non est, qui requirat animam meam.

Clamavi ad te, Domine: * dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam: * quia humiliatus sum nimis.

Libera me a persequentibus me: * quia confortati sunt super me.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: * me expectant justi, donec retribuas mihi.

Antiph. Considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat, qui cognosceret me.

Capitulum. Philip. 2.

Fratres, hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu: qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Hymnus.

Moerentes oculi, spargite lacrymas,
Et luctu resonent intima cordium:
Illatas refero Numini ab impiis
Poenas et fera vulnera.
Accincta heu! gladiis turba satellitum

Arreptum Dominum fustibus impetit;
Nunc caedit colaphis, nunc quatit horridis
Divinum caput ictibus.
Haud finis sceleri: traditur improbo
Christus carnifici; nec mora, barbarus
In Regem Superum non timet impio
Ausu vertere dexteram.
Audite, o populi, Numen amabile,
Manante ex humeris undique sanguine,
Lictoris rabidi sustinet impetum,
Et vocem premit innocens.
Quis non illacrymet? Jam nova condidit
Tormenta indomitae gentis iniquitas:
Infigit cerebro, proh dolor! efferis
Sertum vepribus asperum.
Heu crimen! trahitur funibus improbis
Funesti Dominus supplicii ad locum;
Illic oppetiit funere, spiritum
Patri restituens suo.
Passo pro miseris tam fera vulnera
In terris resonet debita gloria;
Sacrumque assidue nomen in aethera
Humanum genus efferat.
Amen.

℣. Oblatus est, quia ipse voluit.

℟. Et livore ejus sanati sumus.

Ad Magnificat, Antiph. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi, ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum carnem suscipere, et crucem subire fecisti: concede propitius, ut sicut Commemorationem Passionis ejus celebramus, ita et patientiae ipsius habere documenta, et resurrectionis consortia mereamur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum.

Ad Completorium et per Horas diei in fine Hymnorum dicatur:

Sit laus Patri ac Paraclito,
Natoque Patris unico,
Nostrae dedit qui prodigus
Pretium salutis sanguinem.
Amen.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Regem crucifixum: * Venite, adoremus.

Psal. Venite, exultemus Domino.

Hymnus.

Aspice, infami Deus ipse ligno
Pendet, effuso madidus cruore;
Aspice, immiti manus alma clavo
Finditur alte.
Hunc, velut pravi sceleris ministrum,
Inter indignos medium latrones

Cerne: crudelis fuit ista gentis
Dira voluntas.
Pallet heu! vultus; caput ecce lassum
Flectitur: clausis oculis, Redemptor
Spiritum sacro meritis onustum
Fundit ab ore.
O cor, aes durum superas, gemendo
Ni scelus tergas; tua culpa Christum
Stipiti affixit: tua culpa morti
Subdidit atrae.
Sit Deo aeternum decus omne in aevum,
Qui pius nostri generis Redemptor
Criminis labem miseris nocentem
Sanguine tersit.
Amen.

In primo Nocturno.

Antiph. Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Psalmus 2.

Quare fremuerunt gentes, * et populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum * adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum: * et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in coelis irridebit eos: * et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua: * et in furrore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * praedicans praeceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, * et possessionem tuam terminos terrae.

Reges eos in virga ferrea, * et tanquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, reges, intelligite: * erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore: * et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, * et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus, * beati omnes, qui confidunt in eo.

Antiph. Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Antiph. Multiplicati sunt, qui tribulant me; multi insurgunt adversum me.

Psalmus 3.

Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor

meus es, * gloria mea et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi et soporatus sum: * et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exsurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * et super populum tuum benedictio tua.

Antiph. Multiplicati sunt, qui tribulant me; multi insurgunt adversum me.

Antiph. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Psalmus 21.

Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? * longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies: * et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, * laus Israel.

In te speraverunt patres nostri: * speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: * in te speraverunt et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, et non homo: * opprobrium hominum, et abjectio plebis.

Omnes videntes me, deriserunt me: * locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum: * salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: * spes mea ab uberibus matris meae. In te projectus sum ex utero.

De ventre matris meae Deus meus es tu, * ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est: * quoniam non est, qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi: * tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum, * sicut leo rapiens et rugiens.

Sicut aqua effusus sum, * et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquescens * in medio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis: * et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: * concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas et pedes meos: * dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me: * diviserunt sibi vestimenta mea; et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me: * ad defensionem meam conspice.

Erue a framea, Deus, animam

meam: * et de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis: * et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: * in medio ecclesiae laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum * universum semen Jacob, glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel: * quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis:

Nec avertit faciem suam a me: * et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in ecclesia magna: * vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum: * vivent corda eorum in saeculum saeculi.

Reminiscentur et convertentur ad Dominum * universi fines terrae.

Et adorabunt in conspectu ejus * universae familiae gentium.

Quoniam Domini est regnum, * et ipse dominabitur gentium.

Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terrae: * in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet: * et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura: * et annuntiabunt coeli justitiam ejus populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.

Antiph. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

℣. Oblatus est, quia ipse voluit.

℟. Et livore ejus sanati sumus.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Cap. 5. et 6.

Lectio I.

Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam, cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est; multo igitur magis nunc, justificati in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius. Non solum autem, sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae, et donationis, et justitiae accipientes, in vita regnabunt per Jesum Christum.

℟. Vinea mea electa, ego te plantavi, dicit Dominus, et tu facta es mihi nimis amara: * Quia parasti crucem Salvatori tuo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Quia.

Lectio II.

Igitur sicut per unius delictum in

omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obeditionem justi constituentur multi. Lex autem subintravit, ut abundaret delictum: ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia, ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam aeternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.

℟. Ego eduxi te de Aegypto, demerso Pharaone in mare rubrum, et ante te praeivi in columna nubis: * Et tu me tradidisti principibus sacerdotum, et me duxisti ad praetorium Pilati.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu me tradidisti.

Lectio III.

Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit: qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam vivemus cum Christo.

℟. Ego propter te flagellavi Aegyptum cum primogenitis suis: * Et tu me flagellatum tradidisti: * Qui, tamquam agnus coram tondente se, obmutui et non aperui os meum.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu me flagellatum. Gloria Patri. Qui tamquam.

In secundo Nocturno.

Antiph. Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, et peribit nomen ejus?

Psalmus 40.

Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem: * in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conservet eum; et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra: * et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: * universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

Ego dixi: Domine miserere mei: * sana animam meam, quia peccavi tibi.

Inimici mei dixerunt mala mi-

hi: * Quando morietur et peribit nomen ejus?

Et si ingrediebatur, ut videret, vana loquebatur: * cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras, * et loquebatur in idipsum.

Adversum me susurrabant omnes inimici mei: * adversum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum constituerunt adversum me: * Numquid qui dormit non adjiciet, ut resurgat?

Etenim homo pacis meae, in quo speravi: * qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me: * et retribuam eis.

In hoc cognovi, quoniam voluisti me: * quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Me autem propter innocentiam suscepisti: * et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum.

Benedictus Dominus Deus Israel a saeculo et usque in saeculum: * fiat, fiat.

Antiph. Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, et peribit nomen ejus.

Antiph. Alieni insurrexerunt in me, et fortes quaesierunt animam meam.

Psalmus 53.

Deus, in nomine tuo salvum me fac: * et in virtute tua judica me.

Deus, exaudi orationem meam: * auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quaesierunt animam meam: * et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me: * et Dominus susceptor est animae meae.

Averte mala inimicis meis: * et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi: * et confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: * et super inimicos meos despexit oculus meus.

Antiph. Alieni insurrexerunt in me, et fortes quaesierunt animam meam.

Antiph. Conculcaverunt me inimici mei tota die: adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

Psalmus 55.

Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo: * tota die impugnans tribulavit me.

Conculcaverunt me inimici mei tota die: * quoniam multi bellantes adversum me.

Ab altitudine diei timebo: * ego vero in te sperabo.

In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi: * non timebo, quid faciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabantur: * adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

Inhabitabunt et abscondent: * ipsi calcaneum meum observabunt.

Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos: * in ira populos confringes.

Deus, vitam meam annuntiavi tibi, * posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Sicut et in promissione tua: * tunc convertentur inimici mei retrorsum.

In quacumque die invocavero te: * ecce cognovi, quoniam Deus meus es.

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: * in Deo speravi, non timebo, quid faciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua, * quae reddam, laudationes tibi.

Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu: * ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Antiph. Conculcaverunt me inimici mei tota die: adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

℣. Proprio Filio suo non pepercit Deus.

℟. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 41. Domin. in Palmis.

Lectio IV.

Admonet nos, Fratres charissimi, ad solemnitatem dominicae Passionis dies ipse, in quo eam nec muta elementa tacuerunt. Celebret eam lux fidei linguis hominum, quam conclamaverunt etiam silentia tenebrarum. Hodie Dominus noster in statera Crucis pretium nostrae salutis appendit, et una morte universum mundum, sicut omnium conditor, ita omnium reparator absolvit. Indubitanter enim credamus, quod totum mundum redemit, qui plus dedit, quam totus mundus valeret. Meritum enim redemptae mercedis dignitas insignis pretii supergressa est. Inter redemptum et redimentem dispensatio fuit, compensatio non fuit. Qui enim non habebat peccata propria, digne delevit aliena. Solus hic pia victima pro omnibus cecidit, ut omnes levaret; et quia debitum solus non habuit, recte foenus misericordiae pro debitoribus erogavit.

℟. Ego propter te Chananaeorum reges percussi, et dedi tibi sceptrum regale: * Et tu dedisti capiti meo spineam coronam, et percussisti arundine caput meum.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu dedisti.

Lectio V.

Perpende inter haec, qui talem pro nobis dedit pecuniam, qualem a nobis sit exacturus usuram. In hac itaque die fides propheticae annuntiationis impleta est ita dicentis: Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vel-

lentibus; faciem meam non averti a foeditate sputorum. Suscepit mala nostra, ut tribueret bona sua. Hinc intelligamus, quantum hominem diligere dignatus sit ante culpam, quem sic diligit post ruinam. Agnosce, homo quantum valeas, et quantum debeas; et dum tantam redemptionis tuae perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illuditur, pro mendace veritas necatur, damnatur justitia pro iniquo, misericordia afficitur pro crudeli, pro misero repletur sinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo.

℟. Ego duxi te per desertum quadraginta annis, et manna cibavi te: * Et tu me caecidisti alapis et flagellis.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu me caecidisti.

Lectio VI.

Expavit scelus hominum natura rerum, et quem creatura rebellis non agnoscit, eum mundi Dominum tremens terra testatur, et coeli Regem sol fugiens confitetur. Chlamyde coccinea induitur, quia sanguine Martyrum suorum Ecclesiae corpus ornatur. Corona spinea capiti ejus imponitur, quia punctio peccatorum nostrorum, quorum remissione Redemptoris gloria struitur, aridis tribulis comparatur. Studeamus nunc e diverso, ut membrorum vita Capitis sit corona. Quod vero sitire se in Cruce positus dicit, fidem incredulae gentis concupiscit: sed e contra acetum malitiae porrigunt, quia vinum sapientiae, quod a Deo acceperant, peccando corruperant. Velum templi scinditur, quia synagoga honore nudatur, observatio antiqua dissolvitur, Ecclesiae unitas praemostratur. Monumenta aperiuntur, quia mortis jura jure superantur.

℟. Ego exaltavi te magna virtute: * Et tu me suspendisti in patibulo crucis, ✿ In qua expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu me suspendisti. Gloria Patri. In qua.

In tertio Nocturno.

Antiph. Filii hominum dentes eorum arma et sagittae, et lingua eorum gladius acutus.

Psalmus 56.

Miserere mei, Deus, miserere mei: * quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo, * donec transeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altissimum: * Deum, qui benefecit mihi.

Misit de coelo, et liberavit me: * dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam: * et eripuit

animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.

Filii hominum, dentes eorum arma et sagittae: * et lingua eorum gladius acutus.

Exaltare super coelos, Deus: * et in omnem terram gloria tua.

Laqueum paraverunt pedibus meis: * et incurvaverunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foveam: * et inciderunt in eam.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: * cantabo et psalmum dicam.

Exurge, gloria mea, exurge, psalterium et cithara: * exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis, Domine: * et psalmum dicam tibi in gentibus:

Quoniam magnificata est usque ad coelos misericordia tua, * et usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super coelos, Deus: * et super omnem terram gloria tua.

Antiph. Filii hominum dentes eorum arma et sagittae, et lingua eorum gladius acutus.

Antiph. Intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Psalmus 63.

Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor: * a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium, * a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas: * intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, et non timebunt: * firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt, ut absconderent laqueos: * dixerunt: Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates: * defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum: * et exaltabitur Deus.

Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum: * et infirmatae sunt contra eos linguae eorum.

Conturbati sunt omnes, qui videbant eos: * et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei, * et facta ejus intellexerunt.

Laetabitur justus in Domino, et sperabit in eo: * et laudabuntur omnes recti corde.

Antiph. Intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Antiph. Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Psalmus 87.

Domine, Deus salutis meae, * in die clamavi et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: * inclina aurem tuam ad precem meam:

Quia repleta est malis anima mea: * et vita mea inferno appropinquavit.

Aestimatus sum cum descendentibus in lacum: * factus sum

sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori: * in tenebrosis et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me: * posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar: * oculi mei languerunt prae inopia.

Clamavi ad te, Domine, tota die: * expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia? * aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, * et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, * et justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te, Domine, clamavi: * et mane oratio mea praeveniet te.

Ut quid, Domine, repellis orationem meam, * avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: * exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.

In me transierunt irae tuae: * et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die: * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum et proximum, * et notos meos a miseria.

Antiph. Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

℣. Factus est obediens usque ad mortem.

℟. Mortem autem crucis.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 19.

Lectio VII.

In illo tempore: Sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia
Sancti Joannis Chrysostomi.

Hom. 84. in cap. 19. Joan. ante medium.

Sciens Jesus omnia consummata, ait: Sitio; etiam hoc verbo prophetiam implens. Tu autem adstantium pravitatem intellige: nam licet innumeros habeamus inimicos, qui nos gravissime persecuti sunt, cum tamen interimi eos videmus, flectimur misericordia. Hi vero nil moti, magis efferuntur, et irrident, acetumque in spongia porrigunt, ut bibat tamquam reus: nam propter hoc hyssopum additur, quo gustato, mortuus est. Vides quam non perturbate, et quam potenter omnia transigentem? Quod et prosequens ostendit: cum enim omnia consummata

essent, inclinato capite, quod affixum non erat, tradidit spiritum, hoc est, expiravit.

℟. Ego te potavi aqua salutis de petra: * Et tu me potasti felle et aceto.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu me potasti.

Lectio VIII.

Atqui non post inclinatum caput expiratur, sed post expirationem caput inclinatur. Hic autem contra accidit: per quod ostendit eum Evangelista esse omnium Dominum. Judaei autem camelum devorantes, et culicem excolantes, tantum nefas ausi, de die consultant. Quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura. Vides, quanti sit veritas? Per ea, quae illi faciunt, prophetia impletur; alia enim ex hoc manifestata est. Venerunt ergo milites, et aliorum fregerunt crura, non Christi: sed ad Judaeorum gratiam conciliandam latus ejus lancea aperuerunt, et mortuo adhuc insultant. O pessimam voluntatem ac scelestissimam!

℟. Ego ante te aperui mare: * Et tu aperuisti lancea latus Salvatori tuo, * Qui redemit mundum in sanguine suo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi. Et tu aperuisti. Gloria Patri. Qui redemit.

Lectio IX.

Noli tamen perturbari, dilectissime: quae enim malo illi animo patrarunt, veritati consentiebant. Prophetia hinc impleta est inquiens: Videbunt in quem transfixerunt: Neque hoc tantum, sed non credituris fuit fidei argumentum, ut Thomae, et qui cum eo erant. Ad haec et arcanum mysterium consummatum est: exivit enim sanguis et aqua. Non casu et simpliciter hi fontes scaturierunt, sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est. Sciunt hoc initiati: per aquam enim regenerati, Sanguine et Carne nutriti sunt. Hinc mysteria ortum habent, ut quoties ad admirandum calicem accedis; tamquam ex ipso latere hauriens accedas.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES
et per Horas, Antiphona.

Qui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis.

Psal. Dominus regnavit, cum reliquis de Dominica.

Antiph. Veni ad montem myrrhae, et ad collem thuris: tamquam agnus ad occisionem ductus, obmutui, et non aperui os meum.

Antiph. Foderunt manus meas, et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.

Antiph. Consolantem me quaesivi, et non inveni: dederunt in

escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

Antiph. Cum accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est; et inclinato capite emisit spiritum.

Capitulum. Philip. 2.

Fratres, hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu: qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Hymnus.

Saevo dolorum turbine
Jactatur, atris obrutus
Poenis, acerba sustinens
Redemptor affixus cruci.
Pedes manusque horribili
Clavi cruentant vulnere;
Cor, vultus, artus, pectora
Sacro redundant sanguine.
Flet, orat et clamans obit;
Cor Matris ictu concidit:
Heu Mater! heu Fili! dolor
Ingrata frangat pectora.
Montes, sepulchra saxaque
Scinduntur; arva, flumina,
Rupes et aequor contremunt,
Templique velum scinditur.
Sol, luna, coelum, sidera
Plangunt, et orbis ingemit:
O vos, viri, vos parvuli,
Nuptae, puellae, plangite.
Adstate moerentes cruci,
Pedes beatos ungite,
Lavate fletu, tergite
Comis, et ore lambite.
Tu, charitatis Victima,
Ut nostra tollas crimina,
Nobis salubri perficis
Adoptionem sanguine.
Nostra ergo pax et gaudium,
Sis vita, Jesu, et praemium;
Sis ductor et lux in via,
Merces, corona in patria.
Amen.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Et attritus est propter scelera nostra.

Ad Benedictus. Antiph. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi, ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum carnem suscipere, et crucem subire fecisti: concede propitius, ut sicut Commemorationem Passionis ejus celebramus; ita et patientiae ipsius habere documenta, et resurrectionis consortia mereamur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum.

Ad Primam in ℟. br. ℣. Qui pro nobis pati dignatus es.

AD TERTIAM.

Antiph. Veni ad montem.

Capit. Fratres, hoc enim, de Laudibus.

℟. br. Oblatus est, * Quia ipse voluit. Oblatus.

℣. Et livore ejus sanati sumus. Quia ipse voluit.

Gloria Patri. Oblatus est.

℣. Proprio Filio suo non pepercit Deus.

℟. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

AD SEXTAM.

Antiph. Foderunt manus meas.

Capitulum. Zach. 13. 6.

Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.

℟. br. Proprio Filio suo * Non pepercit Deus. Proprio Filio suo.

℣. Sed pro nobis omnibus tradidit illum. Non pepercit Deus.

Gloria Patri. Proprio Filio.

℣. Factus est obediens usque ad mortem.

℟. Mortem autem crucis.

AD NONAM.

Antiph. Cum accepisset.

Capitulum. Isaiae 53. 1.

Generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum.

℟. br. Factus est obediens, * Usque ad mortem. Factus est.

℣. Mortem autem crucis. Usque ad mortem.

Gloria Patri. Factus est.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Et attritus est propter scelera nostra.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, praeter sequentia.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Et attritus est propter scelera nostra.

Ad Magnificat, Antiph. Deponens Joseph corpus Jesu involvit Sindone, et posuit eum in monumento exciso. Fuit planctus magnus in illa die; mulieres autem sedentes contra sepulchrum dolebant, sicut doleri solet in morte primogeniti.

Oratio ut in Laudibus.

FESTA FEBRUARII.

DIE III. FEBRUARII.

In festo
S. Blasii Episcopi Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. praeter haec propria.

Oratio.

Deus, qui beatum Blasium Martyrem tuum atque Pontificem in suis perferendis suppliciis, et in aliorum depellendis infirmitatibus admirabilem effecisti: concede propitius, ut illius et in fide constantiam imitemur, et in periculis patrocinia sentiamus. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Blasius Cappadox, nobili genere ortus, Sebaste in Cappadocia ex medico Episcopus creatus est, ut corporum curationi animarum cura succederet. Huic muneri cum sedulam ac piam operam navaret, dira tempestas adversus Christianos a Lycinio tyranno excitata fuit. Blasius divino instinctu, Christi consilio et exemplo in montem Argaeum se recepit, ac sese in speluncam abdidit, in qua rerum divinarum contemplationi vacans, ab ipsis feris, nativae feritatis oblitis, quotidianum victum accepit, et multis obsequiis cultus est.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: ℣ Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Descenditque cum illo in foveam: et in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio V.

Ubi tamdiu latuit, dum ab Agricolai praesidis militibus casu deprehensus, inde abstractus, et ad praesidem ductus, illius jussu in vincula conjectus est. Sed vinctus ipse, multos, quos ejus sanctimoniae fama acciverat, a diversorum morborum vinculis liberavit. In his puer fuit, qui desperata a medicis salute, transversa spina faucibus inhaerente, animam agebat. Illustris sane tum corporum, tum animarum medicus non humana, sed divina arte; non paratis a natura remediis, sed Christi gratia comparatis, aegros pristinae saluti restituit; omni fere miraculorum genere conspicuus. Nam Christi super aquas ambulantis, et Eliae Sareptanae viduae annonam multiplicantis miracula renovavit.

℟. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine, ℣ Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

Lectio VI.

Atrocissimis tormentis crudelissimi praesidis jussu cruciatus fuit. Duris verberibus caesus, tortus in equuleo, pectinibus ferreis dilaniatus, candenti lorica indutus, aliisque exquisitissimis suppliciis affectus est. Sed ejus fides probari quidem potuit, non tamen vinci. Dilacerato corpore, infractus animus restitit. Tandem victo tyranno, capite plexus, illustre fidei testimonium Ecclesiae reliquit tertio nonas Februarii anno Christi tercentesimo decimo sexto.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus: et aqua sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 19. c.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis: Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Et reliqua.

Homilia
Sancti Athanasii Episcopi.
In Apolog. de fuga sua, ante med.

In lege praeceptum erat, ut constituerentur civitates refugiorum, ut qui quomodocumque ad necem quaererentur, servari possent. In consummatione porro saeculorum cum advenisset illud ipsum Verbum Patris, quod Moysi antea locutum fuerat, rursus hoc praeceptum dedit: Cum vos, inquiens, persecuti fuerint in civitate ista, fugite in aliam. Pauloque post subjicit: Cum videritis illam abominationem desolationis, quae dicta est per Danielem Prophetam, consistentem in loco sancto (qui legit, intelligat): tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes: et qui in tecto est, ne descendat tollere aliquid de domo sua: et qui in agro est, non revertatur tollere tunicam suam.

℟. Corona aurea super caput ejus, * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa.

Lectio VIII.

Haec cum scirent Sancti, ejusmodi tenuerunt suae conversationis institutum. Quae enim nunc praecepit Dominus, eadem quoque ante suum in carne adventum locutus est in Sanctis: et hoc

institutum homines ad perfectionem ducit. Nam quod Deus jusserit, id omnino faciendum est. Ideoque et ipsum Verbum propter nos homo factum, non indignum putavit, cum quaereretur, quemadmodum et nos, abscondere se, et cum persecutionem pateretur, fugere et insidias declinare: cum autem a se definitum tempus ipse adduxisset, in quo corporaliter pro omnibus pati volebat, ultro seipsum tradidit insidiantibus.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: * Qui minas judicum non timuit, nec terrenae dignitatis gloriam quaesivit, sed ad coelestia regna pervenit.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Qui minas. Gloria Patri. Qui minas.

Lectio IX.

At vero sancti homines cum hanc quoque formam a Salvatore didicissent, (ab ipso enim et antea et semper omnes docebantur), adversus persecutores ut legitime certarent, fugiebant, et ab illis quaesiti se abscondebant. Cum enim praestituti sibi a divina providentia temporis finem ignorarent, nolebant insidiantibus se temere tradere: sed contra, cum scirent quod scriptum est, in manibus Dei esse hominum sortes, et Dominum mortificare et vivificare: potius in finem usque perseverabant, circumeuntes, ut ait Apostolus, in melotis et pellibus caprinis, egentes, angustiati, in solitudinibus errantes, et in speluncis et cavernis terrae latentes, quoad vel definitum mortis tempus veniret, vel qui tempus ipsum definierat Deus, cum eis loqueretur, et insidiantes cohiberet, aut certe persecutoribus eos traderet, utcumque illi placuisset.

Te Deum laudamus.

DIE VI. FEBRUARII.

In festo
S. Anastasiae Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi Mart. non Virg. praeter sequentia.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui beatam Anastasiam Martyrem tuam in flammis tibi canentem glorioso coronasti triumpho: concede, nos ejus intercessione charitatis igne ita incendi in terris, ut in coelis tuas laudes perpetuo canere mereamur. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadragesima de Comm. Confitebor.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Anastasia Romae nobilibus pa-

rentibus progenita est, et ut ejus virtus ex mollioris vitae gloriaeque contemptu illustrior fieret, puellula a Fausta matre femina caeteroquin nobilitate ac pietate insigni, fidem edocta, adolescentiam ad omne Christianae Religionis officium ita transegit, ut sancti Martyris Chrysogoni, quo institutore utebatur, piam expectationem superaret. Patris voluntati obsequens, Publio viro idolorum cultori se adjunxit, et in connubio ardentiori animo pietatem excoluit, ut quantum Publius impietate, tantum ipsa innocentia et mansuetudine praestaret. Orationi enim semper intenta, et charitatis operibus egenos juvans, Christianam Religionem et ad Dei cultum, et ad humani generis emolumentum plurimum conferre evicit. Haec vir ejus male passus, eam domestico pressit carcere, ubi a Chrysogono, qui et ipse Romae tunc temporis pro Christo vinctus erat, missis invicem, acceptisque epistolis, magno afficiebatur solatio.

℟. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Et deducet.

Lectio V.

Viro in Persica legatione interempto, Anastasia e custodia egrediens ingentem in pauperes opum vim effudit, multoque fuit praesidio Christifidelium in carceribus delitescentium inopiae ac solitudini. Aquilejam Chrysogonum secuta, velut agna pastorem, ibi ad ipsuis martyrium usque permansit, mortemque ejus non dolore, sed desiderio prosequebatur. In Orientem postea se contulit, ac dein in Occidentem reversa, innumeras peragravit urbes, ubique debiles roborans, nudos vestiens, esurientes alens, et pro Christo vexatos omnibus eximiae charitatis officiis fovebat. Tandem Syrmium se contulit, unde de more gementium Christianorum aerumnas qua aere, qua consilio, et exhortationibus levabat.

℟. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae.

℣. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Propterea.

Lectio VI.

Viduam hanc illustrem teterrimo Syrmii inclusam carcere, fame sitique laborantem per multos dies Deus ipse enutrivit, eamque pudore insignem ab Ulpiani idolorum sacerdotis nefandis conatibus Dominus, innocentiae custos, servavit illaesam. Ad praefectum vero Florum pertractam, minas ac tormenta, blanditiasque tormentis ipsis terribiliores alacri spernere animo miratae sunt Romanorum pariter, et Illyricorum gentes. Quae itaque Confesso-

rum pectora ad martyrium ubique inflamaverat, etiam in passione sua Apostolicis emicuit virtutibus: septuaginta namque feminas, ducentosque viros omnigena feritatis immanitate excruciatos solari, atque ad tormenta fortiter perferenda hortari meruit. Postremo ipsa manibus pedibusque ad palos revinctis, succensis circumquaque sarmentis, crudelissime exuritur, martyriumque consummavit in insula Palmaria, ac prima inter gloriosissimos Martyres, qui variis dein interfectionibus martyrium celebrarunt, coelum conscendit octavo Kalendas Januarii natali Domini nostri Jesu Christi die, imperante Diocletiano. Cineres et semiustulata ossa ejus civitas Constantinopolitana saeculo quinto gaudens excepit, quae Dalmatis saeculo nono in gratiam Nicephori Imperatoris restituta fuere, in pacis ac regiae dilectionis pignus.

℟. Fallax gratia, et vana est pulchritudo: ✻ Mulier timens Deum, ipsa laudabitur.

℣. Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus. Mulier. Gloria Patri. Mulier.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Simile est ... thesauro, de Communi: lectio IX. et commem. S. Dorotheae V. M. ut in Brev.

DIE VIII. FEBRUARII.

In festo

S. Juventii Episcopi Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif. praeter haec propria.

Oratio.

Adjuvet familiam tuam, quaesumus, Domine, sancti Confessoris tui, atque Episcopi Juventii intercessio gloriosa: ut pius exorator evadat, qui tui nominis egregius extitit praedicator. Qui vivis.

In primo Nocturno. Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. Fidelis sermo.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Juventius Aquilejae ortus, beati Syri discipulus, a beato Hermagora Aquilejensi Episcopo una cum eodem Syro Ticinum directus est. Ad illius Ecclesiae regimen semel et iterum vocatus, ita divino cultui intentus fuit, ut coelestem vitam in terris agere videretur. Pater pauperum, et viduarum patronus miris ipsos allevavit subsidiis. Impius foenerator, qui ejus supplici prece viduae pauperculae placari nequibat, aere, quod ultra debitum ab illa exigebat, a sancto Episcopo accepto, horrendo exitu expiravit. Magnum pecuniae pondus in Ticini profun-

dum casu collapsum, Juventii jussu ad summam undam supernatans, suo possessori restituit.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: ✻ Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V.

Trajanus cum Porphyrium ducem Ticinum misisset, ut Christicolas omnes gladio confoderet, populum Missae Sacrificio intentum in summo vitae discrimine desperare, optimus Pastor hortatus est, nec a divino cultu discedere. Templo interim multiplice milite completo; gladios, quos contra innoxium gregem impii evaginant, in se ipsos convertunt, et multis se plagis confodientes, extra templum extrudunt, pavimento hostili sanguine infecto, et Fidei osoribus eximio timore affectis; qui et magnum Christianorum Deum, et inania idola geminatis vocibus conclamantes, una cum Porphyrio in Christi baptismate gentilitiam superstitionem abluerunt et extinxerunt.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: ✻ Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

Cum aliquando Mediolanum diverteret, infideles Juventium ut diro verbere pulsarent aggredientes, ventorum procella et tempestate sunt percussi; sed sancti Praesulis ope implorata, et ejus oratione incolumes evaserunt, et idolorum impietate abjurata, Christianam Religionem amplexi, in eadem urbe Christum annuntiantes Fidelium militiam auxerunt. Ibi Clericis et Sacerdotibus constitutis, Ticinum rediens, in ejus suburbiis paralyticum sanitati restituit; plures vicos et castella inferioris Liguriae, et Placentino agro finitimos Apostolicis signis Christi vexillo subdidit. Demum in oratione pernoctans, a sanctis Syro, Nazario et Celso admonitus, perendie se ad coelestem gloriam transiturum, convocato Clero et populo, omnesque ad Christianas virtutes adhortatus, cunctis benedicendo, ad Deum gloriose evolavit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: ✻ Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia in Evangelium Homo peregere proficiscens, de Communi Conf. Pont. primo loco.

DIE IX. FEBRUARII.

In festo
S. Paulini Episcopi Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif. praeter haec propria.

In Hymno Iste Confessor, mutatur tertius versus.

Oratio. Da, quaesumus, de Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. Fidelis sermo.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Paulinus Patriarcha Aquilejensis ob morum integritatem et doctrinam Carolo Magno Imperatori apprime carus, eo potissimum auctore, eidem Ecclesiae praeponitur. Tantam in hoc munere prudentiae et sacerdotalis constantiae sibi famam adeptus est, ut merito in haereticis expugnandis, ac publicis rebus componendis in Italia, Gallia et Germania illius opera adhiberetur. In generali conventu Aquis celebrato Hadriani Primi Summi Pontificis vices gessit: mox in Concilio Reinoburgi coacto Felicem Episcopum Urgellitanum de haeresi convictum et damnatum suaviter coëgit, ut Romae coram Pontifice errorem suum ejuraret; quem iterum opera Elipandi Episcopi Toletani ab eodem Felice excitatum, iterum in plenario Francofordiensi Concilio profligandum curavit.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: ✻ Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V.

In Aquensi Concilio Imperatori persuasit, ut sancta Ecclesiae Dei jura sarta tecta servaret. Catholicam Fidem, quam viva voce adversus haereticos vindicaverat, egregiis etiam scriptis defendit. A Patribus Francofordiensis Concilii rogatus, et Libellum Sacro-syllabum, et alios tres coelestis doctrinae sale conditos adversus Elipandi Toletani, et Felicis Urgellitani nefarios errores conscripsit, quos ad Galliae et Hispaniae provincias direxit. Eximii ejus zeli amore captus Imperator, Aquilejensi Ecclesiae donationes jampridem factas probavit, amplioribusque collatis privilegiis atque immunitatibus auxit.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: ✻ Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

Ecclesiasticam disciplinam, quam ipse, forma factus gregis

ex animo, sibi prius exactissime observandam indixerat, in aliis ardentissime instaurandam suscepit. Forojulii et Altini provincialibus Synodis coactis, catholicum dogma adversus Felicianos errores iterum asseruit, canonesque edidit ad disciplinam moresque informandos sanctissimos. Mirae constantiae, et praeparati ad martyrium animi, effusae item in Deum et proximum charitatis, orationis et contemplationis dono adeo illustris fuit, ut principes viri, qui praecipuo dilectionis affectu eum prosequebantur, se ejus precibus multum commendaverint. His aliisque virtutibus, ac Sanctorum scientia clarus, plurimis pro Ecclesia Dei toleratis laboribus, in bona senectute migravit ad Dominum; ejusque corpus Forojulii in celebri Collegiata Ecclesia summa veneratione colitur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: ✻ Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Homo peregre, de Communi Conf. Pont. cum IX. lect. et commem. S. Apolloniae V. M. ut in Brev.

DIE XI. FEBRUARII.

In festo

BB. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V.

Duplex.

Vesperae de S. Scholastica, a Capit. de seq.

Si contigerit dici Vesp. primas horum BB. integras, tunc dicitur Antiph. Sapientia, cum reliq. de Laud. Psal. Dixit Dominus, cum reliq. de Dom., et loco ultimi, Psalm. Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. Hebr. 13. 7.

Fratres, mementote Praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.

Hymnus.

Festivis resonent cantica plausibus,
Et quam Virgo Parens provida destinat
Illustrem sobolem, lumine ut impleat
Orbem, laudibus efferant.
Hi sunt, qui patriae sedis honoribus
Calcatis, superant ardua montium,
Ut myrrhae lacrymas, atque animo ferant
Moestam thuris imaginem.
Hos satis decorat vestibus inclyta

Virgo, ut quam subiit, perniciem fleant,
Cum Nati ingemuit tristia funera
Crucis proxima stipiti.
Servorum titulo signat ab aethere
Coelestis Genitrix, et nova germina
In partem sociat luctus, et imperat
Coetum hinc surgere perpetem.
Regis qui superum volvere jugiter
Curet supplicium, saevaque praedicet
Quae in templo Simeon mente prophetica
Matris vulnera noverat.
Acclini Dominum te prece poscimus,
Sanctorum resera compita gressibus
Signata, et paribus nos quoque praebeas
Ad te pergere viribus.
Amen.

℣. Orate pro nobis, Septem beati Patres.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnificat, Antiph. Isti sunt Viri misericordiae, quorum pietates non defuerunt. Semen eorum et gloria eorum non derelinquetur.

Oratio.

Deus, qui ad recolendam memoriam Dolorum sanctissimae tuae Genitricis, per Septem beatos Patres nova servorum ejus familia Ecclesiam tuam foecundasti: concede propitius, ita nos eorum consociari fletibus, ut perfruamur et gaudiis. Qui vivis.

Deinde fit commem. S. Scholasticae Virg. ut in Brev., et feriae, si celebretur in Quadrag.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Mirabilem Dominum in Servis Deiparae, * Venite, adoremus.

Psal. Venite exultemus.

Hymnus.

Praeclara septem lumina
Tusci micantis Aetheris,
Vos Virgo Mater excitat,
Ut luce mundus splendeat.
Vos labra lacte perlita
Servos Mariae nominant:
Tum Virgo vos Senarios
Adire colles imperat.
Vos ipsa Mater inclyta
Funebri pallio induit,
Ut defleatis vulnera,
Quae pertulit saevissima.
Hoc ipsa coeli e culmine
Petro revelat Martyri:
Jubetque coetum perpetem
Hinc posteris constitui.
Qui famulentur jugiter,
Ipsamque semper diligant,
Colant, propagent, praedicent
Ejus dolores flebiles.
Quaeso, Duces fortissimi,
Ah vos sequamur strenue!
Ardor dolorque fervidus
In Virginem nos occupent.
Et tu, superna Trinitas,
Perfunde sancto robore,

Vitamque fac non imparem
Nostris Beatis ducere.
Amen.

In primo Nocturno.

Antiph. In vertice montium plantavit Regina Martyrum vineam justorum, qui dolores ejus meditabantur die ac nocte.

Psal. Beatus vir, qui non abiit, cum reliq. ut in Communi Confess. non Pontif.

Antiph. Domina dixit ad eos: Filii mei estis vos; exultate, quia ego vos genui.

Antiph. Voce sua ad Dominam clamaverunt, et exaudivit eos de monte sancto suo.

℣. Laetamini in Domino, et exultate justi.

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

De libro Ecclesiastici. C. 44.

Lectio I.

Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua a saeculo. Dominantes in potestatibus suis homines magni virtute, et prudentia sua praediti, nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum, et imperantes in praesenti populo, et virtute prudentiae populis sanctissima verba. In peritia sua requirentes modos musicos, et narrantes carmina scripturarum.

℟. Laetabitur deserta et invia, et exultabit solitudo: ✻ Et florebit quasi lilium.

℟. Germinans germinabit, et exultabit laetabunda et laudans. Et.

Lectio II.

Homines divites in virtute pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suae gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum: sunt, quorum non est memoria: perierunt, quasi qui non fuerunt: et nati sunt, quasi non nati, et filii ipsorum cum ipsis.

℟. Saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum: ✻ Quia scissae sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine.

℣. In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci. Quia.

Lectio III.

Sed illi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt: cum semine eorum permanent bona, haereditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum, et filii eorum propter illos usque in aeternum manent: semen eorum, et gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem: sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia.

℟. Haec est vera fraternitas, quae regnum mundi, et omnem ornatum saeculi contempsit: * Propter amorem Domini Jesu Christi.

℣. Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Propter amorem. Gloria Patri. Propter.

In secundo Nocturno.

Antiph. Non diligentes vanitatem, nec requirentes mendacium, omnia saeculi bona abdicaverunt, et a Domino mirificati sunt.

Antiph. In multitudine misericordiae Dominae suae sperantes, introierunt in domum ejus, et adoraverunt ad templum sanctum ejus.

Antiph. Ex ore infantium et lactentium, Servos tuos illos dicentium, perfecisti, Domina, laudem eorum. Quam admirabile est nomen tuum!

℣. Exultent justi in conspectu Dei.

℟. Et delectentur in laetitia.

Lectio IV.

Decimotertio Christiani nominis saeculo inter alios Florentinos Patritios septem erant avorum sanguine opibusque illustres, ac virtutibus spectatis suis longe illustriores, nuncupati, ut Religioni nomen dedere, Bonfilius Monaldius, Bonajuncta Manetti, Manettus Antellensis, Amideus de Amideis, Uguccio Uguccionius, Sosteneus de Sosteneis, demum Alexius de Falconeriis. Cum hi trigesimotertio supra millesimum ac bis centesimum annum, auspicatissimo Assumptae Virginis festo, in sodalitio quodam, cui titulus Laudentium erat, augustissimae Dei Genitrici, prout par erat, laudes exsolverent: ab eadem, dulcissime iis apparente, inopine moneri se sentiunt ad sublimioris vitae genus, posthabito mundo, amplectendum: absolutisque idcirco, quibus dabant operam, laudibus, confestim perciti in unum, collatisque mutuo consiliis, supernis Dei vocantis, vocantisque Deiparae oraculis parere mox decreverunt. Quod et sedulo factum est ab iisdem: nam consulto statim mature urbis Episcopo, post fortunae abdicatis bonis, erogatisque ample in egenos, ciliciis carni obstrictis, vilioribus detritisque vestibus cinerei coloris induti, in ruralem parvam aediculam secesserunt natalitio die amantissimae ipsorum Parentis, ut vitae sanctioris primordia optime inirent, qua die mortalibus orta sacratissimam vitam ipsa inchoaverat.

℟. Omnes isti congregati sunt, venerunt, Domina, tibi: * Et omnibus his velut ornamento vestieris.

℣. Et circumdabis tibi eos quasi sponsa. Et omnibus.

Lectio V.

Sic Septem beati Viri, charitatis foedere devincti, eadem in domo semet unierant; cum ecce

per urbem visos, statim, Domino sic disponente, moventeque infantiles voces Deipara ex infantium ore ac lactentium, inter quos tum puer erat sanctus Philippus Benitius vix quintum mensem ingressus, se Mariae clamari Servos, insperato est auditum. Quanta tunc et exinde amoris flamma in Dominam suam, cujus (ignaris ipsis) declarati Servi erant, excitatis studiis exarserint, non facile est explicatu. Illud solum scitur, quod sic ei se dediderunt, ut veluti Matrem suam venerari, maximoque honore habere, morem ei gerere in omnibus, et obtemperare propter eam cunctis summopere studuerint. Hinc etiam adeo jucundi gratique ei fuere, ut cum vitaturi populi plausum in Senarium Montem ab ipsa iis praeostensum habitaturi tetenderint, ibique crucifixum Jesum, moestissimamque Matrem dolentes assidue recolerent, apparuit illa eis, habituque lugubri assignato in memoriam Dolorum suorum, ut compaterentur istis, eos consecravit.

℟. Vocabo Servos meos, et induam illos tunica mea, et cingulo meo confortabo eos: ✱ Et potestatem meam dabo in manibus eorum.

℣. Et erunt quasi Patres habitantibus Jerusalem. Et potestatem meam.

Lectio VI.

Ita cinericiis vestibus, indulgente etiam Episcopo, in nigras mutatis, post nonnullos annos, fortunatis quidem auspiciis, clarissimum illud Praedicatorum Ordinis decus sanctus Petrus Martyr Florentiam accessit; et audita inspectaque simul non fucata sanctimonia ipsorum, ita Dei amici coeperunt se mutuo diligere, ut familiarissime versarentur invicem secum, seseque alterne foverent. Inter caetera porro illud accidit, quod sperante inclyto Martyre honorem Deo non modicum, magnum terris commodum proditum iri, si propitia Virgine longe lateque propagarentur, una cum ipsis impense eam exorante, ut argumento aliquo voluntatem suam patefaceret; invocata Virgo amans in visione ei revelavit, se Viros illos Septem, et qui venturi erant post eos, inter mundi homines omnes ad singulare servitium suum selegisse, et commiserandis poenis jam latis suis amarissimis constituendum Ordinem esse ad sui honorem et gloriam. Hoc prodigioso Virgineo decreto animati humillimi Patres, non quia suae menti fuisset successores posteros gignere, sed ut jussa reserata facerent supremae eorum Reginae, quae nomine suo duraturam sibi familiam fundari voluerat, instituere deinceps sacrum Servorum Ordinem decreverunt, non tam ut primi ejus Fundatores, quam ut coelestis suae Fundatricis ministri obsequentes: quos proinde Dominus, ut Servos bo-

nos et fideles suos ac Matris, in vita multis virtutibus, in morte multis prodigiis, post transitum multis miraculis adornavit: novissime vero Benedictus Decimustertius, ejus Instituti Professor, cujus sanctus Petrus erat, ejus quoque in eos haeres amoris, Pontifex renuntiatus, eorum miram Institutionem, ut inclaresceret orbi, lectionibus his recenseri peramanter consuluit ac mandavit.

℟. Vidi conjunctos viros habentes lugubres vestes, et Angelus Domini locutus est ad me dicens: ✻ Isti sunt Viri sancti facti amici Dei.

℣. Vidi Angelum Dei fortem volantem per medium coelum, voce magna clamantem, et dicentem: Isti. Gloria. Isti.

In tertio Nocturno.

Antiph. Ingredientes sine macula, et operantes justitiam, habitaverunt in tabernaculo tuo, et requieverunt in monte sancto tuo.

Antiph. Gloriam et magnum decorem imposuisti super eos, Regina Martyrum, cum in memoriam Dolorum tuorum lugubrem vestem eos induisti.

Antiph. Haec fuit generatio quaerentium Dominam, quaerentium Stellam ex Jacob. Te laudamus Rex gloriae.

℣. Justi autem in perpetuum vivent.

℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 12.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis: Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia
Venerabilis Bedae Presbyteri.

Lib. 4. Cap. 54. in Luc. 12.

Pusillum gregem electorum, vel ob comparationem majoris numeri reproborum, vel potius ob humilitatis devotionem nominat: quia videlicet Ecclesiam suam quantalibet numerositate jam dilatatam, tamen usque ad finem mundi humilitate vult crescere, et ad promissum Regnum humilitate pervenire. Ideoque ejus labores blande consolatus, quam regnum Dei tantum quaerere praecipit, eidem regnum a Patre dandum complacita benignitate promittit.

℟. Dabitur lugentibus Sion corona pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu moeroris: ✻ Et vocabuntur fortes justitiae, plantatio Domini ad glorificandum.

℣. Sacerdotes Domini vocabuntur Ministri Dei nostri. Et vocabuntur.

Lectio VIII.

Vendite quae possidetis, et date eleemosynam. Nolite, inquit, ti-

mere, ne propter regnum Dei militantibus hujus vitae necessaria desint: quin etiam possessa propter eleemosynam vendite. Quod tunc digne fit, quando quis semel pro Domino, suis omnibus spretis, nihilominus post haec labore manuum, unde et victum transigere, et eleemosynam dare queat, operatur. Unde gloriatur Apostolus, dicens: Argentum, et aurum, aut vestem nullius concupivi: ipsi scitis, quoniam ad ea, quae mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istae. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos.

℟. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: * Et flores mei fructus honoris et honestatis.

℣. Ego Mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. Et flores. Gloria Patri. Et flores.

Lectio IX.

Pacite vobis sacculos, qui non veterascunt: eleemosynas videlicet operando, quarum merces in aeternum maneat. Ubi non hoc praeceptum putandum est, ut nil pecuniae reservetur a Sanctis, vel suis scilicet, vel pauperum usibus suggerendae; cum et ipse Dominus, cui ministrabant Angeli, tamen ad informandam Ecclesiam suam loculos habuisse legatur, et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, aliisque indigentibus tribuens; sed ne Deo propter ista serviatur, et ob inopiae timorem justitia deseratur.

Te Deum laudamus.

Si celebretur in Quadragesima, nona Lectio legitur de Homilia feriae occurrentis.

AD LAUDES

et per Horas, Antiphona.

Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem.

Psal. Dominus regnavit, cum reliquis de Laudib. Dominicae.

Antiph. Isti sunt Viri Septem boni testimonii, pleni Spiritu Sancto, et sapientia.

Antiph. Apparuit eis Domina Angelorum, et dilexit eos in visione, et in agnitione magnalium suorum.

Antiph. Beati Viri tui, Regina omnium: beati servi tui, qui stant coram te semper.

Antiph. Laudem dicite Deo nostro, omnes Servi ejus, et qui timetis eum pusilli et magni.

Capitulum. Hebr. 13. 7.

Fratres, mementote Praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei; quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.

Hymnus.

Matris sub almae numine
Septena Proles nascitur:
Ipsa vocante, ad asperum
Senarii tendit verticem.

Quos terra fructus proferet,
Dum sacra Proles germinat,
Uvis repente turgidis
Onusta vitis edocet.
Virtute claros nobili
Mors sancta coelo consecrat:
Tenentque Olympi limina
Servi fideles Virgini.
O gens beata, respice
Regno potita Numinis,
Quos hinc recedens tartari
A fraude cinctos deseris.
Ergo per almae vulnera
Matris rogamus supplices,
Mentis tenebras amove,
Cordisque fluctus comprime.
Et tu, superna Trinitas,
Perfunde sacro robore,
Vitamque fac non imparem
Nostris Beatis ducere. Amen.

℣. Exultabunt Sancti in gloria.

℟. Laetabuntur in cubilibus suis.

Ad Benedictus Antiph. Fecit misericordiam Dominus cum Patribus nostris: erexit nobis cornu salutis in domo suae Genitricis. Serviamus illi.

Oratio.

Deus, qui ad recolendam memoriam Dolorum sanctissimae tuae Genitricis, per Septem beatos Patres nova Servorum ejus familia Ecclesiam tuam foecundasti: concede propitius, ita nos eorum consociari fletibus, ut perfruamur et gaudiis. Qui vivis.

Si celebretur in Quadrag. fit commem. feriae.

AD TERTIAM.

Antiph. Isti sunt Viri Septem.

Capit. Fratres, mementote, ut supra.

℟. br. Laetamini in Domino, * Et exultate Justi. Laetamini.

℣. Et gloriamini omnes recti corde. Et.

Gloria Patri. Laetamini.

℣. Exultent Justi in conspectu Dei.

℟. Et delectentur in laetitia.

AD SEXTAM.

Antiph. Apparuit eis Domina.

Capitulum. Eccli. 44.

Omnes isti in generationibus gentis suae gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus.

℟. br. Exultent Justi, * In conspectu Dei. Exultent.

℣. Et delectentur in laetitia. In.

Gloria Patri. Exultent.

℣. Justi autem in perpetuum vivent.

℟. Et apud Dominum est merces eorum.

AD NONAM.

Antiph. Laudem dicite Deo.

Capitulum. Eccli. 44.

Filii eorum propter illos usque in aeternum manent. Semen eorum, et gloria eorum non derelinquetur.

℟. br. Justi autem, * In perpetuum vivent. Justi.

℣. Et apud Dominum est merces eorum. In.

Gloria Patri. Justi.

℣. Exultabunt Sancti in gloria.

℟. Laetabuntur in cubilibus suis.

AD VESPERAS.

Antiph. Sapientia, cum reliquis, ut supra in Laudibus. Psalmi de Dominica, et loco ultimi, Psal. Laudate Dominum omnes gentes. A Capit. de S. Petro Nolasco. Si contigerit dici Vesp. secundas horum BB. integras, tunc dicitur Capit., Hymnus et ℣. ut in primis Vesperis.

Ad Magnificat. Antiph. O magnum charitatis opus! Regina generis humani primis nostris Patribus mire apparens, e mundo eos evocare, singulariter sibi seligere, lugubrem vestem induere, unaque cum posteris in peculiares servos ac filios consecrare dignata est. Te, Mater dulcissima et Domina, laudamus, benedicimus, glorificamus.

Oratio ut supra. Postea commem. feriae, si celebretur in Quadragesima.

DIE XII. FEBRUARII.

In festo

S. Petri Nolasco Confess.

Duplex.

Ex Breviario die 31. Januarii. Omnia ut ibi. In Quadrages. in primo Nocturno Lectiones, Beatus vir, de Communi secundo loco.

DIE XIII. FEBRUARII.

In festo

S. Joannis de Matha Conf.

Duplex.

Ex Breviario die 8. hujus. Omnia ut ibi.

DIE XIV. FEBRUARII.

In festo

S. Zoili Confessoris.

Semiduplex.

Oratio. Deus, qui nos, de Communi Conf. non Pontif.

In Hymno Iste Confessor, mutatur tertius versus.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrages. Beatus vir, de Communi secundo loco, reliqua de eodem Communi primo loco. Commem. S. Valentini Martyris.

DIE XV. FEBRUARII.

In festo

S. Marcelli Papae Mart.

Semiduplex.

Ex Breviario die 16. Januarii. In Quadrages. in primo Nocturno Lectiones: A Mileto, de Communi unius Martyris. Reliqua ibi, cum IX. lect. et commem. Ss. Faustini et Jovitae Mm.

DIE XVI. FEBRUARII.

In festo

S. Julianae Virginis Mart.

Semiduplex.

Omnia de Communi Virg. Mart. praeter sequentia.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quaeque confundas: concede propitius, ut qui beatae Julianae Virginis et Martyris tuae solemnia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. Confitebor.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Juliana nobilissima Nicomediensis Virgo tempore Maximiani Imperatoris a patre cuidam senatori Eleusio desponsata, numquam potuit neque blanditiis, neque minis adduci, ut sponsum acceptaret, nisi is Deum adoraret, quem ipsa adorat, et coloret Dominum, quem ipsa colit. Eapropter a patre graviter caesa, ipsi sponso tormentis affligenda egregia Virgo traditur; quae mox a quatuor locis extensa, aridis quidem nervis, viridibus autem viminibus, diu capillis in equuleo suspensa verberatur: magna autem diei parte pendens, propter violentam extensionem pellis a capite Virginis avellitur, et super frontem trahuntur supercilia. Ipsa vero hilari animo sufferens omnia, et laetabunda benedicens semper Dominum, aere liquefacto toto corpore perfunditur, sed illaesa evadens in carcerem truditur, ubi palam cum diabolo egregie conflixit.

℟. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Et deducet.

Lectio V.

Postera die e carcere educta, in fornacem ardentem injicitur; sed terribilis flamma piis Virginis lacrymis, cum indicibili spectantis populi admiratione, exstinguitur. Quo miraculo commoti viri numero circiter quingenti, una voce et mente exclamavere: Unus est Deus, unus, qui est Deus Martyris Julianae; quos et secutae sunt centum et triginta mulieres. Superans tandem ollam ferventem, gloriosa victrix Juliana capite plectitur. Cujus anima coelum in aeternum triumphatura conscendit, corpus vero a Sophia, nobili matrona Romana, Romam transportatum, ibidem condigno honore recolitur. Eleusius autem praefectus in mare demergitur.

℟. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae.

℣. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Propterea.

Ex libro sancti Cypriani Episcopi et Martyris de disciplina et habitu Virginum. Cap. 2.

Lectio VI.

Nunc nobis ad Virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria est, major et cura est. Flos est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiae spiritualis, laeta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiae matris gloriosa foecunditas: quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit. Ad has loquimur, has adhortamur affectione potius quam potestate: non quod extremi et minimi, et humilitatis nostrae admodum conscii aliquid ad censuram licentiae vindicemus: sed quod ad solicitudinem magis cauti, plus de diaboli infestatione timeamus.

℟. Afferentur Regi virgines post eam, proximae ejus, * Afferentur tibi in laetitia et exultatione.

℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Afferentur. Gloria Patri. Afferentur.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Simile erit regnum coelorum decem virginibus, ex eodem Communi primo loco.

DIE XVII. FEBRUARII.

In festo

Ss. Chrysanthiani et Soc. Martyrum.

Duplex.

Oratio.

Deus, qui nos concedis, de Communi plurimorum Martyrum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrages. Fratres debitores, de Communi primo loco, reliquae de eodem Communi secundo loco.

DIE XVIII. FEBRUARII.

In festo

S. Raymundi de Penafort Confessoris.

Semiduplex.

Ex Breviario die 23. Januarii. Omnia ut ibi. In Quadrages. Lectiones primi Nocturni, Beatus vir, de Communi secundo loco. Lect. IX. et commem. S. Simeonis Episcopi et Martyris.

DIE XIX. FEBRUARII.

In festo

S. Juliani de Bono Albergo Confessoris.

Semiduplex.

In Hymno Iste Confessor, mutatur tertius versus.

Oratio.

Adesto, de Communi Confessoris non Pontif.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrages. Beatus vir, de Communi Conf. non Pontif. secundo loco.

In secundo et tertio Nocturno Lectiones de eodem Communi secundo loco.

DIE XXIII. FEBRUARII.

In festo

S. Petri Damiani Ep., Conf. et Eccl. Doctoris.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. praeter ea, quae hic habentur.

In utrisque Vesp. ad Magnif. Antiph. O Doctor optime, Ecclesiae sanctae lumen, beate Petre, divinae legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

Oratio.

Concede nos, quaesumus, omnipotens Deus, beati Petri Confessoris tui atque Pontificis monita et exempla sectari: ut per terrestrium rerum contemptum aeterna gaudia consequamur. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. Fidelis sermo, de Communi Conf. Pontif.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Petrus, Ravennae honestis parentibus natus, adhuc lactens a matre numerosae prolis pertaesa abjicitur, sed domesticae mulieris opera semivivus exceptus, ac recreatus genitrici ad humanitatis sensum revocatae redditur. Utroque orbatus parente tamquam vile mancipium sub aspera fratris tutela duram servitutem exercuit. Religionis in Deum, ac pietatis erga patrem egregium tunc specimen dedit; inventum siquidem forte nummum non propriæ inediae sublevandae, sed Sacerdoti, qui divinum Sacrificium ad illius expiationem offerret, erogavit. A Damiano fratre, a quo, uti fertur, cognomentum accepit, benigne receptus, ejus cura litteris eruditur, in quibus brevi tantum profecit, ut magistris admirationi esset. Quum autem liberalibus scientiis floreret et nomine, eas cum laude docuit. Interim ut corpus rationi subderet, sub mollibus vestibus cilicium adhibuit, jejuniis, vigiliis et orationibus solerter insistens. Calente juventa,

dum carnis stimulis acriter urgeretur, insultantium libidinum faces rigentibus fluvii mersus aquis noctu extinguebat: tum venerabilia quaeque loca obire, totumque Psalterium recitare consueverat. Ope assidua pauperes levabat, quibus frequenter pastis convivio, propriis ipse manibus ministrabat.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: ✻ Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V.

Perficiendae magis vitae causa in Avellanensi Eugubinae Dioecesis Coenobio Ordini Monachorum sanctae Crucis Fontis Avellanae a beato Ludulpho, sancti Romualdi discipulo, fundato nomen dedit. Non ita multo post in Monasterium Pomposianum, mox in Coenobium sancti Vincentii Petrae Pertusae ab Abbate suo missus, utrumque asceterium verbo sacro, praeclaris institutionibus et moribus excoluit. Ad suos revocatus, post Praesidis obitum Avellanitarum familiae praeficitur, quam novis variis in locis extructis domiciliis, et sanctissimis institutis ita auxit, ut alter ejus Ordinis Parens, ac praecipuum ornamentum jure sit habitus. Salutarem Petri sollicitudinem alia quoque diversi instituti Coenobia, Canonicorum Conventus, et populi sunt experti. Urbinati Dioecesi non uno nomine profuit: Theuzoni Episcopo in causa gravissima assedit, ipsumque in recte administrando Episcopatu consilio et opera juvit. Divinorum contemplatione, corporis macerationibus caeterisque spectatae sanctimoniae exemplis excelluit. His motus Stephanus Nonus Pontifex Maximus eum licet invitum et reluctantem sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem creavit, et Ostiensem Episcopum. Quas Petrus dignitates splendidissimis virtutibus, et consentaneis Episcopali ministerio operibus gessit.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: ✻ Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

Difficillimo tempore Romanae Ecclesiae Summisque Pontificibus doctrina, legationibus aliisque susceptis laboribus mirifice adfuit. Adversus Nicolaitarum et Simoniacam haereses ad mortem usque strenue decertavit. Hujusmodi depulsis malis, Mediolanensem Ecclesiae Romanae conciliavit. Benedicto et Cadaloo falsis Pontificibus fortiter restitit. Henricum quartum Germaniae Regem ab uxoris divortio retinuit. Ravennates ad debita Romano Pon-

tifici obsequia restituit. Canonicos Veliternos ad sanctioris vitae leges composuit. In provincia praesertim Urbinate vix ulla fuit Episcopalis Ecclesia, de qua Petrus non sit benemeritus; Eugubinam, quam aliquando creditam habuit, multis levavit incommodis; alias alibi, quando oportuit, perinde curavit, ac suae essent tutelae commissae. Cardinalatu, et Episcopali dignitate depositis, nihil de pristina juvandi proximos sedulitate remisit. Jejunium sextae feriae in honorem sanctae Crucis Jesu Christi, horarias beatae Dei Genitricis preces ejusque die sabbato cultum propagavit. Inferendae quoque sibi verberationis morem ad patratorum scelerum expiationem provexit. Demum sanctitate, doctrina, miraculis, et praeclare actis illustris, dum e Ravennate legatione rediret, Faventiae octavo Kalendas Martii migravit ad Christum. Ejus Corpus ibidem apud Cistercienses multis miraculis clarum frequenti populorum veneratione colitur. Ipsum Faventini non semel in praesenti discrimine propitium experti, Patronum apud Deum delegerunt. Leo vero Duodecimus Pontifex Maximus Officium Missamque in ejus honorem tamquam Confessoris Pontificis, quae aliquibus in Dioecesibus, atque in Ordine Camaldulensium jam celebrabantur, ex sacrorum rituum Congregationis consulto, addita Doctoris qualitate, ad universam extendit Ecclesiam.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Vos estis sal terrae, de Communi Doctorum.

DIE XXV. FEBRUARII.

In festo

S. Margaritae de Cortona.

Duplex.

Officium ut in fine Breviarii sub die 23. hujus.

FERIA VI. POST CINERES.

Officium

SACRATISSIMAE SPINEAE CORONAE

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Antiph. Dilectus meus candidus, cum aliis ut infra in Laudibus. Psalmi de Dominica, et loco ultimi, Psal. Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. Cant. 3.

Egredimini et videte, filiae Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua.

Hymnus.

Exite, Sion filiae,
Regis pudicae virgines:
Christi coronam cernite,
Quam mater ipsa texuit.
Horret revulsis crinibus
Spinis cruentatum caput,
Et vultus ille decolor
Mortem propinquam respicit.
Quae terra sulcis invia,
Dumis rigens et sentibus,
Lugubre munus protulit?
Quae saeva messuit manus?
Christi rubescens sanguine
Aculeos mutat rosis,
Palmamque vincens fructibus,
Spina est triumphis aptior.
Culpis satae mortalium
Te, Christe, spinae vulnerant,
Evelle nostras, cordibus
Tuasque nostris insere.
Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito,
In saeculorum saecula.
Amen.

℣. Plectentes coronam de spinis.

℟. Posuerunt super caput ejus.

Ad Magnificat, Antiphona. Egredimini et videte, filiae Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua, parans crucem Salvatori suo.

Oratio.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui in memoriam passionis Domini nostri Jesu Christi Coronam ejus spineam veneramur in terris, ab ipso gloria et honore coronari mereamur in coelis. Qui tecum vivit.

Deinde fit commem. feriae.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Regem spinis coronatum: ✻ Venite, adoremus.

Psal. Venite, exultemus.

Hymnus. Exite, Sion filiae, uti superius in Vesperis.

In primo Nocturno.

Antiph. Erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, et fructum suum dabit in tempore suo.

Psalmus 1.

Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, * et in cathedra pestilentiae non sedit:

Sed in lege Domini voluntas ejus, * et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, * quod fructum suum dabit in tempore suo.

Et folium ejus non defluet: * et omnia, quaecumque faciet, prosperabuntur.

Non sic impii, non sic: * sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terrae.

Ideo non resurgent impii in judicio, * neque peccatores in concilio justorum.

Quoniam novit Dominus viam justorum, * et iter impiorum peribit.

Antiph. Erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, et fructum suum dabit in tempore suo.

Antiph. Convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Psalmus 2.

Quare fremuerunt gentes, * et populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum * adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum: * et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in coelis irridebit eos: * et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua: * et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus * praedicans praeceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, * et possessionem tuam terminos terrae.

Reges eos in virga ferrea: * et tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, reges, intelligite: * erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore: * et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, * et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus: * beati omnes, qui confidunt in eo.

Antiph. Convenerunt in unum

adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Antiph. In tribulatione dilatasti mihi.

Psalmus 4.

Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiae meae: * in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, * et exaudi orationem meam.

Filii hominum, usquequo gravi corde? * ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?

Et scitote, quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: * Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare: * quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiae, et sperate in Domino, * Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: * dedisti laetitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini et olei sui * multiplicati sunt.

In pace in idipsum * dormiam et requiescam.

Quoniam tu, Domine, singulariter in spe * constituisti me.

Antiph. In tribulatione dilatasti mihi.

℣. Gloria et honore coronasti eum, Domine.

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

De Isaia Propheta. Cap. 53.

Lectio I.

Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus, et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus.

℟. Maledicta terra in opere hominis: * Spinas et tribulos germinavit Christo.

℣. Quia comedit Adam de ligno, ex quo praeceperat Deus, ne comederet. Spinas.

Lectio II.

Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur: et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.

De angustia, et de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum.

℟. Apparuit Moysi Dominus in flamma ignis de medio rubi: * Et videbat, quod rubus arderet et non combureretur.

℣. Dixit ergo Moyses: Vadam, et videbo visionem hanc magnam. Et.

Lectio III.

Et dabit impios pro sepultura, et divites pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo, quod laboravit anima ejus, videbit, et saturabitur: in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit.

℟. Ecce ignis et ligna, Deus providebit sibi * Victimam holocausti.

℣. Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres haerentem. Victimam. Gloria Patri. Victimam.

In secundo Nocturno.

Antiph. Domine, ut scuto bonae voluntatis tuae coronasti me.

Psalmus 5.

Verba mea auribus percipe, Domine, * intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meae, * rex meus et Deus meus.

Quoniam ad te orabo: * Domine, mane exaudies vocem meam.

Mane astabo tibi, et videbo: * quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit juxta te malignus: * neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: * perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus: * ego autem in multitudine misericordiae tuae.

Introibo in domum tuam: * adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine, deduc me in justitia tua: * propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: * cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant: * judica illos, Deus.

Decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos: * quoniam irritaverunt te, Domine.

Et laetentur omnes, qui sperant in te: * in aeternum exultabunt, et habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes,

qui diligunt nomen tuum: * quoniam tu benedices justo.

Domine, ut scuto bonae voluntatis tuae * coronasti nos.

Antiph. Domine, ut scuto bonae voluntatis tuae coronasti me.

Antiph. Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum.

Psalmus 8.

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua * super coelos.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, * ut destruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo coelos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam et stellas, quae tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum * et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, * oves et boves universas, insuper et pecora campi.

Volucres coeli, et pisces maris, * qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Antiph. Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum.

Antiph. Peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent justum.

Psalmus 10.

In Domino confido; quomodo dicitis animae meae: * Transmigra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, * ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam, quae perfecisti, destruxerunt: * justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo: * Dominus in coelo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: * palpebrae ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum et impium: * qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos: * ignis, et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit: * aequitatem vidit vultus ejus.

Antiph. Peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent justum.

℣. Posuisti, Domine, super caput ejus.

℟. Coronam de lapide pretioso.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Serm. 2. de Epiph. Domini.

Lectio IV.

Egredimini, filiae Sion: vobis dicimus, filiae Sion, animae saeculares, debiles, delicatae, filiae, et non filii, in quibus nihil est fortitudinis, nihil est virilis animi. Egredimini de sensu carnis ad intellectum mentis, de servitute carnalis concupiscentiae ad libertatem spiritualis intelligentiae. Egredimini de terra vestra, et de cognatione vestra, et de domo patris vestri, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua, in corona paupertatis, in corona miseriae: siquidem coronatus est et a noverca sua corona spinea, corona miseriae, coronandus a familia sua corona justitiae, quando exibunt Angeli, et tollent de regno ejus omnia scandala, quando veniet ad judicium cum senioribus populi sui, cum pugnabit pro eo orbis terrarum adversus insensatos. Coronat eum et Pater corona gloriae, sicut ait Psalmista: Gloria et honore coronasti eum, Domine. Videte eum, filiae Sion, in diademate, quo coronavit eum mater sua.

℟. Cum apparuerit Princeps pastorum, quo percusso, dispersae sunt oves gregis: ✻ Percipiemus immarcescibilem gloriae coronam.

℣. Cum fecerit grande convivium, ut ostendat divitias gloriae regni sui. Percipiemus.

Lectio V.

Serm. 43. in Cant.

Ego, fratres, ab ineunte mea conversione pro acervo meritorum, quae mihi deesse sciebam, mihi fasciculum collectum ex omnibus anxietatibus et amaritudinibus Domini mei colligare et inter ubera mea collocare curavi. Memoriam abundantiae suavitatis horum eructabo, quoad vixero, in aeternum non obliviscar miserationes istas, quia in ipsis vivificatus sum. Mihi hic salutaris fasciculus servatus est: nemo tollet eum a me: inter ubera mea commorabitur. Haec meditari dixi sapientiam: in his justitiae mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiae, in his divitias salutis, in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis, ex his rursum suavis unctio consolationis. Haec me erigunt in adversis, in prosperis reprimunt, et inter laeta tristiaque vitae praesentis via regia incedenti tutum praebent utrobique ducatum, hinc inde mala imminentia propulsando. Haec mihi conciliant mundi Judicem, dum tremendum potestatibus, mitem humilemque figurant; dum non solum placabilem, sed et imitabilem repraesentant eum, qui inaccessibilis est principati-

bus, terribilis apud reges terrae.

℟. Accepit regnum decoris: * Et diadema speciei.

℣. Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Et.

Lectio VI.

Haec propterea mihi in ore frequenter, sicut vos scitis: haec in corde semper, sicut Deus scit: haec stylo meo admodum familiaria, sicut apparet: haec mea sublimior interim philosophia, scire Jesum, et hunc crucifixum. Non requiro, sicut sponsa, ubi cubet in meridie, quem laetus amplector mea inter ubera commorantem. Non requiro, ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem in cruce. Illud sublimius, istud suavius: panis illud, hoc lac: hoc viscera reficit parvulorum, hoc replet ubera matrum, et ideo inter ubera mea commorabitur. Hunc et vos, dilectissimi, tam dilectum fasciculum colligite vobis, hunc medullis inserite cordis, hoc munite aditum pectoris, ut et vobis inter ubera commoretur. Si enim ante oculos habueritis, quem portatis, pro certo videntes angustias Domini, levius vestras portabitis, ipso auxiliante Ecclesiae Sponso, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.

℟. Arcam de lignis Sethim deaurabis auro mundissimo intus et foris: * Faciesque supra coronam auream per circuitum.

℣. Pones in arca testificationem, quam dabo tibi. Faciesque. Gloria Patri. Faciesque.

In tertio Nocturno.

Antiph. Ingressus sine macula, et operatus justitiam, coronatus est in monte sancto tuo.

Psalmus 14.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo.

Qui ingreditur sine macula, * et operatur justitiam:

Qui loquitur veritatem in corde suo: * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit proximo suo malum: * et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: * timentes autem Dominum glorificat:

Qui jurat proximo suo, et non decipit: * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit haec, * non movebitur in aeternum.

Antiph. Ingressus sine macula, et operatus justitiam, coronatus est in monte sancto tuo.

Antiph. Super caput ejus coronam de lapide pretioso posuisti, Domine.

Psalmus 20.

Domine, in virtute tua laetabitur rex: * et super salutare tuum exultabit vehementer.

Desiderium cordis ejus tribuisti ei: * et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: * posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Vitam petiit a te, * et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magna est gloria ejus in salutari tuo: * gloriam et magnum decorem impones super eum.

Quoniam dabis eum in benedictionem in saeculum saeculi: * lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quoniam rex sperat in Domino, * et in misericordia Altissimi non commovebitur.

Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: * dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: * Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes, * et semen eorum a filiis hominum.

Quoniam declinaverunt in te mala: * cogitaverunt consilia, quae non potuerunt stabilire.

Quoniam pones eos dorsum: * in reliquiis tuis praeparabis vultum eorum.

Exaltare, Domine, in virtute tua: * cantabimus et psallemus virtutes tuas.

Antiph. Super caput ejus coronam de lapide pretioso posuisti, Domine.

Antiph. Adversus eos, qui tribulant me, impinguasti in oleo caput meum.

Psalmus 22.

Dominus regit me, et nihil mihi deerit: * in loco pascuae ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: * animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiae, * propter nomen suum.

Nam etsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala: * quoniam tu mecum es.

Virga tua et baculus tuus, * ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam, * adversus eos, qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: * et calix meus inebrians quam praeclarus est!

Et misericordia tua subsequetur me * omnibus diebus vitae meae.

Et ut inhabitem in domo Domini, * in longitudinem dierum.

Antiph. Adversus eos, qui tribulant me, impinguasti in oleo caput meum.

℣. Corona aurea super caput ejus.

℟. Expressa signo sanctitatis.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 19.

Lectio VII.

In illo tempore: Apprehendit

Pilatus Jesum et flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus. Et reliqua.

Homilia
Sancti Bernardi Abbatis.

Ex Serm. 50. de diversis.

Videte, filiae Sion, regem Salomonem. Non dicit Ecclesiasten aut Ididam: nam et his nominibus appellatus est rex ille: et significat Jesum Christum, nostrum verum Salomonem, qui est Salomon, id est, pacificus in exilio: Ecclesiastes, id est, concionator in judicio: Idida, id est, dilectus Domini in regno, ubique rex. In exilio mansuetus, in judicio justus, in regno gloriosus. In exilio amabilis, in judicio terribilis, in regno admirabilis. In diademate, quo coronavit eum mater sua. Est autem haec corona misericordiae, et in hac imitabilis. Coronavit eum et noverca sua corona miseriae, et in hac contemptibilis. Synagogam loquor, quae se ei non matrem exhibuit, sed novercam.

℟. Facies altare ad adolendum thymiama de lignis Sethim: * Faciesque ei coronam aureolam per gyrum.

℣. Ponesque altare contra velum coram propitiatorio. Faciesque.

Lectio VIII.

Coronabit eum familia sua corona justitiae, et in hac terribilis: coronat eum Pater suus corona gloriae, et in hac desiderabilis. Videant ergo eum peccatores in corona miseriae, id est, spinea, et compungantur: videant eum filiae Sion, animae affectuosae, in corona misericordiae, et imitentur: videbunt eum impii in corona justitiae, et peribunt: videbunt eum Sancti in corona gloriae, et perpetualiter gaudebunt. Coronantur quidem et alii imitatores ipsius, sed hoc ex industria adjuti per gratiam. Solus iste a matre coronatus est, quia solus cum ordinatis affectionibus tamquam sponsus e thalamo processit ex utero matris.

℟. Christus sciens dolorem et infirmitatem, spinis coronatus: * Ipse est, qui coronat vos in misericordia et miserationibus.

℣. Vulneratus propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus. Ipse est. Gloria Patri. Ipse est.

Lectio IX. erit de Homilia feriae occurrentis, post quam Te Deum.

AD LAUDES

et per Horas, Antiphona.

Dilectus meus candidus et rubicundus: comae capitis ejus sicut purpura regis vincta canalibus.

Psal. Dominus regnavit, cum reliquis de Dominica.

Antiph. Requievit super eum spiritus timoris Domini: corona

sapientiae et exultationis decoravit illum.

Antiph. Induit eum Dominus vestimentis salutis, et indumento justitiae, quasi sponsum decoratum corona.

Antiph. Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

Antiph. Rex aeternae gloriae pro nobis coronatus, benedicet coronae anni benignitatis suae.

Capitulum. Cant. 3.

Egredimini et videte, filiae Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua.

Hymnus.

Legis figuris pingitur
Christi corona nobilis:
Implexa spinis victima,
Ardensque testatur rubus.
Arcam corona cinxerat,
Mensaeque sacrum circulum;
Aramque thure fumidam
Corona nectit ambiens.
Christi dolorum conscia,
Salve, corona gloriae,
Gemmis et auro pulchrior,
Vincens coronas siderum.
Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito
In saeculorum saecula.
Amen.

℣. Eris corona gloriae in manu Domini.

℟. Et diadema regni in manu Dei tui.

Ad Benedictus, Antiph. Exivit Jesus portans spineam coronam, et purpureum vestimentum.

Oratio.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui in memoriam Passionis Domini nostri Jesu Chrisi Coronam ejus spineam veneramur in terris, ab ipso gloria et honore coronari mereamur in coelis. Qui tecum vivit.

Dein fit commem. feriae.

AD TERTIAM.

Antiph. Requievit super eum.

Capit. Egredimini, ut supra.

℟. br. Eris corona gloriae, * In manu Domini. Eris.

℣. Et diadema regni in manu Dei tui. In manu.

Gloria Patri. Eris.

℣. Gloria et honore coronasti eum, Domine.

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

AD SEXTAM.

Antiph. Induit eum.

Capitulum. Apoc. 6.

Vidi, et ecce equus albus, et qui sedebat super illum, habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens, ut vinceret.

℟. br. Gloria et honore * Coronasti eum, Domine. Gloria.

℣. Et constituisti eum super opera manuum tuarum. Coronasti.

Gloria Patri. Gloria et.

℣. Tuam coronam adoramus, Domine.

℟. Tuam gloriosam recolimus passionem.

AD NONAM.

Antiph. Rex aeternae gloriae.

Capitulum. Isaiae 28.

In die illa erit Dominus exercituum corona gloriae, et sertum exultationis residuo populi sui.

℟. br. Tuam coronam,* Adoramus, Domine. Tuam coronam.

℣. Tuam gloriosam recolimus passionem. Adoramus.

Gloria Patri. Tuam coronam.

℣. Plectentes coronam de spinis.

℟. Posuerunt super caput ejus.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis praeter sequentia.

Ad Magnificat, Antiphona. Et genu flexo ante eum illudebant ei dicentes: Ave, Rex Judaeorum: et expuentes in eum acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus.

Oratio ut supra, cum commem. feriae.

FERIA VI. POST DOMINICAM I. QUADRAGESIMAE.

Officium

LANCEAE ET CLAVORUM
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Antiph. Unus militum, cum reliquis ut infra in Laudibus. Psalmi de Dominica, et loco ultimi, Psal. Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. 1. Joan. 5. v. 5.

Charissimi: quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est Filius Dei? Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua et sanguine.

Hymnus.

Quaenam lingua tibi, o Lancea, debitas
Grates pro merito est apta rependere?
Christi vivificum namque aperis latus,
Unde Ecclesia nascitur.
Haec est Heva viri de latere exiens,
Olli membra gravis dum sopor occupat;
Hanc quippe alter Adam corde scatentibus
Unda et sanguine procreat.

O Clavi! aequa manet vos quoque gratia,
Christi quando sacris artubus insiti,
Deletum Domini sanguine figitis
Mortis chirographum cruci.
Te, Jesu, Superi laudibus efferant,
Qui clavorum aditus, signaque Lanceae
In coelo retines, vivus ubi imperas
Cum Patre atque Paraclito.
Amen.

℣. Foderunt manus meas, et pedes meos.

℟. Dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ad Magnificat, Antiphona. Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.

Oratio.

Deus, qui in assumptae carnis infirmitate Clavis affigi, et Lancea vulnerari pro mundi salute voluisti: concede propitius, ut qui eorumdem Clavorum et Lanceae solemnia veneramur in terris, de glorioso victoriae tuae triumpho gratulemur in coelis. Qui vivis.

Et fit commem. feriae occurrentis.

Ad Completorium et per Horas in fine Hymnorum dicitur.

Clavis forato et Lancea,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre et almo Spiritu
Nunc et per omne saeculum.
Amen.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Lancea et Clavis vulneratum, * Venite, adoremus.

Psal. Venite, exultemus.

Hymnus.

Salvete, Clavi et Lancea,
Squalore nuper obsita,
Quae, mersa Christi corpori,
Almo rubetis sanguine.
Vos ad scelus Judaica
Elegerat perfidia,
Sed in ministra gratiae
Vos vertit e coelo Deus.
Nam quot sacratis artubus
Sculpsistis olim vulnera,
E tot reclusis fontibus
Dona effluunt coelestia.
Clavis forato et Lancea,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre et almo Spiritu
Nunc et per omne saeculum.
Amen.

Si contigerit in Vesperis omitti Hymnum, ille dicatur ad Matutinum et Hymnus Matutini conjungatur cum Hymno ad Laudes.

In primo Nocturno.

Antiph. Ad Jesum autem cum venissent, non fregerunt ejus crura, sed unus militum Lancea latus ejus aperuit.

Psal. Beatus vir, cum reliquis ut in I. Noct. de Communi Confessoris non Pontificis.

Antiph. Exivit sanguis et aqua: et qui vidit testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus.

Psal. Quare fremuerunt gentes.

Antiph. Alia Scriptura dicit: Videbunt, in quem transfixerunt.

Psal. Domine, quid multiplicati sunt.

℣. Quem tu percussisti, persecuti sunt.

℟. Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

De Zacharia Propheta.

Cap. 12. v. 10.

Lectio I.

Haec dicit Dominus: Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiae et precum: et aspicient ad me, quem confixerunt. Et plangent eum planctu, quasi super unigenitum; et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon. Et planget terra: familiae et familiae seorsum, familiae domus David seorsum, et mulieres eorum seorsum: familiae domus Nathan seorsum, et mulieres eorum seorsum: familiae domus Levi seorsum, et mulieres eorum seorsum; familiae Semei seorsum, et mulieres eorum seorsum. Omnes familiae reliquae, familiae et familiae seorsum, et mulieres eorum seorsum.

℟. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: * Sed unus militum Lancea latus ejus aperuit.

℣. Et qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus. Sed unus.

Lectio II. Cap. 13.

In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris et menstruatae. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum: Disperdam nomina idolorum de terra, et non memorabuntur ultra; et pseudo-prophetas, et spiritum immundum auferam de terra. Et erit, cum prophetaverit quispiam ultra, dicent ei pater ejus, et mater ejus, qui genuerunt eum: Non vives, quia mendacium locutus es in nomine Domini; et configent eum pater ejus, et mater ejus, genitores ejus, cum prophetaverit. Et erit: in die illa confundentur prophetae, unusquisque ex visione sua cum prophetaverit: nec operientur pallio saccino, ut mentiantur: sed dicet: Non sum propheta, homo agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea.

℟. Unus militum Lancea latus ejus aperuit: * Et continuo exivit sanguis et aqua.

℣. In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem. Et continuo.

Lectio III.

Et dicetur ei: Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Framea, suscitare super pastorem meum et super virum cohaerentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem, et dispergentur oves, et convertam manum meam ad parvulos. Et erunt in omni terra, dicit Dominus: partes duae in ea dispergentur et deficient, et tertia pars relinquetur in ea. Et ducam tertiam partem per ignem, et uram eos, sicut uritur argentum, et probabo eos, sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, et ego exaudiam eum. Dicam: Populus meus es: et ipse dicet: Dominus Deus meus.

℟. In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem: * In ablutionem peccatoris et menstruatae.

℣. Hic est, qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus. In ablutionem. Gloria Patri. In ablutionem.

In secundo Nocturno.

Antiph. Aspicient ad me, quem confixerunt, et plangent eum planctu quasi super unigenitum.

Psal. Cum invocarem, cum reliquis ut in II. Noct. de eodem Communi.

Antiph. Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum?

Psal. Verba mea auribus percipe.

Antiph. His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.

Psal. Domine Dominus noster.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Attritus est propter scelera nostra.

Sermo Innocentii Papae Sexti.

In Decreto de festo Lanceae et Clavorum Domini.

Lectio IV.

In Redemptoris nostri Domini Jesu Christi sacratissima Passione sic nos gloriari oportet, ut ipsius Passionis cuncta mysteria dinumerantes et merita, singulis etiam ejus salutaribus instrumentis gloriemur. Inter quae illud celebriter memorandum est, quod ipse Salvator, emisso in cruce jam spiritu, sustinuit perforari Lancea latus suum, ut inde sanguinis et aquae profluentibus undis, formaretur unica et immaculata ac virgo, sancta mater Ecclesia sponsa sua. O beatissima ipsius sacri lateris apertura, unde nobis tot et tanta divinae pietatis dona fluxerunt! O felix Lancea, quae tot bona nobis efficere, et ad tanti triumphi gloriam meruit superaddi!

℟. Hic est, qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus: * Non in aqua solum, sed in aqua et sanguine.

℣. Tres sunt, qui testimonium

dant in terra: Spiritus, aqua et sanguis: et hi tres unum sunt. Non in aqua.

Lectio V.

Haec latus ipsum aperiendo, sacratissimas januas nobis regni coelestis aperuit. Haec vulnerando jam mortuum, vulnera nostra sanavit, vitamque nobis reddidit et salutem. Haec innoxium transfigendo, illius sanguine culpas nostras abstersit, et demum ejusdem sacratissimis undis irrigata, caecitatis nostrae tenebras sustulit, et nos divinae ipsius pietatis fluviis mundavit. Illi etiam dulces Clavi, (quibus ipse Salvator eidem cruci fuit affixus, quique non solum immaculato respergi sanguine, et molem ferre tanti ponderis meruerunt, sed et nos etiam per ipsorum salutiferas plagas dulcedinem tantam ipsius divinae charitatis accepimus, ut manus nostrae a peccati solutae nexibus, pedesque nostri a mortis laqueis fuerint liberati), sunt devotissime recolendi.

℟. Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me: * Foderunt manus meas et pedes meos.

℣. Dicetur ei: Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum. Foderunt.

Lectio VI.

Quid enim vulnere et plagis hujusmodi sanctius? Quid eis salubrius, ex quibus salus nostra processit, et in quibus assidue se possunt curare animae devotorum? Licet igitur Lancea, et Clavi praedicti, aliaque ipsius passionis salutaria instrumenta sint a cunctis fidelibus Christi ubilibet veneranda, et de ipsa etiam Passione in eadem Ecclesia solemnia annis singulis Officia celebrentur et fiant, dignum tamen et conveniens reputamus, si de ipsius Passionis specialibus instrumentis, et praesertim in partibus, in quibus instrumenta ipsa dicuntur haberi, solemne ac speciale festum celebretur et fiat: Nosque illos fideles Christi, qui aliqua ex instrumentis ipsius habere se gaudent, in eorum devotione divinis Officiis atque muneribus specialiter foveamus.

℟. Dicetur ei: Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicet: * His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.

℣. Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, non credam. His plagatus sum. Gloria Patri. His plagatus sum.

In tertio Nocturno.

Antiph. Foderunt manus meas et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.

Psal. 95. Cantate Domino, cum reliquis ut in III. Noct. de Communi Virg.

Antiph. Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et

mittam digitum meum in locum clavorum, et manum meam in latus ejus, non credam.

Psal. Dominus regnavit.

Antiph. Infer digitum tuum huc, et vide manus meas; et affer manum tuam, et mitte in latus meum.

Psal. 97. Cantate Domino.

℣. Disciplina pacis nostrae super eum.

℟. Et livore ejus sanati sumus.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 19.

Lectio VII.

In illo tempore: Sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia
Sancti Augustini Episcopi.

Tract. 120. in Joan.

Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud; sed aperuit: ut illic quodammodo vitae ostium panderetur, unde Sacramenta manaverunt, sine quibus ad vitam, quae vera vita est, non intratur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculum; haec et lavacrum praestat, et potum. Hoc praenuntiabat, quod Noë in latere arcae ostium facere jussus est, quo intrarent animalia, quae non erant diluvio peritura, quibus praefigurabatur Ecclesia.

℟. Facta sunt haec, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: * Videbunt, in quem transfixerunt.

℣. Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiae et precum. Videbunt.

Lectio VIII.

Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, et appellata est vita, materque vivorum. Magnum quippe significavit bonum ante magnum praevaricationis malum. Hic secundus Adam, inclinato capite, in cruce dormivit, ut inde formaretur ejus conjux, quae de latere dormientis effluxit. O mors unde mortui reviviscunt! Quid isto Sanguine mundius? Quid vulnere isto salubrius? Facta sunt enim haec, inquit, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

℟. Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiae et precum. * Et aspicient ad me, quem confixerunt.

℣. Et plangent eum planctu quasi super unigenitum. Et aspicient. Gloria Patri. Et aspicient.

Lectio IX. de Homilia feriae occurrentis, et post eam Te Deum.

AD LAUDES

et per Horas, Antiphona.

Unus militum Lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.

Psal. Dominus regnavit, cum reliquis de Laudibus Dominicae.

Antiph. Foderunt manus meas et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.

Antiph. Tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, aqua et sanguis: et hi tres unum sunt.

Antiph. Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum.

Antiph. Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum.

Capitulum. 1. Joan. 5. v. 5.

Charissimi, quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est Filius Dei? Hic est, qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua et sanguine.

Hymnus.

Tinctam ergo Christi sanguine
Convertite in me cuspidem;
Ferite cor, pedes manus,
Poenam a nocente sumite,
At, quaeso, culpis debitas,
Quas jure plagas figitis,
Cruore divino illitae
Fiant medela spiritus.
Sit gressus ad malum impotens,
Manus nocere desinant,
Omnisque corde e saucio
Profanus ardor exeat.
Clavis forato et Lancea,
Jesu, tibi sit gloria,
Cum Patre et almo Spiritu
Nunc et per omne saeculum.
Amen.

℣. Foderunt manus meas et pedes meos.

℟. Dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ad Benedictus, Antiphona. Inglorius erit inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum. Iste asperget gentes multas.

Oratio.

Deus, qui in assumptae carnis infirmitate Clavis affigi, et Lancea vulnerari pro mundi salute voluisti: concede propitius, ut qui eorumdem Clavorum et Lanceae solemnia veneramur in terris, de glorioso victoriae tuae triumpho gratulemur in coelis. Qui vivis. Et fit commem. feriae occurrentis.

Ad Primam in ℟. br. ℣. Qui vulneratus es pro nobis.

AD TERTIAM.

Antiph. Foderunt manus meas.

Capit. Charissimi, ut supra.

℟. br. Foderunt manus meas. * Et pedes meos. Foderunt.

℣. Dinumeraverunt omnia ossa mea. Et pedes.

Gloria Patri. Foderunt.

℣. Quem tu percussisti, persecuti sunt.

℟. Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

AD SEXTAM.

Antiph. Tres sunt.

Capitulum. I. Pet. 2. v. 21.

Fratres: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.

℟. br. Quem tu percussisti, * Persecuti sunt. Quem tu percussisti.

℣. Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Persecuti.

Gloria Patri. Quem tu percussisti.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Attritus est propter scelera nostra.

AD NONAM.

Antiph. Infer digitum tuum.

Capitulum. Ibid. v. 24.

Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiae vivamus: cujus livore sanati estis.

℟. br. Ipse vulneratus est. * Propter iniquitates nostras. Ipse.

℣. Attritus est propter scelera nostra. Propter.

Gloria Patri. Ipse.

℣. Disciplina pacis nostrae super eum.

℟. Cujus livore sanati sumus.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, praeter ult. Psal., cujus loco Credidi, propter quod locutus sum.

Ad Magnificat, Antiph. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo, et humiliatum.

Oratio ut supra in Laudibus. Et fit commem. feriae occurrentis.

FERIA VI. POST DOMINICAM II. QUADRAGESIMAE.

Officium
SACRATISSIMAE SINDONIS
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Antiph. Joseph nobilis decurio, cum reliquis de Laudibus. Psalmi de Dominica, et loco ult. Psal. Laudate Dominum omnes gentes. * Laudate eum omnes populi.

Capitulum. Isaiae 63.

Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suae. Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.

Hymnus.

Gloriam sacrae celebremus omnes
Sindonis: laetis recolamus hymnis,
Et piis votis monumenta nostrae
Certa salutis;
Quae refert semper veneranda Sindon
Sanguine impressis decorata signis,
Dum cruce ex alta tulit involutum
Corpus Jesu.
Reddit haec saevos animo dolores,
Quos tulit casum miseratus Adae
Christus humani generis Redemptor,
Morte perempta.
Saucium ferro latus atque palmas
Et pedes clavis, lacerata flagris
Membra, et infixam capiti coronam
Monstrat Imago.
Quis pius siccis oculis, et absque
Intimi cordis gemitu notata
Vivaque indignae simulacra mortis
Cernere possit?
Nostra cum solum tibi, Christe, culpa
Causa tantorum fuerit malorum,
Nostra debetur tibi vita; vitam
Dedimus ipsam.
Sit tibi, Fili, decus atque virtus
Qui tuo mundum redimis cruore,
Quique cum summo Genitore et almo
Flamine regnas. Amen.

℣. Tuam Sindonem veneramur, Domine.
℟. Tuam recolimus passionem.

Ad Magnificat, Antiph. Joseph, vir bonus et justus, acces-

sit ad Pilatum et petiit corpus Jesu; quo accepto, involvit illud in Sindone munda.

Oratio.

Deus, qui nobis in sancta Sindone, qua Corpus tuum sacratissimum e cruce depositum a Joseph involutum fuit, passionis tuae vestigia reliquisti: concede propitius, ut per mortem et sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis.

Et fit commem. feriae occurrentis.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Dominum, qui passionis suae memoriam in sacra Sindone renovat, * Venite, adoremus.

Psal. Venite, exultemus.

Hymnus.

Mysterium mirabile
Hac luce nobis panditur,
Verus Dei cum Filius
Mortem cruentam sustinet.
Causam tuendo servuli,
Reique formam vestiens,
Pro servo herus suspenditur,
Pro sonte justus plectitur.
Necis manent insignia,
Impressa sacra in Sindone,
Quae post triumphum nobilem
Corpus cruentum involverat.
Sunt mortis haec, et tartari,
Mundique victi insignia:
Trophaea sunt haec inclyta
Ductoris invictissimi.
Debemus ergo hanc gratiam
Nostrae salutis Vindici,
Ut daemonis contra dolos
Hac militemus tessera.
Vitae vetustae mortui
Surgamus in vitam novam
Christum secuti; per crucem
Christi fruemur gloria.
Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum.
Amen.

In primo Nocturno.

Antiph. Rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari.

Psalmus 4.

Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiae meae: * in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, * et exaudi orationem meam.

Filii hominum, usquequo gravi corde? * ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?

Et scitote, quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: * Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare: * quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiae, et sperate in Domino. * Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: * dedisti laetitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini et olei sui * multiplicati sunt.

In pace in idipsum * dormiam et requiescam.

Quoniam tu, Domine, singulariter in spe * constituisti me.

Antiph. Rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari.

Antiph. Aspersus est sanguis super vestimenta mea, omnia indumenta mea inquinavi.

Psalmus 15.

Conserva me, Domine, quoniam speravi in te. * Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatae sunt infirmitates eorum: * postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei: * tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in praeclaris: * etenim haereditas mea praeclara est mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: * insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Providebam Dominum in conspectu meo semper: * quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea: * insuper et caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno: * nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo: * delectationes in dextera tua usque in finem.

Antiph. Aspersus est sanguis super vestimenta mea, omnia indumenta mea inquinavi.

Antiph. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Psalmus 14.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, * et operatur justitiam:

Qui loquitur veritatem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit proximo suo malum, * et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: * timentes autem Dominum glorificat.

Qui jurat proximo suo et non decipit, * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit haec, * non movebitur in aeternum.

Antiph. Diviserunt sibi vesti-

menta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

℣. Tuam Sindonem veneramur, Domine.

℟. Tuam recolimus passionem.

De Isaia Propheta. Cap. 53.

Lectio I.

Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus, et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus.

℟. Ecce vidimus eum non habentem speciem neque decorem, aspectus in eo non est: Hic peccata nostra portavit, et pro nobis dolet; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, * Cujus livore sanati sumus.

℣. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Cujus livore.

Lectio II.

Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et sicut agnus coram tondente se obmutescet, et non apperiet os suum. De angustia et de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.

℟. Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum: * Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.

℣. Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohaerentem mihi. Et dicet.

Lectio III.

Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo, quod laboravit anima ejus, videbit, et saturabitur: in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem

animam suam, et cum sceleratis reputatus est: et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

℟. Tuam Sindonem veneramur, Domine, tuam gloriosam recolimus passionem: * Miserere nobis, qui passus es pro nobis.

℣. Salva praesentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam. Miserere. Gloria Patri. Miserere.

In secundo Nocturno.

Antiph. Quasi absconditus vultus ejus et despectus: unde nec reputavimus eum.

Psalmus 23.

Domini est terra, et plenitudo ejus: * orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum, * quaerentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portae aeternales: * et introibit rex gloriae.

Quis est iste rex gloriae? * Dominus fortis et potens, Dominus potens in praelio.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portae aeternales: * et introibit rex gloriae.

Quis est iste rex gloriae? * Dominus virtutum ipse est rex gloriae.

Antiph. Quasi absconditus vultus ejus et despectus: unde nec reputavimus eum.

Antiph. Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Psalmus 26.

Dominus illuminatio mea, et salus mea, * quem timebo?

Dominus protector vitae meae, * a quo trepidabo?

Dum appropiant super me nocentes, * ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei, * ipsi infirmati sunt, et ceciderunt.

Si consistant adversum me castra, * non timebit cor meum.

Si exurgat adversum me praelium, * in hoc ego sperabo.

Unam petii a Domino, hanc requiram, * ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.

Ut videam voluptatem Domini, * et visitem templum ejus.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: * in die malorum

protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petra exaltavit me: * et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: * cantabo, et psalmum dicam Domino.

Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te: * miserere mei, et exaudi me.

Tibi dixit cor meum: Exquisivit te facies mea: * faciem tuam, Domine, requiram.

Ne avertas faciem tuam a me: * ne declines in ira a servo tuo.

Adjutor meus esto: * ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus, et mater mea dereliquerunt me: * Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Domine, in via tua: * et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: * quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini * in terra viventium.

Expecta Dominum, viriliter age: * et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

Antiph. Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Antiph. Tradidit in mortem animam suam, et ipse peccata multorum tulit.

Psalmus 29.

Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me: * nec delectasti inimicos meos super me.

Domine, Deus meus, clamavi ad te, * et sanasti me.

Domine eduxisti ab inferno animam meam: * salvasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Domino, sancti ejus: * et confitemini memoriae sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus: * et vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus: * et ad matutinum laetitia.

Ego autem dixi in abundantia mea: * Non movebor in aeternum.

Domine, in voluntate tua, * praestitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me, * et factus sum conturbatus.

Ad te, Domine, clamabo: * et ad Deum meum deprecabor.

Quae utilitas in sanguine meo, * dum descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis, * aut annuntiabit veritatem tuam?

Audivit Dominus, et misertus est mei: * Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi: * conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia:

Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar: * Domine Deus meus, in aeternum confitebor tibi.

Antiph. Tradidit in mortem animam suam, et ipse peccata multorum tulit.

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

Sermo sancti Ambrosii Episc.

In Luc. 23.

Lectio IV.

Quid sibi vult, quod non Apostoli, sed Joseph et Nicodemus, ut Joannes dicit, Christum sepeliunt? Unus justus et constans: alter, qui erat magister in Israël. Talis enim Christi est sepultura, quae justitiam magisteriumque habeat. Obstruitur igitur tergiversandi locus, et domestico Judaei testimonio revincuntur. Nam si Apostoli sepelissent, dicerent utique non sepultum, quem sepultum raptum esse dixerunt. Justus autem Christi corpus operit Sindone, innocens ungit unguento. Namque haec non otiose distincta reperimus, quia justitia vestit Ecclesiam, innocentia gratiam subministrat.

℟. O admirabilis Sindon! * In qua involutus est thesaurus noster, redemptio captivorum.

℣. Gaudet totus mundus, qui redemptus est Sanguine Domini sui. In qua.

Lectio V.

Vesti ergo et tu Domini corpus gloria sua, ut et ipse sis justus. Et si mortuum credis, operi tamen divinitatis propriae plenitudine: unge illud myrrha et aloë, ut bonus odor Christi sis. Bonum linteum misit Joseph ille vir justus, et fortasse illud, quod Petrus vidit e coelo ad se esse demissum, in quo erant genera quadrupedum, et ferarum, et volucrum, ad similitudinem gentilium figurata. Mystico igitur unguento illo pistico consepelitur Ecclesia, quae diversitatem populorum fidei suae communione sociavit.

℟. Tulerunt tunicam Joseph fratres ejus, et in sanguine hoedi, quem occiderant, tinxerunt, mittentes qui ferrent ad patrem, et dicerent: * Hanc invenimus, vide num tunica filii tui sit, an non.

℣. Quam cum agnovisset pater, ait: Tunica filii mei est, fera pessima devoravit eum. Hanc invenimus.

Lectio VI.

Hunc Joseph justum Lucas dixit, Matthaeus divitem; et merito dives hoc loco dicitur, ubi corpus suscipit Christi: suscipiendo enim divitem, nescivit fidei paupertatem. Dives est ergo, qui justus est; justus igitur Sindone involvit; Israëlita vero et diversos miscet virtutum odores, et aloës mittit quasi libras centum, hoc est perfectae fidei quantitatem. Et ligaverunt corpus Jesu juxta consuetudinem specialem Judaeorum, non utique nodis perfidiae, sed fidei ligaturis; et posuerunt in horto, cui frequenter

Ecclesia comparatur, quae diversorum habet poma meritorum, floresque virtutum.

℟. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus: * Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.

℣. Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur. Qui peccatum. Gloria Patri. Qui peccatum.

In tertio Nocturno.

Antiph. Caro mea requiescet in spe, quia non dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Psalmus 59.

Deus, in nomine tuo salvum me fac: * et in virtute tua judica me.

Deus exaudi orationem meam: * auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quaesierunt animam meam: * et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me: * et Dominus susceptor est animae meae.

Averte mala inimicis meis: * et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi, * et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: * et super inimicos meos despexit oculus meus.

Antiph. Caro mea requiescet in spe, quia non dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Antiph. Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia.

Psalmus 75.

Notus in Judaea Deus: * in Israël magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus: * et habitatio ejus in Sion.

Ibi confregit potentias arcuum, * scutum, gladium et bellum.

Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis: * turbati sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum: * et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Ab increpatione tua, Deus Jacob, * dormitaverunt, qui ascenderunt equos.

Tu terribilis es, et quis resistet tibi? * ex tunc ira tua.

De coelo auditum fecisti judicium: * terra tremuit et quievit.

Cum exurgeret in judicium Deus, * ut salvos faceret omnes mansuetos terrae.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: et reliquiae cogitationis diem festum agent tibi.

Vovete, et reddite Domino Deo vestro, * omnes, qui in circuitu ejus affertis munera.

Terribili et ei, qui aufert spiritum principum, * terribili apud reges terrae.

Antiph. Convertisti planctum

meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia.

Antiph. Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Psalmus 87.

Domine, Deus sulutis meae, * in die clamavi et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: * inclina aurem tuam ad precem meam:

Quia repleta est malis anima mea: * et vita mea inferno appropinquavit.

Aestimatus sum cum descendentibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori: * in tenebrosis et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me: * posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar: * oculi mei languerunt prae inopia.

Clamavi ad te, Domine, tota die: * expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia? * aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, * et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, * et justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te, Domine, clamavi: * et mane oratio mea praeveniet te.

Ut quid, Domine, repellis orationem meam, * avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: * exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.

In me transierunt irae tuae: * et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die: * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum et proximum, * et notos meos a miseria.

Antiph. Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

℣. Omnis terra adoret te, et psallat tibi.

℟. Psalmum dicat nomini tuo, Domine.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum. Cap. 15.

Lectio VII.

In illo tempore: Cum jam sero esset factum, quia erat Parasceve, quod erat ante Sabbatum, venit Joseph ab Arimathaea, nobilis decurio, qui et ipse erat expectans regnum Dei. Et reliqua.

Homilia
Venerabilis Bedae Presbyteri.

In Evang. Marci.

Parasceve graece, latine praeparatio dicitur, quo nomine Judaei, qui inter Graecos morabantur, sextam Sabbati appellabant, eo quod in illo, ea, quae requiei Sabbati necessaria essent, praeparare solerent juxta hoc, quod de manna quondam praeceptum est: Sexta autem die colligetis duplum. Quia ergo sexta die factus est homo, et tota est mundi creatura perfecta, septima autem Conditor ab opere suo requievit, unde et hanc Sabbatum, hoc est, requiem voluit appellari: recte Salvator eadem sexta die crucifixus humanae restaurationis implevit arcanum; ideoque cum accepisset acetum, dixit: Consummatum est: hoc est, sextae diei, quod pro mundi refectione suscepi, jam totum est opus expletum. Sabbato autem in sepulchro requiescens, resurrectionis, quae octava die ventura erat, expectabat eventum.

℟. Mercatus est Joseph Sindonem mundam, ut involveret in ea corpus Domini: * Venit ergo et tulit corpus ejus.

℣. Rogavit Pilatum Joseph ab Arimathaea, ut tolleret corpus Jesu. Venit.

Lectio VIII.

Venit, inquit, Joseph ab Arimathaea nobilis decurio, qui et ipse erat expectans regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum et petiit corpus Jesu. Magnae quidem Joseph iste dignitatis ad saeculum, sed majoris apud Deum meriti fuisse laudatur. Talem namque existere decebat eum, qui corpus Domini sepeliret, qui et per justitiam meritorum tali ministerio dignus esset, et per nobilitatem potentiae saecularis facultatem posset obtinere ministrandi; non enim quilibet ignotus, aut mediocris ad praesidem accedere, et Crucifixi corpus poterat impetrare.

℟. Haec est Sindon dignissima, * In qua salutis Auctor de cruce depositus involvi dignatus est.

℣. Ut nos consepulti cum eo, veteris hominis exuviis depositis, innocentiae Sindone tergeremur. In qua. Gloria patri. In qua.

Lectio IX. de Homilia feriae currentis, et post eam Te Deum.

AD LAUDES

et per Horas, Antiphona.

Joseph nobilis decurio, vir bonus et justus et ipse dives, erat expectans regnum Dei.

Psalmi de Laudibus Dominicæ.

Antiph. Hic audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu.

Antiph. Cum cognovisset Pilatus a centurione, quod jam mortuus esset, donavit corpus Jesu.

Antiph. Joseph autem merca-

tus Sindonem, et deponens eum, involvit Sindone.

Antiph. Posuit eum in monumento, in quo nondum quisquam positus fuerat.

Capitulum. Isaiae 63.

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae? Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.

Hymnus.

Jesu, dulcis amor meus,
Ac si praesens sis, accedo:
Te complector cum affectu,
Tuorum memor vulnerum.
O quam nudum hic te cerno,
Vulneratum et distentum,
Inquinatum, involutum
In hoc sacro tegmine!
Salve, caput cruentatum
Spinis, cujus dulcis vultus
Immutavit suum florem,
Quem coeli tremit curia.
Salve, latus Salvatoris,
Salve mitis apertura,
Super rosam rubicunda,
Medela salutifera.
Manus sanctae, vos avete,
Diris clavis perforatae:
Ne repellas me, Salvator,
De tuis sanctis pedibus.
Amen.

℣. Dominus regnavit, decorem induit.

℟. Induit Dominus fortitudinem, et praecinxit se virtute.

Ad Benedictus, Antiph. Joseph nobilis decurio, expectans et ipse regnum Dei, mercatus est Sindonem, et deponens corpus Jesu, involvit illud in Sindone.

Oratio.

Deus, qui nobis in sancta Sindone, qua Corpus tuum sacratissimum e cruce depositum a Joseph involutum fuit, passionis tuae vestigia reliquisti: concede propitius, ut per mortem et sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis. Et fit commem. feriae.

AD TERTIAM.

Antiph. Hic audacter.

Capitulum. Quis est iste, ut supra.

℟. br. Tuam Sindonem, * Veneramur, Domine. Tuam Sindonem.

℣. Tuam recolimus passionem. Veneramur.

Gloria Patri. Tuam Sindonem.

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per mortem tuam redemisti mundum.

AD SEXTAM.

Antiph. Cum cognovisset.

Capitulum. Isaiae 63.

Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.

℟. br. Adoramus te, Chri-

ste, * Et benedicimus tibi. Adoramus.

℣. Quia per mortem tuam redemisti mundum. Et benedicimus tibi.

Gloria Patri. Adoramus.

℣. Omnis terra adoret te, et psallat tibi.

℟. Psalmum dicat nomini tuo, Domine.

AD NONAM.

Antiph. Posuit eum.

Capitulum. Isaiae 63.

Circumspexi, et non erat auxiliator: quaesivi, et non fuit, qui adjuvaret: et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.

℟. br. Omnis terra adoret te. * Et psallat tibi. Omnis terra.

℣. Psalmum dicat nomini tuo, Domine. Et psallat.

Gloria Patri, et Filio et Spiritui Sancto. Omnis.

℣. Dominus regnavit, decorem induit.

℟. Induit Dominus fortitudinem, et praecinxit se virtute.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, et loco ultimi, Psal. 141. Voce mea ad Dominum clamavi, ex feria VI. ad Vesperas.

Ad Magnificat, Antiph. Homo quidam dives ab Arimathaea nomine Joseph, accepto Corpore Jesu involvit illud in Sindone munda.

Oratio ut supra in Laudibus. Et fit commem. feriae occurrentis.

FERIA VI. POST DOMINICAM III. QUADRAGESIMAE.

Officium

SACRORUM QUINQUE VULNERUM

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Antiph. Vere languores nostros, cum reliquis ut infra in Laudibus. Psal. Credidi, propter quod, cum reliquis ut in Officio Commemorationis Passionis D. N. J. C. ex hoc Proprio, pag. 27, vel ut in feria V. in Coena Domini ex Breviario.

Capitulum. Isaiae 53.

Christus vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus.

Hymnus.

Pange, lingua, gloriosi
Lauream certaminis,

Et super Crucis trophaeo
Dic triumphum nobilem:
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.
De parentis protoplasti
Fraude Factor condolens,
Quando pomi noxialis
In necem morsu ruit:
Ipse lignum tunc notavit,
Damna ligni ut solveret.
Hoc opus nostrae salutis
Ordo depoposcerat:
Multiformis proditoris
Ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde,
Hostis unde laeserat.
Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab arce Patris
Natus, orbis Conditor:
Atque ventre virginali
Carne amictus prodiit.
Vagit infans inter arcta
Conditus praesepia:
Membra pannis involuta
Virgo Mater alligat:
Et Dei manus pedesque
Stricta cingit fascia.
Sempiterna sit beatae
Trinitati gloria,
Aequa Patri Filioque,
Par decus Paraclito:
Unius Trinique nomen
Laudet universitas.
Amen.

℣. Videbunt in quem transfixerunt.

℟. Et dolebunt super eum, ut in morte primogeniti.

Ad Magnificat, Antiph. Dum in Cruce penderet unigenitus Dei Filius, et ab omnibus subsannaretur, Mater ejus Virgo Maria ipsum verum Deum et hominem condolens venerabatur.

Oratio.

Deus, qui unigeniti Filii tui passione, et per quinque Vulnera ejus Sanguinis effusione humanam naturam peccato perditam reparasti: tribue nobis, quaesumus, ut qui ab eo suscepta Vulnera veneramur in terris, ejusdem pretiosissimi Sanguinis fructum consequi mereamur in coelis. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum.

Et fit commem. feriae.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum in cruce confixum, quinque Plagis vulneratum, * Venite, adoremus.

Psal. Venite, exultemus.

Hymnus Pange, lingua, gloriosi — Lauream certaminis, ut in Vesperis.

In primo Nocturno.

Antiph. Quis est, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?

Psalmus 10.

In Domino confido; quomodo dicitis animae meae: * Transmigra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, * ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam, quae perfecisti, de-

struxerunt: * justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo: * Dominus in coelo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: * palpebrae ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum et impium: * qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos: * ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit: * aequitatem vidit vultus ejus.

Antiph. Quis est, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?

Antiph. Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

Psalmus 14.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula: * et operatur justitiam:

Qui loquitur veritatem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit proximo suo malum, * et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: * timentes autem Dominum glorificat:

Qui jurat proximo suo et non decipit, * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit haec, * non movebitur in aeternum.

Antiph. Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

Antiph. Torcular calcavi solus, et de gentibus non fuit vir mecum.

Psalmus 23.

Domini est terra, et plenitudo ejus: * orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum, * quaerentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portae aeternales: et introibit rex gloriae.

Quis est iste rex gloriae? * Dominus fortis et potens, Dominus potens in praelio.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portae aeternales: * et introibit rex gloriae.

Quis est iste rex gloriae? *

Dominus virtutum ipse est rex gloriae.

Antiph. Torcular calcavi solus, et de gentibus non fuit vir mecum.

℣. Foderunt manus meas, et pedes meos.

℟. Dinumeraverunt omnia ossa mea.

De Isaia Propheta. Cap. 53.

Lectio I.

Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus, et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus.

℟. Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo, ✱ In quo habemus redemptionem per Sanguinem ejus in remissionem peccatorum.

℣. Ecce venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum in terras. In quo habemus.

Lectio II.

Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et sicut agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustia et de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate.

℟. Nos, qui aliquando eramus longe, facti sumus prope per Sanguinem Jesu Christi. ✱ Ipse est pax noxtra, qui fecit utraque unum.

℣. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. Ipse est.

Cap. 63.

Lectio III.

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae. Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.

Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum: calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea, et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi: dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meae venit: circumspexi, et non erat auxiliator; quaesivi et non fuit, qui adjuvaret.

℟. In primogenito ex mortuis complacuit omnem plenitudinem Divinitatis inhabitare, et per eum reconciliari omnia in ipsum. ✻ Pacificans per Sanguinem Crucis ejus, sive quae in coelis, sive quae in terris sunt.

℣. Ipse est caput corporis Ecclesiae, in omnibus primatum tenens. Pacificans. Gloria Patri. Pacificans.

In secundo Nocturno.

Antiph. Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.

Psalmus 21.

Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? ✻ longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies: ✻ et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, ✻ laus Israël.

In te speraverunt patres nostri: ✻ speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: ✻ in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, et non homo: ✻ opprobrium hominum, et abjectio plebis.

Omnes videntes me, deriserunt me: ✻ locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum: ✻ salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: ✻ spes mea ab uberibus matris meae. In te projectus sum ex utero:

De ventre matris meae Deus meus es tu, ✻ ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est: ✻ quoniam non est, qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi: ✻ tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum, ✻ sicut leo rapiens et rugiens.

Sicut aqua effusus sum, ✻ et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquescens ✻ in medio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis: ✻ et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: ✻ concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas, et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me: * diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me: * ad defensionem meam conspice.

Erue a framea, Deus, animam meam: * et de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis: * et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: * in medio ecclesiae laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum: * universum semen Jacob, glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israël: * quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis:

Nec avertit faciem suam a me: * et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in ecclesia magna: * vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum: * vivent corda eorum in saeculum saeculi.

Reminiscentur, et convertentur ad Dominum * omnes fines terrae.

Et adorabunt in conspectu ejus * universae familiae gentium.

Quoniam Domini est regnum: * et ipse dominabitur gentium.

Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terrae: * in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet: * et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura: * et annuntiabunt coeli justitiam ejus populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.

Antiph. Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.

Antiph. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.

Psalmus 65.

Jubilate Deo, omnis terra: psalmum dicite nomini ejus: * date gloriam laudi ejus.

Dicite Deo: Quam terribilia sunt opera tua, Domine! * in multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, et psallat tibi: * psalmum dicat nomini tuo.

Venite et videte opera Dei, * terribilis in consiliis super filios hominum.

Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: * ibi laetabimur in ipso.

Qui dominatur in virtute sua in aeternum, oculi ejus super gentes respiciunt: * qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.

Benedicite, gentes, Deum nostrum: * et auditam facite vocem laudis ejus.

Qui posuit animam meam ad

vitam: * et non dedit in commotionem pedes meos.

Quoniam probasti nos, Deus: * igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: * imposuisti homines super capita nostra.

Transivimus per ignem et aquam: * et eduxisti nos in refrigerium.

Introibo in domum tuam in holocaustis: * reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea.

Et locutum est os meum, * in tribulatione mea.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, * offeram tibi boves cum hircis.

Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, * quanta fecit animae meae.

Ad ipsum ore meo clamavi: * et exaltavi sub lingua mea.

Iniquitatem si aspexi in corde meo, * non exaudiet Dominus.

Propterea exaudivit Deus, * et attendit voci deprecationis meae.

Benedictus Deus, * qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me.

Antiph. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.

Antiph. Vulnus et livor et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.

Psalmus 75.

Notus in Judaea Deus: * in Israël magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus: * et habitatio ejus in Sion.

Ibi confregit potentias arcuum: * scutum, gladium et bellum.

Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis: * turbati sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum: * et nihil invenerunt, omnes viri divitiarum in manibus suis.

Ab increpatione tua, Deus Jacob, * dormitaverunt, qui ascenderunt equos.

Tu terribilis es, et quis resistet tibi? * ex tunc ira tua.

De coelo auditum fecisti judicium: * terra tremuit et quievit.

Cum exurgeret in judicium Deus, * ut salvos faceret omnes mansuetos terrae.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: * et reliquiae cogitationis diem festum agent tibi.

Vovete, et reddite Domino Deo vestro, * omnes, qui in circuitu ejus affertis munera.

Terribili et ei, qui aufert spiritum principum, * terribili apud reges terrae.

Antiph. Vulnus et livor et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.

℣. Vere languores nostros ipse tulit.

℟. Et dolores nostros ipse portavit.

De sermone sancti Bernardi Abbatis.

Lib. de Passione Domini, c. 41.

Lectio IV.

Captus est Jesus post plurimas illusiones tam Judaeorum, quam Gentium: post sanguinis plures effusiones clavis immitibus manibus simul et pedibus perforatur; et configitur ligno crucis Salvator noster mitissimus Jesus. Intuere et respice rosam passionis sanguineae, quomodo rubet in indicium ardentissimae charitatis. Contendunt passio et charitas: ista, ut plus ardeat; illa, ut plus rubeat.

℟. Per mortem destruxit Jesus eum, qui mortis habebat imperium: ✻ Ut liberaret eos, qui timore mortis obnoxii erant servituti.

℣. Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret. Ut liberaret.

Lectio V.

Vide, quomodo hoc flore rosae floruerit optima vitis nostra, rubicundus Jesus. Vide totum corpus, sicubi rosae sanguineae florem non invenias. Inspice manum unam et alteram, si florem rosae non invenias in utraque. Inspice pedem unum et alterum: numquid non rosei? Inspice lateris aperturam, quia nec illa caret rosa, quamvis ipsa subrubea sit propter mixturam aquae: quia, sicut narrat Evangelista, cum unus militum lancea latus ejus perforasset, exivit sanguis et aqua.

℟. Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum: ✻ Et sicut in Adam omnes peccaverunt, ita in Christo omnes vivificabuntur.

℣. Novissime autem inimica destruetur mors. Et sicut.

Ex eodem Divo Bernardo.

Serm. de Pass. Domini.

Lectio VI.

Respice, Domine sancte Pater, de sanctuario tuo, et de excelso coelorum habitaculo, et intuere hanc sacrosanctam Hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, sanctus Puer tuus Dominus Jesus, pro peccatis fratrum suorum, et esto placabilis super multitudine malitiae nostrae. Cognosce, Pater, tunicam filii tui Joseph. Heu! fera pessima devoravit eum, et conculcavit in furore suo vestimentum ejus. Ecce quinque scissuras lamentabiles in eo reliquit.

℟. Videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum, ✻ Ut pro omnibus gustaret mortem.

℣. Decebat eum, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari. Ut pro omnibus. Gloria Patri. Ut pro omnibus.

In tertio Nocturno.

Antiph. Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum?

Psalmus 95.

Cantate Domino canticum novum: * cantate Domino, omnis terra.

Cantate Domino et benedicite nomini ejus: * annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter gentes gloriam ejus, * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis: * terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dii gentium daemonia: * Dominus autem coelos fecit.

Confessio et pulchritudo in conspectu ejus: * sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino, patriae gentium, afferte Domino gloriam et honorem: * afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus: * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra: * dicite in gentibus, quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terrae, qui non commovebitur: * judicabit populos in aequitate.

Laetentur coeli, et exultet terra, commoveatur mare et plenitudo ejus: * gaudebunt campi et omnia, quae in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit, * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrae in aequitate, * et populos in veritate sua.

Antiph. Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum?

Antiph. His plagatus sum in domo eorum, qui me diligebant.

Psalmus 96.

Dominus regnavit, exultet terra: * laetentur insulae multae.

Nubes et caligo in circuitu ejus: * justitia et judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum praecedet, * et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terrae: * vidit et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, * a facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt coeli justitiam ejus * et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: * et qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum, omnes Angeli ejus: * audivit et laetata est Sion.

Et exultaverunt filiae Judae * propter judicia tua, Domine.

Quoniam tu Dominus Altissimus super omnem terram: * nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum, * custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde laetitia.

Laetamini justi in Domino: * et confitemini memoriae sanctificationis ejus.

Antiph. His plagatus sum in domo eorum, qui me diligebant.

Antiph. In amaritudine sermo meus est, et manus plagae meae aggravata est super gemitum meum.

Psalmus 97.

Cantate Domino canticum novum: * quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus, * et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum: * in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiae suae, * et veritatis suae, domui Israël.

Viderunt omnes termini terrae, * salutare Dei nostri.

Jubilate Deo, omnis terra: * cantate et exultate et psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi: * in tubis ductilibus, et voce tubae corneae.

Jubilate in conspectu regis Domini: * moveatur mare et plenitudo ejus, orbis terrarum, et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia, * et populos in aequitate.

Antiph. In amaritudine sermo meus est, et manus plagae meae aggravata est super gemitum meum.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Attritus est propter scelera nostra.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. C. 19.

Lectio VII.

In illo tempore: Sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia

S. Cyrilli Episcopi Alexandrini. Lib. 12. Comment. in Joan.

Cum ab immanibus Judaeis omnis in Christum expleta esset impietas, nec quidquam jam ad summam crudelitatem reliquum esset, ad extremum caro Christi sanctissima proprium quiddam ac naturale rursus patitur. Multis enim ac variis doloribus exsiccata, siti torquetur. Graves siquidem dolores magnam ad sitim commovendam vim habent, naturali quodam et inexplicabili calore humidum consumentes, et igneis ardoribus praecordia urentes.

℟. Manifestata est gratia Dei per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi: * Qui destruxit mortem, illuminavit autem vitam in incorruptionem.

℣. Liberavit et vocavit nos

vocatione sua sancta per gratiam, quae data est nobis in Christo. Qui destruxit.

Lectio VIII.

Consummatum esse ait impietatis Judaicae modum, et impotentem saeviendi animum. Quid enim Judaei intentatum reliquerunt, aut quid non extremae crudelitatis adhibuerunt? Quod supplicii aut contumeliae genus praetermiserunt? Quamobrem jure, Consummatum est, ait; sed hora jam eum ad praedicandum spiritibus, qui apud inferos erant, invitante (advenit enim, ut mortuorum ac vivorum dominaretur) ipsam pro nobis mortem suscepit, communem hanc naturae nostrae passionem sustinuit in carne sua. Cum autem Jesum caput inclinasse comperissent, et jam eum expirasse putarent, frustra ejus crura confringi existimant: sed cum adhuc mortuum esse nonnihil diffiderent, lancea latus ejus perfodiunt, unde cruor aqua mixtus scaturiit, quod Eulogiae mysticae et sancti baptismatis imago quaedam erat atque primitiae. Christi enim est vere, et a Christo sanctum baptisma, et mysticae Eulogiae vis ex sancta ejus nobis carne prodiit.

℟. Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo * In sanguine tuo.

℣. Fecisti enim nos Deo nostro regnum et sacerdotes. In sanguine. Gloria Patri. In sanguine.

Lectio IX. de Homilia feriae occurrentis, post quam Te Deum.

AD LAUDES

et per Horas Antiphona.

Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.

Psal. Dominus regnavit, cum reliquis de Dominica.

Antiph. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

Antiph. Alligavit Dominus plagam populi sui, et percussuram ejus sanavit.

Antiph. Omnis qui transibit, stupebit super omnes plagas ejus.

Antiph. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.

Capitulum. Isaiae 53.

Christus vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus.

Hymnus.

Lustra sex qui jam peregit,
Tempus implens corporis,
Sponte libera Redemptor,
Passioni deditus,
Agnus in crucis levatur
Immolandus stipite.

Felle potus ecce languet:
Spina, clavi, lancea
Mite corpus perforarunt:
Unda manat et cruor:
Terra, pontus, astra, mundus,
Quo lavantur flumine!
Crux fidelis, inter omnes
Arbor una nobilis:
Silva talem nulla profert
Fronde, flore germine:
Dulce ferrum, dulce lignum,
Dulce pondus sustinent.
Flecte ramos, arbor alta,
Tensa laxa viscera,
Et rigor lentescat ille,
Quem dedit nativitas;
Et superni membra Regis
Tende miti stipite.
Sola digna tu fuisti
Ferre mundi victimam,
Atque portum praeparare
Arca mundo naufrago,
Quam sacer cruor perunxit,
Fusus Agni corpore.
Sempiterna sit beatae
Trinitati gloria,
Aequa Patri Filioque,
Par decus Paraclito:
Unius Trinique nomen
Laudet universitas. Amen.

℣. Videbunt in quem transfixerunt.

℟. Et dolebunt super eum, ut in morte primogeniti.

Ad Benedictus, Antiphona. Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.

Oratio.

Deus, qui unigeniti Filii tui passione et per quinque Vulnera ejus Sanguinis effusione humanam naturam peccato perditam reparasti: tribue nobis, quaesumus, ut qui ab eo suscepta Vulnera veneramur in terris, ejusdem pretiosissimi Sanguinis fructum consequi mereamur in coelis. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum.

Postea ℣t commem. feriae occurrentis.

AD PRIMAM.

Antiph. Vere languores.

Ad Absolutionem Capituli dicitur Capitulum Nonae.

AD TERTIAM.

Antiph. Ipse autem.

Capit. Christus vulneratus, ut supra.

℟. br. Foderunt manus meas,* Et pedes meos. Foderunt.

℣. Dinumeraverunt omnia ossa mea. Et pedes.

Gloria Patri. Foderunt.

℣. O vos omnes, qui transitis per viam.

℟. Attendite et videte dolorem meum.

AD SEXTAM.

Antiph. Alligavit Dominus.

Capitulum. Isaiae 50.

Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me: Dominus Deus auxiliator meus, et ideo non sum confusus.

℟. br. Vere languores nostros * Ipse tulit. Vere.
℣. Et dolores nostros ipse portavit. Ipse.
Gloria Patri. Vere.
℣. Disciplina pacis nostrae super eum.
℟. Et livore ejus sanati sumus.

AD NONAM.

Antiph. O vos omnes.

Capitulum. Isaiae 53.

Tradidit Christus in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est: et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.
℟. br. Ipse vulneratus est, * Propter iniquitates nostras. Ipse.
℣. Attritus est propter scelera nostra. Propter.
Gloria Patri. Ipse.
℣. Oblatus est, quia ipse voluit.
℟. Et non aperuit os suum.

IN II. VESPERIS.

Antiphonae, Psalmi, Capitulum, Hymnus et ℣. ut in primis Vesperis.

Ad Magnificat, Antiphona. Ego sum vestra redemptio: manus meae, quae vos fecerunt, clavis confixae sunt; propter vos flagellis caesus sum, spinis coronatus sum, aquam petii pendens, et acetum porrexerunt; in escam meam fel dederunt, et in latus lanceam; mortuus et sepultus, resurrexi: vobiscum sum, et vivo in aeternum.

Oratio ut supra. Postea commem. feriae.

FESTA MARTII.

DIE III. MARTII.

In festo

Ss. Agapis et Sociarum Virg. Martyrum.

Duplex.

℣. Adducentur. ℟. Proximae.
Antiph. Prudentes virgines,
Oratio. Da nobis, quaesumus, de Communi plur. Virg. Martyr.
Reliqua omnia de eodem Communi primo loco.

DIE IX. MARTII.

In festo

Ss. Cyrilli et Methodii Episcoporum Confessorum.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. praeter sequentia.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos per beatos Pontifices et Confessores tuos Cyrillum et Methodium ad unitatem Fidei

Christianae vocare dignatus es: praesta, quaesumus, ut qui praesenti eorum festivitate laetamur, ipsorum etiam meritis gloriam consequi mereamur aeternam. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones Laudemus viros gloriosos, de Communi.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Cyrillus et Methodius germani fratres Thessalonicenses, exacta adolescentia, monasticum amplexi sunt institutum, in quo vitae sanctitate, et doctrina floruerunt. Apostolico muneri jam maturi, Evangelium Illyricae genti annuntiavere. Idcirco Nicolaus summus Pontifex ipsos Romam evocavit, ut quae pro salute animarum gesserant, eidem significarent. Illi autem, accepto tam laeto nuntio, valde gavisi sunt, quod ab Apostolica Sede vocari mererentur.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: ✻ Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V.

Porro Nicolaus, sive qui ei successit Hadrianus secundus humanissime eos excepit, eorumque in propaganda religione studium vehementer miratus, utrumque episcopali dignitate auctum, tamquam pastores proprios gregi illi, quem verbo et exemplo jam congregaverant, praefecit. Tunc acrius concredito sibi muneri instantes, divini verbi sonum usque ad ultimas Moraviae terras effuderunt. Verumtamen tam copiosae frugi invidens inimicus homo, interseruit zizania. Methodius namque malignantium laqueis irretitus, Romam, quo idcirco vocabatur, petere coactus est. Ibi vero cum ejus doctrina probata et collaudata esset, iterum illius Ecclesiae regimen eidem a Joanne Pontifice confirmatum est, datis in id Apostolicis litteris ad Moraviae Principem.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: ✻ Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

Methodio petente, idem Joannes Octavus facultatem celebrandi divina Officia suo idiomate Moravis elargitus est, ea adhibita lege, ut Evangelium latina etiam lingua caneretur. Ipsi quidem cum Illyricum idioma optime callerent, sacros codices in illud verterunt, excogitato itidem litterarum alphabeto, quod adhuc audit Cyrillianum. Emenso laborum cursu, ad coelos evolarunt. Eos autem tamquam Apostolos et Patronos Illyrica gens longe lateque

ad extremos borealis orbis fines propagata agnoscit, et veneratur septimo idus Martii. Corpora vero eorum asservantur Romae in Basilica sancti Clementis Papae, cujus corpus jam ab ipsis ex Taurica-Chersoneso delatum fuit, cum in Urbem vocati, summa pietate atque observantia Apostolica mandata sunt executi.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia in Evang. Vigilate, de Communi secundo loco.

DIE XI. MARTII.

In festo

S. Franciscae Romanae Viduae.

Duplex.

Dies assignata ex 9. hujus. Omnia ut ibi.

DIE XVI. MARTII.

In festo

Ss. Hilarii Ep. et Tatiani Diac. Martyrum.

Duplex.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum, praeter sequentia.

Oratio.

Beatorum Martyrum Hilarii Episcopi, et Tatiani Diaconi nos, quaesumus Domine, festa tueantur, et eorum commendet oratio veneranda. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones Fratres debitores, de Communi.

Si contingat transferri hoc festum ad tempus Paschale, dicantur Lectiones in primo Nocturno de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Hilarius Episcopus Aquilejensis una cum Archidiacono Tatiano a Monofanto impio idolorum sacerdote apud urbis praesidem Beronium Christianae Religionis accusatur; qui post multa colloquia, quibus eum a veri Dei cultu dimoveret, frustra habita, Hilarium in Herculis fanum intromisit, ut numini immolaret. A qua re cum eum summa constantia abhorrere videret, nudatum virgis caedi jussit. Et postquam triginta centuriones non solum se vicissim mutassent, sed virgas etiam permutandas curassent, furentis praesidis jussu in equuleo extenditur, ejusque pectus ungulis laniatur ita, ut patefacta interanea cernerentur. Quae atrocissima tormenta Christi Athleta tam invicto animo sustine-

bat, tamque dulces laudes efferebat Domino, ut omnes adstantes nimia admiratione afficerentur.

℟. Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, servientes praeceptis tuis, ut invenirentur illaesi in aquis validis: * Terra apparuit arida et in mari rubro via sine impedimento.

℣. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquae, et torrentes inundaverunt. Terra.

Lectio V.

Denuo Beronius verbis Hilarium ad idolorum cultum attrahere nititur, quem cum reticentem conspiceret, ejus dorsum carbonibus candentibus aduri, et sale cum aceto adspergi, plagasque camelorum cilicio perfricari jubet. Quae omnia constanter perpetiens Hilarius, oblatis ad Deum precibus, et Crucis signo in labiis facto, in deorum simulacra sufflavit, quae comminuta illico in humum ceciderunt. Qua re idolorum sacerdotum seditione orta, tyrannus ira flagrans sanctum Episcopum in carcerem detrudit. Altera die autem etiam Tatianum Archidiaconum minis primum, deinde verberibus a Christi Fide avertere studet, quod cum se assecuturum desperaret, eum quoque eodem carcere includit.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut haeredes fierent in domo Domini.

℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut haeredes.

Lectio VI.

Tatianum dum vidit beatus Hilarius, Domino gratias egit; deinde flexis genibus ambo simul oraverunt ad Deum, ut templum ipsum evertere dignaretur. Statim tonitru exorto, commota sunt urbis fundamenta, et continuo Herculis delubrum corruit, ut neque, ubi antea positum esset, animadverteretur. Tunc praeses sacerdotum furorem metuens, spiculatores quosdam ad custodiam misit, qui Christi Athletis capita obtruncarent. Subierunt autem martyrium cum ipsis et alii tres, qui Fidei causa in vinculis custodiebantur, Felix nempe, Largus et Dionysius decimo septimo Kalendas Aprilis, Numeriano imperante. Quorum omnium sacra corpora a Fidelibus noctu magno pretio redempta extra urbis pomeria digne condita sunt.

℟. Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum: * Quoniam donum et pax est electis Dei.

℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: et fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia in Evang. Cum au-

dieritis, de Communi primo loco, cum IX. lectione et commem. feriae.

Si vero hoc festum ad tempus paschale transferri contingat, dicantur Lectiones in tertio Nocturno de Communi secundo loco.

DIE XIX. MARTII.

In festo

S. Josephi Sponsi beatae Mariae Virginis, Patroni Austriæ.

Duplex I. Classis.

Officium ut in Breviario sub hac die.

DIE XXIV. MARTII.

In festo

S. Gabrielis Archangeli.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Antiph. Ingresso Zacharia, cum reliquis de Laudibus. Psal. Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica, et loco ultimi, Psal. Laudate Dominum, omnes gentes.

Capitulum. Dan. 9. f.

Ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans, tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me, et locutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, et intelligeres.

Hymnus.

Christe, sanctorum decus Angelorum,
Gentis humanae Sator et Redemptor,
Coelitum nobis tribuas beatas
Scandere sedes.

Angelus pacis Michaël in aedes
Coelitus nostras veniat, serenae
Auctor ut pacis lacrymosa in orcum
Bella releget.

Angelus fortis Gabriel, ut hostes
Pellat antiquos, et amica coelo,
Quae triumphator statuit per orbem,
Templa revisat.

Angelus nostrae medicus salutis
Adsit e coelo Raphaël, ut omnes
Sanet aegrotos, dubiosque vitae
Dirigat actus.

Virgo Dux pacis, Genitrixque lucis,
Et sacer nobis chorus Angelorum
Semper assistat, simul et micantis
Regia coeli.

Praestet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque Sancti
Spiritus, cujus resonat per omnem
Gloria mundum. Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.

℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Ad Magnificat, Antiphona. Ingressus Gabriel Angelus ad Mariam Virginem, dixit: Ave, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.

Oratio.

Deus, qui inter caeteros Angelos ad annuntiandum Incarnationis tuae mysterium Gabrielem Archangelum elegisti: concede propitius, ut qui festum ejus celebramus in terris, ipsius patrocinium sentiamus in coelis. Qui vivis.

Deinde fit commem. feriae occurrentis, si celebretur in Quadragesima.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Archangelorum Dominum, * Venite, adoremus.

Psal. Venite, exultemus.

Hymn. Christe, sanctorum, ut supra.

In primo Nocturno.

Antiph. Dixit Angelus Gabriel ad Danielem: Intellige, fili hominis, quoniam in tempore finis implebitur visio.

Psal. Domine Dominus noster, cum reliquis Psalmis Nocturnorum per ordinem, ut in festo Apparit. S. Michaëlis Archang. 8. Maji, vel ejus Dedicat. 29. Septembris.

Antiph. Ecce vir Gabriel, quem videram in visione, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, et docuit me.

Psal. In Domino confido.

Antiph. Cumque Gabriel loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram, et tetigit me, et statuit me in gradu meo.

Psal. Domine, quis habitabit.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.

℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Ex Daniele Propheta.

Cap. 9. c.

Lectio I.

Ego Daniel cum adhuc loquerer, et orarem et confiterer peccata mea, et peccata populi mei Israël, et prosternerem preces meas in conspectu Dei mei, pro monte sancto Dei mei: adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me, et locutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem.

℟. Cum oraret Daniel, et confiteretur peccata sua, et peccata populi sui, * Ecce Archange-

lus Gabriel cito volans tetigit eum in tempore sacrificii vespertini.

℣. Cumque prosterneret preces suas in conspectu Dei sui. Ecce.

Lectio II.

Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo, et animadverte. Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt: et rursum aedificabitur platea, et muri in angustia temporum.

℟. Locutus est Gabriel Danieli, et dixit: Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: * Ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es.

℣. Tu autem animadverte sermonem, et intellige visionem. Ego autem.

Lectio III.

Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis; et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.

℟. Ecce vir Gabriel, quem videram, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, et docuit me, et dixit: * Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, et intelligeres.

℣. Gabriel fac me intelligere istam visionem: et venit, et stetit juxta, ubi ego stabam, et ait ad me. Daniel. Gloria Patri. Daniel.

In secundo Nocturno.

Antiph. Gabriel Angelus apparuit Zachariae dicens: Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem.

Psal. Coeli enarrant.

Antiph. Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam? ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis.

Psal. Domini est terra.

Antiph. Respondens autem Angelus, dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et haec tibi evangelizare.

Psal. Benedicam Dominum.

℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini.

℟. De manu Angeli.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

Ex Homilia de Laudibus Virginis super Missus est.

Lectio IV.

Missus est Angelus Gabriel a Deo. Non arbitror, hunc Angelum de minoribus esse, qui qualibet ex causa crebra soleant ad terras fungi legatione. Quod ex ejus nomine palam intelligi datur, quod interpretatum, Fortitudo Dei dicitur; et quia non ab aliquo alio forte excellentiore se (ut assolet) spiritu, sed ab ipso Deo mitti perhibetur. Propter hoc ergo positum est, a Deo. Vel ideo dictum est, a Deo, ne cui, vel beatorum spirituum, suum Deus antequam Virgini revelasse putetur consilium, excepto dumtaxat Archangelo Gabriele. Qui utique tantae inter suos inveniri potuerit excellentiae, ut tali et nomine dignus haberetur et nuntio.

℟. Factum est, cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suae ante Deum, * Apparuit ei Angelus Gabriel stans a dextris altaris incensi.

℣. Cumque ingressus in templum Domini incensum poneret secundum consuetudinem sacerdotii sui. Apparuit.

Lectio V.

Nec discordat nomen a nuntio. Dei quippe virtutem Christum quem melius nuntiare decebat, quam hunc, quem simile nomen honorat? Nam quid est aliud fortitudo, quam virtus? Non autem dedecens, aut incongruum videatur, Dominum et nuntium communi censeri vocabulo, cum similis in utroque appellationis, non sit tamen utriusque similis causa. Aliter quippe Christus fortitudo vel virtus Dei dicitur, aliter Angelus. Angelus enim tantum nuncupative, Christus autem etiam substantive.

℟. Descendit Gabriel Angelus ad Zachariam, dicens: * Ne timeas, quoniam exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem.

℣. Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum: ait autem ad illum Angelus. Ne timeas.

Lectio VI.

Christus Dei virtus et dicitur, et est, qui forti armato, qui suum atrium in pace custodire solebat, fortior superveniens, ipsum suo brachio debellavit, et sic ei vasa captivitatis potenter eripuit. Angelus vero fortitudo Dei appellatus est, vel quod hujuscemodi meruerit praerogativam officii, quo ejusdem nuntiaret adventum virtutis: vel quia Virginem natura pavidam, simplicem, verecundam, ne miraculi novitate expavesceret, confortare deberet, quod et fecit: Ne timeas, inquiens, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Convenienter itaque Gabriel ad hoc opus eligitur: imo, quia tale illi ne-

gotium injungitur, recte tali nomine designatur.

℟. Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum; et missus sum loqui ad te, et haec evangelizare: * Ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem, quo haec fiant.

℣. Pro eo, quod non credidisti verbis meis, quae implebuntur tempore suo. Ecce eris. Gloria Patri. Ecce eris.

In tertio Nocturno.

Antiph. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

Psal. Cantate Domino.

Antiph. Gabriel Angelus Mariae dixit: Ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua.

Psal. Dominus regnavit, exultet.

Antiph. Suscipe verbum Virgo Maria, quod tibi a Domino per Angelum Gabrielem transmissum est.

Psal. Benedic anima mea Domino.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 1.

Lectio VII.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia

Sancti Juliani Archiepiscopi Toletani.

Lib. 2. contra Judaeos, statim post init.

Sacramentum illud septuaginta hebdomadarum de Christi nativitate Daniel per Angelum didicit: similiter et Zacharias, apparente sibi Angelo, Joannem filium de se generandum audivit; et Maria Angelo sibi praedicenti Christum ex se nascendum et credidit et assensit. Haec tria per Angelum dicta, et completa videmus. Jam ergo sollicite intuendum est, utrum Angelus iste, qui Zachariae et Mariae apparuit, ipsi quoque Danieli illa praedixerit.

℟. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph, nuntians ei verbum: et expavescit Virgo de lumine: * Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum: ecce concipies et paries, et vocabitur Altissimi Filius.

℣. Quae cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat, qualis esset ista salutatio, et ait Angelus ei. Ne timeas.

Lectio VIII.

Siquidem ipse Daniel in pro-

phetiae suae volumine, quando illa sacramenta hebdomadarum de Christi nativitate per Angelum futura cognovit, sic ipsius Angeli nomen evidenter expressit. Dicit enim: Ecce vir Gabriel, quem videram in principio, cito volans tetigit me, et dixit: Daniel, animadverte sermonem: et reliqua, quae ibi commemorantur. Item his temporibus secundum Evangelium Angeli ipsius nomen mirificum sic invenitur expressum. Dixit enim idem Angelus Zachariae: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et haec tibi evangelizare.

℟. Gaude, Maria Virgo, cunctas haereses sola interemisti: * Quae Gabrielis Archangeli dictis credidisti, dum Virgo Deum et hominem genuisti, et post partum Virgo inviolata permansisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quae. Gloria Patri. Quae.

Lectio IX. de feria occurrente, nisi transferatur post Octavam Paschae, quia tunc dicitur sequens.

Lectio IX.

Quod etiam de beatae Mariae Virginis partu sic in eodem Evangelio legitur: Missus est, inquit, Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen Virginis Maria. Jam ergo manifestum est, quod unus idemque Angelus Gabriel fuerit, qui et praefixa illa tempora Danieli de Christi nativitate aperuit, et partum Virginis praesentem esse monstravit. Ad tempus itaque praefinitum occurrit, et olim a se dicta, operis efficientia completa esse convincit; et illic fidelis in prophetia hebdomadarum, et hic fidelis per mysterium revelatum. Te Deum laudamus.

AD LAUDES

et per Horas, Antiphona.

Ingresso Zacharia templum Domini, apparuit ei Gabriel Angelus, stans a dextris altaris incensi.

Psal. Dominus regnavit, cum reliquis de Dominica.

Antiph. Ait autem Angelus: Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua.

Antiph. Ego sum Gabriel Angelus, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te.

Antiph. Gabriel Angelus locutus est Mariae, dicens: Ecce concipies in utero, et paries filium: et vocabis nomen ejus Jesum.

Antiph. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Gabriel Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

Capitulum. Dan. 9.

Ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me, et locutus est mihi, dixitque: Daniel: nunc egressus sum, ut docerem te, et intelligeres.

Hymnus.

Placare, Christe, servulis,
Quibus Patris clementiam
Tuae ad tribunal gratiae
Patrona Virgo postulat.
Et vos beata, per novem
Distincta gyros, agmina,
Antiqua cum praesentibus
Futura damna pellite.
Auferte gentem perfidam
Credentium de finibus,
Ut unus omnes unicum
Ovile nos Pastor regat.
Deo Patri sit gloria,
Natoque Patris unico,
Sancto simul Paraclito
In sempiterna saecula.
Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.

℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Ad Benedictus, Antiph. Gabriel Angelus descendit ad Zachariam, et ait illi: Uxor tua pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem, et multi in nativitate ejus gaudebunt: ipse enim praeibit ante faciem Domini parare vias ejus.

Oratio.

Deus, qui inter caeteros Angelos ad annuntiandum Incarnationis tuae mysterium Gabrielem Archangelum elegisti: concede propitius, ut qui festum ejus celebramus in terris, ipsius patrocinium sentiamus in coelis. Qui vivis.

Et fit commem. feriae, si celebretur in Quadragesima.

AD TERTIAM.

Antiph. Ait autem.

Capit. Ecce vir Gabriel, ut supra.

℟. br. Stetit Angelus * Juxta aram templi. Stetit.

℣. Habens thuribulum aureum in manu sua. Juxta.

Gloria Patri. Stetit.

℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini.

℟. De manu Angeli.

AD SEXTAM.

Antiph. Ego sum Gabriel.

Capitulum. Dan. 9.

Ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt, ut finem accipiat peccatum, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum.

℟. br. Ascendit fumus aromatum, * In conspectu Domini. Ascendit.

℣. De manu Angeli. In conspectu.

Gloria Patri. Ascendit.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

AD NONAM.

Antiph. Dixit autem Maria.

Capitulum. Dan. 9. g.

Scito ergo, et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt.

℟. br. In conspectu Angelorum, * Psallam tibi, Deus meus. In conspectu.

℣. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. Psallam.

Gloria Patri. In conspectu.

℣. Adorate Deum.

℟. Omnes Angeli ejus.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, sed loco ultimi, dicitur Psal. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: * quoniam audisti, ut in Vesperis Feriae VI. in Psalterio.

Capitulum et Hymnus ut supra in primis Vesperis.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Ad Magnificat, Antiphona. Archangelus Gabriel ait ad Mariam: Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab ea Angelus.

Oratio ut supra. In Quadragesima fit commemoratio feriae.

Si sequatur Festum Annunciat. B.M.V., secundae Vesperae fiant de seq. cum commem. S. Gabrielis et feriae.

FERIA VI. POST DOMINICAM IV. QUADRAGESIMAE.

Officium

PRETIOSISSIMI SANGUINIS

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Antiph. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua?

Psalmi de Dominica, et loco ultimi, Psal. Laudate Dominum omnes gentes.

Antiph. Ego, qui loquor justi-

tiam, et propugnator sum ad salvandum.

Antiph. Vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocatur nomen ejus, Verbum Dei.

Antiph. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

Antiph. Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.

Capitulum. Hebr. 9.

Fratres, Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa.

Hymnus.

Festivis resonent compita vocibus,
Cives laetitiam frontibus explicent,
Taedis flammiferis ordine prodeant
Instructi pueri et senes.
Quem dura moriens Christus in arbore
Fudit multiplici vulnere Sanguinem,
Nos facti memores dum colimus, decet
Saltem fundere lacrymas.
Humano generi pernicies gravis
Adami veteris crimine contigit,
Adami integritas et pietas novi
Vitam reddidit omnibus.
Clamorem validum summus ab aethere
Languentis Geniti si Pater audiit,
Placari potius Sanguine debuit,
Et nobis veniam dare.
Hoc quicumque stolam Sanguine proluit,
Abstergit maculas, et roseum decus,
Quo fiat similis protinus Angelis,
Et Regi placeat, capit.
A recto instabilis tramite postmodum
Se nullus retrahat, meta sed ultima
Tangatur; tribuet nobile praemium
Qui cursum Deus adjuvat.
Nobis propitius sis Genitor potens,
Ut quos Unigeni Sanguine Filii
Emisti, et placido Flamine recreas,
Coeli ad culmina transferas.
Amen.

℣. Redemisti nos, Domine, in Sanguine tuo.

℟. Et fecisti nos Deo nostro regnum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem, et testamenti novi mediatorem Jesum, et San-

guinis aspersionem melius loquentem, quam Abel.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui unigenitum Filium tuum mundi Redemptorem constituisti, ac ejus Sanguine placari voluisti: concede, quaesumus, salutis nostrae praetium solemni cultu ita venerari, atque a praesentis vitae malis ejus virtute defendi in terris, ut fructu perpetuo laetemur in coelis. Qui tecum vivit.

Et fit commem. feriae.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Dei Filium, qui suo nos redemit Sanguine, * Venite, adoremus.

Psal. Venite, exultemus.

Hymnus.

Ira justa Conditoris
Imbre aquarum vindice
Criminosum mersit orbem,
Noë in arca sospite:
Mira tandem vis amoris
Lavit orbem Sanguine.
Tam salubri terra felix
Irrigata pluvia,
Ante spinis, quae scatebat,
Germinavit flosculos;
Inque nectaris saporem
Transiere absynthia.
Triste protinus venenum
Dirus anguis posuit,
Et cruenta belluarum
Desiit ferocia:
Mitis Agni vulnerati
Haec fuit victoria.
O scientiae supernae
Altitudo impervia!
O suavitas benigni
Praedicanda pectoris!
Servus erat morte dignus,
Rex luit poenam optimus.
Quando culpis provocamus
Ultionem Judicis,
Tunc loquentis protegamur
Sanguinis praesentia;
Ingruentium malorum
Tunc recedant agmina.
Te redemptus laudet orbis
Grata servans munera,
O salutis sempiternae
Dux et auctor inclyte,
Qui tenes beata regna
Cum Parente et Spiritu.
Amen.

In primo Nocturno.

Antiph. Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen ejus Jesus.

Psalmus 2.

Quare fremuerunt gentes, * et populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum * adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum: * et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in coelis irridebit eos: * et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira

sua: * et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * praedicans praeceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus est tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, * et possessionem tuam terminos terrae.

Reges eos in virga ferrea, * et tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, reges, intelligite: * erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore: * et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, * et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus: * beati omnes, qui confidunt in eo.

Antiph. Postquam consummati sunt dies octo, ut circumciderentur Puer, vocatum est nomen ejus Jesus.

Antiph. Factus in agonia prolixius orabat, et factus est sudor ejus sicut guttae Sanguinis decurrentis in terram.

Psalmus 3.

Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es: * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi et soporatus sum: * et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge Domine, salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * et super populum tuum benedictio tua.

Antiph. Factus in agonia prolixius orabat, et factus est sudor ejus sicut guttae Sanguinis decurrentis in terram.

Antiph. Judas, qui eum tradidit, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos, dicens: Peccavi, tradens Sanguinem justum.

Psalmus 15.

Conserva me, Domine, quoniam speravi in te. * Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatae sunt infirmitates eorum: * postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars haereditatis meæ

et calicis mei: * tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in praeclaris: * etenim haereditas mea praeclara est mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: * insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Providebam Dominum in conspectu meo semper: * quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea: * insuper et caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno: * nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo: * delectationes in dextera tua usque in finem.

Antiph. Judas, qui eum tradidit, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos, dicens: Peccavi, tradens Sanguinem justum.

℣. Redemisti nos, Domine.

℟. In Sanguine tuo.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Hebraeos.

Cap. 9.

Lectio I.

Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulae aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? Et ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt aeternae haereditatis.

℟. Jesus, ut sanctificaret per suum Sanguinem populum, extra portam passus est: * Exeamus igitur ad eum extra castra improperium ejus portantes.

℣. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversus peccatum repugnantes. Exeamus.

Lectio II.

Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato Legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua et lana coccinea et hyssopo, ipsum quoque

librum et omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Etiam tabernaculum, et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit. Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur: et sine sanguinis effusione non fit remissio.

℟. Moyses sumptum sanguinem respersit in populum: * Et ait: Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum.

℣. Fide celebravit Pascha et sanguinis effusione, ne, qui vastabat primitiva, tangeret eos. Et ait.

Lectio III.

Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, et viventem per velamen, id est, Carnem suam, et Sacerdotem magnum super Domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem (fidelis enim est, qui repromisit), et consideremus invicem in provocationem charitatis, et bonorum operum.

℟. Vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi: * Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum.

℣. Complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per Sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt. Ipse enim. Gloria Patri. Ipse enim.

In secundo Nocturno.

Antiph. Pilatus, volens populo satisfacere, tradidit illis Jesum flagellis caesum.

Psalmus 22.

Dominus regit me, et nihil mihi deerit: * in loco pascuae ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: * animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiae, * propter nomen suum.

Nam etsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala: * quoniam tu mecum es.

Virga tua et baculus tuus, * ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam, * adversus eos, qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: * et calix meus inebrians quam praeclarus est!

Et misericordia tua subsequetur me * omnibus diebus vitae meae.

Et ut inhabitem in domo Domini, * in longitudinem dierum.

Antiph. Pilatus, volens populo satisfacere, tradidit illis Jesum flagellis caesum.

Antiph. Videns autem quia nihil proficeret, accepta aqua, lavit

manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a Sanguine Justi hujus.

Psalmus 29.

Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me: * nec delectasti inimicos meos super me.

Domine, Deus meus, clamavi ad te, * et sanasti me.

Domine, eduxisti ab inferno animam meam: * salvasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Domino, sancti ejus: * et confitemini memoriae sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus: * et vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus: * et ad matutinum laetitia.

Ego autem dixi in abundantia mea: * Non movebor in aeternum.

Domine, in voluntate tua, * praestitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me, * et factus sum conturbatus.

Ad te Domine, clamabo: * et ad Deum meum deprecabor.

Quae utilitas in sanguine meo, * dum descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis, * aut annuntiabit veritatem tuam?

Audivit Dominus, et misertus est mei: * Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi: * conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia:

Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar: * Domine Deus meus, in aeternum confitebor tibi.

Antiph. Videns autem, quia nihil proficeret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a Sanguine Justi hujus.

Antiph. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.

Psalmus 63.

Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor: * a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium, * a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas: * intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, et non timebunt: * firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt, ut absconderent laqueos: * dixerunt: Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates: * defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum: * et exaltabitur Deus.

Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum: * et infirmatae sunt contra eos linguae eorum.

Conturbati sunt omnes, qui vi-

debant eos: * et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei, * et facta ejus intellexerunt.

Laetabitur justus in Domino, et sperabit in eo: * et laudabuntur omnes recti corde.

Antiph. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.

℣. Sanguis Jesu Christi Filii Dei.

℟. Emundet nos ab omni peccato.

Sermo S. Joannis Chrisostomi.

Lectio IV.

Vultis Sanguinis Christi audire virtutem? redeamus ad ejus exemplum, et priorem typum recordemur, et pristinam scripturam narremus. In Aegypto, nocte media, Aegyptiis Deus plagam decimam minabatur, ut eorum primogenita deperirent, quia primogenitum ejus populum detinebant. Sed, ne amata plebs Judaeorum una cum illis periclitaretur, quia unus locus continebat universos, remedium discretionis inventum est. Proinde exemplum mirabile, ut discas in veritate virtutem. Ira divinae indignationis sperabatur, et domos singulas mortifer circuibat. Quid igitur Moyses? Occidite, inquit, agnum anniculum, et sanguine ejus linite januas. Quid ais, Moyses? Sanguis ovis rationalem hominem liberare consuevit? Valde, inquit, non eo, quod sanguis est, sed quia Dominici Sanguinis per eum demonstratur exemplum.

℟. In timore incolatus vestri conversamini: * Scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis.

℣. Sed pretioso Sanguine quasi agni immaculati Christi. Scientes.

Lectio V.

Nam sicut regnantium statuae, quae sine causa sunt et sermone, nonnumquam ad se confugientibus hominibus anima et ratione decoratis, subvenire consueverunt, non quia sunt aere confectae, sed quia retinent imaginem principalem: ita et sanguis ille, qui irrationalis fuit, animas habentes homines liberavit, non quia sanguis fuit, sed quia hujus Sanguinis ostendebat adventum. Et tunc Angelus ille vastator, cum linitos postes atque aditus perviderat, transjecit gressus, et non est ausus intrare. Nunc ergo si viderit inimicus, non postibus impositum sanguinem typi, sed fidelium ore lucentem Sanguinem veritatis Christi, templi postibus dedicatum, multo magis se subtrahet. Si enim Angelus cessit exemplo, quanto magis terrebitur inimicus, si ipsam perspexerit veritatem? Vis et aliam hujus Sanguinis scrutari virtutem? Volo. Unde primum cucurrit, inspicias, et de quo fonte manavit. De ipsa primum Cruce processit: latus illud Dominicum initium fuit. Mor-

tuo enim, ait, Jesu, et adhuc in Cruce pendente, approximat miles, latus lancea percussit, et exinde aqua fluxit et Sanguis: unum baptismatis symbolum, aliud sacramenti. Ideo non ait: Exiit Sanguis et aqua; sed, exiit aqua primum, et Sanguis: quia primum baptismate diluimur, et postea mysterio dedicamur.

℟. Empti estis pretio magno: * Glorificate et portate Deum in corpore vestro.

℣. Pretio empti estis: nolite fieri servi hominum. Glorificate et portate.

Lectio VI.

Latus miles aperuit, et templi sancti parietem patefecit. Et ego thesaurum praeclarum inveni, et fulgentes divitias me gratulor reperire. Sic et de illo agno factum est. Judaei ovem occiderunt, et ego fructum de sacramento cognovi. De latere Sanguis et aqua. Nolo tam facile, auditor, transeas tanti secreta mysterii. Restat enim mihi mystica atque secretalis oratio. Dixi baptismatis symbolum et mysteriorum, aquam illam et Sanguinem demonstrare. Ex his enim sancta fundata est Ecclesia per lavacri regenerationem, et renovationem Spiritus Sancti. Per baptisma, inquam, et mysteria, quae ex latere videntur esse prolata. Ex latere igitur suo Christus aedificavit Ecclesiam, sicut de latere Adam ejus conjux Heva prolata est. Nam hac de causa Paulus quoque testatur, dicens: De corpore ejus, et de ossibus ejus sumus; latus videlicet illud significans. Nam, sicut de illo latere Deus fecit feminam procreari: sic et de suo latere Christus aquam nobis et Sanguinem dedit, unde repararetur Ecclesia.

℟. Commendat charitatem suam Deus in nobis, * Quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.

℣. Multo igitur magis nunc justificati in Sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

In tertio Nocturno.

Antiph. Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum; et dixit eis: Ecce Homo.

Psalmus 73.

Ut quid, Deus, repulisti in finem: * iratus est furor tuus super oves pascuae tuae?

Memor esto congregationis tuae: * quam possedisti ab initio.

Redemisti virgam haereditatis tuae: * mons Sion, in quo habitasti in eo.

Leva manus tuas in superbias eorum in finem: * quanta malignatus est inimicus in sancto!

Et gloriati sunt, qui oderunt te, * in medio solemnitatis tuae.

Posuerunt signa sua, signa *

et non cognoverunt sicut in exitu super summum.

Quasi in silva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum: * in securi et ascia dejecerunt eam.

Incenderunt igni sanctuarium tuum: * in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.

Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: * Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vidimus, jam non est propheta: * et nos non cognoscet amplius.

Usquequo, Deus, improperabit inimicus? * irritat adversarius nomen tuum in finem?

Ut quid avertis manum tuam, et dexteram tuam * de medio sinu tuo in finem?

Deus autem rex noster ante saecula, * operatus est salutem in medio terrae.

Tu confirmasti in virtute tua mare: * contribulasti capita draconum in aquis.

Tu confregisti capita draconis: * dedisti eum escam populis Aethiopum.

Tu dirupisti fontes et torrentes: * tu siccasti fluvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox: * tu fabricatus es auroram et solem.

Tu fecisti omnes terminos terrae, * aestatem et ver tu plasmasti ea.

Memor esto hujus; inimicus improperavit Domino: * et populus insipiens incitavit nomen tuum.

Ne tradas bestiis animas confitentes tibi: * et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Respice in testamentum tuum: * quia repleti sunt, qui obscurati sunt terrae domibus iniquitatum.

Ne avertatur humilis factus confusus: * pauper et inops laudabunt nomen tuum.

Exurge Deus, judica causam tuam: * memor esto improperiorum tuorum, eorum, quae ab insipiente sunt tota die.

Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum: * superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

Antiph. Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum; et dixit eis: Ecce Homo.

Antiph. Et bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae, locum, ubi crucifixerunt eum.

Psalmus 87.

Domine, Deus salutis meae, * in die clamavi et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: * inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea: * et vita mea inferno appropinquavit.

Aestimatus sum cum descendentibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris; quorum non es memor amplius: * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori: * in tenebrosis et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me: * posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar: * oculi mei languerunt prae inopia.

Clamavi ad te, Domine, tota die: * expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia? * aut medici suscitabunt et confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, * et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, * et justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te, Domine clamavi: * et mane oratio mea praeveniet te.

Ut quid, Domine, repellis orationem meam, * avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: * exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.

In me transierunt irae tuae: * et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die: * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum et proximum, * et notos meos a miseria.

Antiph. Et bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae, locum, ubi crucifixerunt eum.

Antiph. Ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit Sanguis et aqua.

Psalmus 93.

Deus ultionum Dominus, * Deus ultionum libere egit.

Exaltare qui judicas terram: * redde retributionem superbis.

Usquequo peccatores Domine, * usquequo peccatores gloriabuntur?

Effabuntur et loquentur iniquitatem: * loquentur omnes, qui operantur injustitiam?

Populum tuum, Domine, humiliaverunt: * et haereditatem tuam vexaverunt.

Viduam et advenam interfecerunt: * et pupillos occiderunt.

Et dixerunt: Non videbit Dominus, * nec intelliget Deus Jacob.

Intelligite, insipientes in populo: * et stulti, aliquando sapite.

Qui plantavit aurem, non audiet? * aut qui finxit oculum, non considerat?

Qui corripit gentes, non arguet: * qui docet hominem scientiam?

Dominus scit cogitationes hominum, * quoniam vanae sunt.

Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, * et de lege tua docueris eum.

Ut mitiges ei a diebus malis, * donec fodiatur peccatori fovea.

Quia non repellet Dominus plebem suam * et haereditatem suam non derelinquet.

Quoadusque justitia convertatur in judicium: * et qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consurget mihi adversus malignantes? * aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?

Nisi quia Dominus adjuvit me, * paulo minus habitasset in inferno anima mea.

Si dicebam: Motus est pes meus: * misericordia tua, Domine, adjuvabat me.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, * consolationes tuae laetificaverunt animam meam.

Numquid adhaeret tibi sedes iniquitatis, * qui fingis laborem in praecepto?

Captabunt in animam justi: * et sanguinem innocentem condemnabunt.

Et factus est mihi Dominus in refugium, * et Deus meus in adjutorium spei meae.

Et reddet illis iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum disperdet eos: * disperdet illos Dominus Deus noster.

Antiph. Ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit Sanguis et aqua.

℣. Christus dilexit nos.

℟. Et lavit nos a peccatis nostris in Sanguine suo.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Cap. 19.

Lectio VII.

In illo tempore: Cum accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est: Et inclinato capite, tradidit spiritum. Et reliqua.

Homilia
Sancti Augustini Episcopi.

Tract. 120. in Joan.

Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit; ut illic quodammodo vitae ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiae manaverunt, sine quibus ad vitam, quae vera vita est, non intratur. Ille Sanguis in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculum; haec et lavacrum praestat et potum. Hoc praenuntiabat, quod Noë in latere arcae ostium facere jussus est, quo intrarent animalia, quae non erant diluvio peritura, quibus praefigurabatur Ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, et appellata est vita,

materque vivorum. Magnum quippe significavit bonum ante magnum praevaricationis malum. Hic secundus Adam inclinato capite in cruce dormivit, ut inde formaretur ei conjux, quae de latere dormientis effluxit. O mors, unde mortui reviviscunt! Quid isto Sanguine mundius? Quid vulnere isto salubrius?

℟. Hic est, qui venit per aquam et Sanguinem, Jesus Christus: * Non in aqua solum, sed in aqua et Sanguine.

℣. In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris. Non.

Lectio VIII.

Tenebantur homines captivi sub diabolo, et daemonibus serviebant. Sed redempti sunt a captivitate. Vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit redemptor, et dedit pretium. Fudit Sanguinem suum, et emit orbem terrarum. Quaeritis, quid emerit? Videte, quid dederit, et invenietis, quid emerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis? Quid, nisi omnes gentes? Valde ingrati sunt pretio suo, aut multum superbi sunt, qui dicunt, aut illud tam parum esse, ut solos Afros emerit, aut se tam magnos esse, pro quibus solis illud sit datum. Non ergo exultent, non superbiant. Pro toto dedit, quantum dedit.

℟. Praedestinavit nos Deus in adoptionem filiorum per Jesum Christum: * In quo habemus redemptionem per Sanguinem ejus.

℣. Remissionem peccatorum secundum divitias gratiae ejus, quae superabundavit in nobis. In quo. Gloria Patri. In quo.

Lectio IX. de Homilia feriae occurrentis, post quam Te Deum laudamus.

AD LAUDES

et per Horas, Antiphona.

Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venerunt?

Psalmi de Dominica.

Antiph. Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas in Sanguine Agni.

Antiph. Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte.

Antiph. Et ipsi vicerunt draconem propter Sanguinem Agni, et propter testamentum verbi sui.

Antiph. Beati, qui lavant stolas suas in Sanguine Agni.

Capitulum. Hebr. 9.

Fratres, Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa.

Hymnus.

Salvete, Christi vulnera,
Immensi amoris pignora
Quibus perennes rivuli
Manant rubentis Sanguinis.
Nitore stellas vincitis,
Rosas odore et balsama,
Pretio lapillos Indicos,
Mellis favos dulcedine.
Per vos patet gratissimum
Nostris asylum mentibus;
Non huc furor minantium
Umquam penetrat hostium.
Quot Jesus in praetorio
Flagella nudus excipit!
Quot scissa pellis undique
Stillat Cruoris guttulas!
Frontem venustam, proh dolor!
Corona pungit spinea;
Clavi retusa cuspide
Pedes manusque perforant.
Postquam sed ille tradidit
Amans volensque spiritum,
Pectus feritur lancea,
Geminusque liquor exilit.
Ut plena sit redemptio,
Sub torculari stringitur,
Suique Jesus immemor
Sibi nil reservat Sanguinis.
Venite, quotquot criminum
Funesta labes inficit,
In hoc salutis balneo
Qui se lavat, mundabitur.
Summi ad Parentis dexteram
Sedenti habenda est gratia,
Qui nos redemit Sanguine,
Sanctoque firmat Spiritu.
Amen.

℣. Justificati in Sanguine Christi.

℟. Salvi erimus ab ira per ipsum.

Ad Benedictus, Antiphona.

Erit Sanguis Agni vobis in signum, dicit Dominus: et videbo Sanguinem, et transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui unigenitum Filium tuum mundi Redemptorem constituisti, ac ejus Sanguine placari voluisti: concede, quaesumus, salutis nostrae pretium solemni cultu ita venerari, atque a praesentis vitae malis ejus virtute defendi in terris, ut fructu perpetuo laetemur in coelis. Qui tecum vivit.

Deinde fit commem. feriae.

Ad Primam in ℟. br. ℣. Qui tuo nos Sanguine redemisti.

Lectio brevis ut infra ad Nonam, Accipiens Moyses.

AD TERTIAM.

Antiph. Hi sunt, qui venerunt.

Capit. Fratres, Christus, ut supra.

℟. br. Redemisti nos, Domine, * In Sanguine tuo. Redemisti.

℣. Ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione. In.

Gloria Patri. Redemisti.

℣. Sanguis Jesu Christi Filii Dei.

℟. Emundat nos ab omni peccato.

AD SEXTAM.

Antiph. Ideo sunt ante thronum Dei.

Capitulum. Hebr. 9.

Si sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?

℟. br. Sanguis Jesu Christi Filii Dei, * Emundat nos. Sanguis.

℣. Ab omni peccato. Emundat.

Gloria Patri. Sanguis.

℣. Christus dilexit nos.

℟. Et lavit nos in Sanguine suo.

AD NONAM.

Antiph. Beati, qui lavant.

Capitulum. Hebr. 9.

Accipiens Moyses sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua et lana coccinea et hyssopo, ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus.

℟. br. Christus dilexit nos, et lavit nos, * In Sanguine suo. Christus.

℣. Et fecit nos regnum et Sacerdotes Deo et Patri. In.

Gloria Patri. Christus.

℣. Justificati in Sanguine Christi.

℟. Salvi erimus ab ira per ipsum.

IN II. VESPERIS.

Antiphonae, Psalmi et Hymnus ut in primis; sed loco ultimi Psalmi dicitur: Lauda Jerusalem Dominum.

℣. Te ergo, quaesumus, tuis famulis subveni.

℟. Quos pretioso Sanguine redemisti.

Ad Magnificat, Antiphona. Habebitis autem hunc diem in monumentum; et celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.

Oratio ut supra. Deinde fit commem. feriae.

FESTA APRILIS.

DIE III. APRILIS.

In festo

S. Abundii Episcopi Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. praeter sequentia.

Oratio. Exaudi, de Communi.

In primo Nocturno. In Quadrag. Lectiones, Fidelis sermo, de Communi.

Extra Quadrag. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Abundius, qui penes aliquos et Abundantius, patria Thessalonicensis, in locum Amantii, Comensis Episcopus creatus, tanto doctrinae et sanctitatis splendore fulgebat tunc temporis, cum Euthychis et Nestorii falsum dogma ferveret, ut a Leone Primo Pontifice Maximo cum Asterio Episcopo, et Basilio et Senatore Presbyteris ad Theodosium Augustum pro rebus Ecclesiae sit destinatus, ut ex Leonis epistolis constat. Quantae autem eruditionis et industriae fuerit, et in haeresibus confutandis diligentiae, Theodoreti Cyrensis Episcopi auctoris gravissimi, qui Calcedonensi Concilio interfuit, epistola praeclarissimum simul et gravissimum testimonium exhibet. Reversus in Occidentem Abundius, ab eodem Leone cum Senatore ad Eusebium Mediolanensem Episcopum cum Apostolicis mandatis pariter est directus. Ibi coacto Concilio quamplurium Episcoporum Leonis ad Flavianum Episcopum Constantinopolitanum epistola, quae haereses ipsas damnabat, miro omnium consensu laudata est et approbata, dictumque anathema iis, qui impie de Incarnationis Dominicae Sacramento sentiebant: extatque subscriptio Episcoporum illius Concilii, in quibus Abundius pro se, et pro Asimone Episcopo Curiensi Primae Rhaetiarum subscripsit.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V.

Post partam de haereticis victoriam, et impletum legationis officium, Abundius Comum reversus est, ubi divino operi intentus, omnes tandem Comenses, quicumque adhuc superstitione tenebantur, ad Christianam Religionem convertit. Quod hoc maximo miraculo est consecutus. Contigit enim per id tempus virum quemdam illustrem ac praedivitem Comensis Agri Regulum unica prole orbari, qui nondum Christianus domesticorum hortatu Abundio sanctitatis fama celeberrimo, tunc apud templum Apostolorum Petri et Pauli degenti, exanime corpusculum obtulit, atque ejus genibus obvolutus, ut defunctus puer pristinae luci redderetur, enixius obsecrabat, Christiani nominis professionem proinde ab universo populo repromittens. Tunc Abundius, semotis omnibus arbitris praeter pueri nutricem, Apostolorum Aedem, ubi defunctus jacebat, ingressus est, et ad supernum conversus auxilium, ejus resurrectionem orare coepit, quando nihil aeque rei Christianae profuturum vi-

deretur, ad fideles scilicet confirmandos, et incredulos convertendos.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

Peracta oratione defunctus resurrexit, quem parentibus deferendum Vir sanctissimus nutrici tradidit, praecipiens, ne cui hoc palam faceret; sed continere vocem illa non potuit, quin tantum miraculum statim evulgaret. Exinde Abundius, omni populo Comensi baptizato, quaecumque supererant deorum templa demolitus est, et Ecclesias aedificavit, ac omnem gentilitatis ritum penitus sustulit. Hac de causa creditur, Patronum a Comensibus habitum: summa namque veneratione colitur usque in hodiernum diem et a singulis artificum collegiis ejus solemni die serico panno quotannis decoratur. Sanctissimus demum Episcopus magnis laboribus pro Ecclesia Dei curisque perfunctus, die Paschae, peractis de more sacrificiis, adstanti populo sibi supremum diem adesse nuntiavit; habitaque brevi oratione, universos ad virtutem, et ad retinendam Religionem summopere cohortatus, spiritum Domino tradidit. Sepultus est in eadem Apostolorum Basilica, quae modo extra urbem, et proprio nomini dicata est, ubi summa veneratione colitur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Vigilate, de Communi secundo loco.

DIE XI. APRILIS.

In festo

S. Leonis I. Papae Conf. et Ecclesiae Doctoris.

Duplex.

Ad Magnificat in utrisque Vesperis, Antiphona. O Doctor. Reliqua ut in Breviario.

DIE XII. APRILIS.

In festo

S. Zenonis Episcopi Mart.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. praeter sequentia.

Oratio. Deus qui nos, de Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. A Mileto, de Communi.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Zeno Veronae Episcopus, et Doctor, plurimos doctrina, sanctitate et miraculis ab idolorum cultu ad veram Christi Religionem convertit. Gallieni Imperatoris unicam filiam, a daemone diro vexatam, ab eodem accersitus Imperatore, liberavit. Coronam auream, quam capite gestabat Gallienus, et ipsi dono dederat, comminutam in pauperes distribuit.

Temp. pasch. ℟. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, * Et aeternitas temporum, allel. alleluja.

℣. Laetitia sempiterna erit super capita eorum, gaudium et exultationem obtinebunt. Et aeternitas.

Extra tempus paschale.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio V.

Cum autem ii, qui a Gallieno missi fuerant, ut Zenonem accerserent, et ab eo piscante tribus lectissimis ex iis, quos ceperat, piscibus donati fuissent, numero non contenti, quartum furtim sublatum addiderunt, qui simul cum tribus a sancto Viro acceptis in ferventem aquam conjectus, tamdiu vivus in ea, caeteris suo tempore coctis, ludibundus natavit, quoad illi miraculo attoniti ad Virum sanctum redeuntes, et se furti reos confitentes, ab eo veniam impetrarunt.

Temp. pasch. ℟. In servis suis, allel. * Consolabitur Deus, alleluja.

℣. Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis. Consolabitur.

Extra tempus paschale.

℟. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

Lectio VI.

Zeno Veronam reversus, cum facultatem libere Christum praedicandi a Gallieno obtinuisset, Fidem praedicare et idola insectari coepit, idololatris iniquissimo animo id ferentibus. Verum ut planum faceret, divina virtute illa se agere, Vir sanctus doctrinam suam miraculo comprobavit. Nam hominis cadaver, quod tunc secundo fluvio volutabatur, ad se vocans, vitam ei cum omnium admiratione restituit. Quo miraculo universa pene civitas, simulacris deorum rejectis, Christi Fidem suscepit, et Patrem patriae beatum Zeno-

nem appellavit. Postremo cum inter tot procellas persecutionis Veronensem Ecclesiam mira constantia gubernasset, intrepidus Christi Martyr, et Fidei assertor Gallieni tempore migravit in coelum.

Temp. pasch. ℟. Filiae Jerusalem, venite et videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus, * In die solemnitatis et laetitiae, alleluja.

℣. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die. Gloria Patri. In die.

Extra tempus paschale.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus, et aqua sapientiae salutaris potavit illum. Et. Gloria Patri. Et.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia in Evang. Si quis venit ad me; tempore paschali, de Homilia in Evang. Ego sum vitis vera, de Communi primo loco.

DIE XVII. APRILIS.

In festo

S. Liberalis Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. praeter haec propria.

Oratio.

Deus, qui nos beati Liberalis Confessoris tui glorioso patrocinio circumdas et protegis: concede propitius, ut cujus intercessione munimur in terris, ejus quoque consortio perfruamur in coelis. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. Beatus vir, de Communi.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Liberalis Altini in Venetia equestri familia natus, ab Heliodoro notae probitatis Episcopo, ad Fidem Christi perductus, tantum eo Magistro profecit, ut armis profanisque disciplinis vale dicto, se totum ipsi excolendum, atque ad omnem pietatem informandum tradiderit. Cumque illa tempora Arianae haeresis infestatione et erroribus ubique redundarent, sensimque pestiferum illud dogma in Altinatium fines sese diffunderet, Liberalis gliscenti morbo strenue se opponens, nihil subtrahebat utilium, quominus concivibus suis annuntiaret, eosque Catholicam Fidem verbo et exemplo, publice et per domos edoceret.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam, alleluja.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Quo in studio occupatus ingens adeo Arianorum odium suscepit, ut in tenebricoso inclusus carcere incredibiles ab ipsis calamitates fuerit perpessus. Verum constans Christi Athleta, cum non modo alacri animo, atque infracta constantia universa toleraret, quin etiam multa ederet signa virtutum inde extractus, ad insulam, quae olim Castraceum dicebatur, aliquando devenit, ubi cum nihil de charitatis, abstinentiae, ceterarumque virtutum operibus remitteret, in febrim incidit, qua diutius afflictatus, post plurima pietatis et patientiae exhibita documenta sanctissime obdormivit in Domino.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum, alleluja.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad.

Lectio VI.

Defuncti corpus ex insula Altinum delatum, ac tumulo ex Christiano more compositum, cum diu substitisset, ingruente bellorum vi, Tarvisium postea deductum in Cathedrali Ecclesia sub majori Sacello in Crypta, in qua usque adhuc honorifice asservatur, conditum fuit: ubi, cum ad ejus gloriam celebrandam superna crebro ederentur miracula, praesensque Liberalis auxilium Tarvisini in dies experirentur, illum in patronum adsciscentes, praecipua religione una cum Metropolitana Aquilejensi Ecclesia venerari coeperunt.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus, alleluja.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia in Evang. Sint lumbi vestri praecincti, de Communi primo loco, cum IX. lect. et commem. S. Aniceti Papae M.

DIE XXII. APRILIS.

In Inventione Corporum Ss. Cantii et Sociorum Mm.

Duplex.

Omnia de Communi plurimorum Mart. tempore pasch. praeter haec propria.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui hodierna die membra sanctorum Martyrum tuorum Cantii, Cantiani, Cantianillae, Chrysogoni, Anastasiae, et Prothi nobis famulis tuis revelare dignatus es: concede propitius, ut qui eorum Corporum Inventionem hodie venerando colimus, ipsorum beati-

tudini, te concedente, adjungi mereamur. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Maximi Episcopi. Serm. 79.

Lectio IV.

Hodie beatissimorum Cantii, Cantiani et Cantianillae festivitas est. Quam bene et jucunde tres Martyres uno pene vocabulo nuncupantur. Nec mirum si similes sunt nomine, qui sunt similes passione; si una est illis apud homines appellatio, quibus apud Deum una est vocatio. Uniter enim vocati sunt a Domino, non interposito tempore aliter et aliter passi, sed omnes eodem ictu pariter martyrium pertulerunt. Quod quidem illis parentiva quadam a Christo affectione concessum est, ut congruerent meritis, qui vocabulis concordabant: et qui erant consanguinitate fratres, fierent etiam sanctitate germani: et quorum membra unius corporis substantia vegetabat, eorum animas ejusdem Fidei confessio coronaret.

℟. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine* Et aeternitas temporum, allel. allel.

℣. Laetitia sempiterna erit super capita eorum, gaudium et exultationem obtinebunt. Et aeternitas.

Lectio V.

Refert autem de Beatis supra dictis historia, tempore passionis, cum eos persecutor inquireret: ascenso vehiculo, junctis mulabus, eos secedere voluisse: et cum non longe ab urbis moenibus iter agerent, unum animal de subjunctis subito corruisse, atque ita illos a persecutoribus comprehensos, tentos ad poenam. Quod factum quam gloriosum sit, et a Divinitate dispositum, debemus advertere. Nam sicut Elias curru applicito, quasi ascendit ad coelum, ita et isti, vehiculo admoto, ad martyrium pervenerunt; et quadriga sicut illum evexit ad requiem, ita et hos portavit ad gloriam. Et quamvis illa ignea quadriga fuerat, haec tamen inferior non habenda est, quia illa unum gestavit Prophetam, haec tres Martyres sustentavit.

℟. In servis suis, alleluja,* Consolabitur Deus, allel.

℣. Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis. Consolabitur.

Lectio VI.

Sed dicet aliquis: Gloriosius est gestari quadriga ignea, quam terrena. Non hoc plane defecit sanctis Viris: nam sicut Eliam ignea quadriga portabat, ita et Martyres Fides ignea jam ferebat. Ferebat, inquam, illos Christus, qui lumen est, qui ignis est, de quo scriptum est: Dominus noster ignis consummens est. Er-

go cum Beatos, de quibus loquimur, persecutor urgeret, vehiculum conscenderunt. Qua causa? ut fugerent? absit: non ut fugerent sed ut ad martyrium citius pervenirent: non ut latitarent, sed ut Christianos se cunctis transeuntibus manifestius approbarent. Caeterum occultius inter plures in civitate latere potuerunt, tutius per diversa singuli fugae praesidium commendare. At vero ubi quis congregatione habita, stratis vehiculis, apparatu disposito per aggerem publicum egreditur, illic non fuga dicenda est, sed profectus est. Sancti enim Viri, hoc facto, veluti in triumphali curru positi contestabantur, dicentes: Ecce persecutor, ecce proficiscimur, ecce praecedimus: quid resides? quid moraris? subsequere nostra vestigia; nolumus enim videri inviti duci ad poenam, qui praecedere nos profitemur ad gloriam.

℟. Filiae Jerusalem, venite, et videte Martyres cum coronis quibus coronavit eos Dominus * In die solemnitatis et laetitiae, alleluja.

℣. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die. Gloria Patri. In die.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Ego sum vitis, vos palmites, de Communi secundo loco.

DIE XXIV. APRILIS.

In festo

S. Georgii Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi Martyrum temp. pasch. praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nos beati Georgii Martyris tui meritis et intercessione laetificas: concede propitius; ut, qui tua per eum beneficia poscimus, dono tuae gratiae sonsequamur. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermone S. Laurentii Patriarchae Venetiarum.

Lectio IV.

Georgius propugnator eximius terrenae abrenuntiavit militiae, ut Christi miles efficeretur egregius: facultates, quas habebat, dispersit pauperibus, ut divitias perennes possideret in coelo: suam quoque animam odivit in mundo, ut in vitam illam custodiret aeternam. Repererat pretiosam margaritam, habitantem in agro, propter quod distractis omnibus, mercatus est eam. Dominum dixisse audierat: Nisi quis renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus; praetulit discipulatum Christi opibus, honoribus, volup-

tatibus, corpori et temporali vitae; ideo intrepidus, armatus et nudus secutus est Christum. Non carceres, gladios, fustes, vincula, aculeos, tortores, ignem, tyrannos expavit, nec mortem. Nudus nudum Christum attendebat in stipite, illius accendebatur exemplo, ejusque passionis doloribus angebatur. O beata mens Martyris, quae nec tribulatione, nec angustia, nec plagis, nec laboribus, nec praesentibus, neque futuris a Christo valuit separari.

℟. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, * Et aeternitas temporum, allel. allel.

℣. Laetitia sempiterna erit super capita eorum, gaudium et exultationem obtinebunt. Et aeternitas.

Lectio V.

Vivebat in carne, et corde cum Christo jam pendebat in cruce, ideoque dicebat Christo: Cruciconfixus sum, vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Christus. Longe excellentius Martyr sic mortuus vivebat in Christo, quam si feliciter florens, alienus esset a Christo. Vides, quam locuples talis sit mors, quae vitam cum Christo praestat aeternam? sic plane mortuus erat beatus Georgius vivens in Christo. Mortuus quippe erat vitiis, mortuus erat saeculo, mortuus erat et sibi; nisi taliter fuisset mortuus, minime Christo vivere potuisset. An non mortuus erat saeculo, qui oblatas dignitates, et gaudia pro amore Christi, et spe aeternae mercedis repudiavit ut stercora? nonne vitiis erat defunctus, qui laboribus, abstinentia, paupertate, virtutibusque ceteris corpus quotidiana maceratione domabat? De talibus Pauli voce dicitur: Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixere cum vitiis et concupiscentiis. Quomodo vero sibi ipsi vixisse Sanctus iste dicendus est, qui verbum Dei undequaque disseminans, Christi gloriam audientibus auribus insonabat? Quos valebat auferre diabolo, lucrabatur Christo. Magnanimitate namque praecinctus, et charitatis dono suffultus coram regibus, et terrae principibus Christum libera confitebatur voce.

℟. In servis suis, alleluja, * Consolabitur Deus, allel.

℣. Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis. Consolabitur.

Lectio VI.

Hinc factum est, ut carceri manciparetur, virgis et scorpionibus caederetur, lampadarum ustionibus cremaretur, laniaretur, torqueretur, perimeretur. In his, quoniam vivebat in Christo, se exhibebat ut mortuum. Nulla plane in illo querimoniae resonabat vox, nullus repugnandi motus. Tamquam bellator praecipuus arbitratus est, fore incongruum, ut patiente Rege, atque pro ani-

marum occumbente salute, ipse segniter viveret, et sine certaminis exercitatione deficeret, frequenter animo illud Evangelicum revolvebat: Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Quamobrem dilectionem, quam habebat ad Dominum, factis maluit ostendere, quam verbis. Redemptorem utique suum, non ingratus de munere, est imitatus in morte, de quo ait Propheta: Sicut ovis ad occisionem ductus est, et tamquam agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum; obmutuit plane iste, et os suum, nisi orando aperuit, quatenus hostia Deo Patri acceptabilis fieret, nec illi in longanimitate patientiae inveniretur dissimilis, qui in crucis perpessione supplicii, eloquium nullum contradictionis emisit. Hinc gestum est, ut Domini sui, sicut socius extitit poenae, ita particeps illius efficeretur gloriae, qui in coelesti regno cum Patre et Spiritu Sancto triumphat in saecula.

℟. Filiae Jerusalem, venite, et videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus *In die solemnitatis et laetitiae, alleluja.

℣. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die. Gloria Patri. In die.

In tertio Nocturno Homilia in Evang. Ego sum vitis vera, de Communi Martyrum tempore paschali.

DIE XXVII. APRILIS.

In festo

S. Fidelis a Sigmaringa

Protomartyr. Sacr. Congreg. de Propag. Fide.

Duplex.

Omnia de Communi Martyrum temp. pasch. praeter ea, quae hic assignantur.

Oratio.

Deus, qui beatum Fidelem Seraphico Spiritus ardore succensum in verae fidei propagatione Martyrii palma, et gloriosis miraculis decorare dignatus es: ejus quaesumus meritis et intercessione, ita nos per gratiam tuam in fide et charitate confirma, ut in servitio tuo fideles usque ad mortem inveniri mereamur. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Fidelis in oppido Sueviae Sigmaringa ex honesta Reyorum familia natus, ab ineunte aetate singularibus naturae et gratiae donis ornatus praefulsit. Egregiam quippe sortitus indolem, morumque optima imbutus disciplina, dum Friburgi philosophiae et juris utriusque lauream emeruit, in schola etiam Christi ad perfectionis apicem sedulo virtu-

tum exercitio contendere coepit. Nobilium exinde virorum varias Europae provincias lustrantium comes adscitus, eos ad Christianam pietatem sectandam tam verbis, quam operibus excitare non destitit. Quinimmo in eodem itinere crebris austeritatibus desideria carnis mortificare, ac ita seipsum regere studuit, ut in tanta rerum vicissitudine nullo umquam visus fuerit irae motu perturbari. Juris praeterea et justitiae strenuus propugnator, post reditum in Germaniam celebre sibi nomen acquisivit in advocati munere, in quo tamen cum Fori pericula esset expertus, tutiorem aeternae salutis viam ingredi deliberavit, et superna vocatione illustratus, paulo post Ordini Seraphico inter Fratres Minores Capucinos adscribi petiit.

℟. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, * Et aeternitas temporum, allel. allel.

℣. Laetitia sempiterna erit super capita eorum, gaudium et exultationem obtinebunt. Et aeternitas.

Lectio V.

Piae petitionis compos redditus, mundi, suique contemptor insignis in ipso statim tyrocinio, magisque cum solemnis Professionis vota in gaudio Spiritus Domino nuncupasset, in Regulari observantia omnibus admirationi fuit, et exemplo. Orationi maxime, et sacris litteris vacans, in verbi quoque ministerio singulari gratia excellens, nedum Catholicos ad meliorem frugem, verum etiam Heterodoxos ad veritatis cognitionem attraxit. Pluribus in locis coenobii Praefectus constitutus, prudentia, justitia, mansuetudine, discretione et humilitatis laude, munus sibi demandatum exercuit. Arctissimae paupertatis zelator egregius, quidquid vel minus necessarium videretur, e coenobio penitus eliminavit. Inter austera jejunia, vigilias et flagella salutari seipsum prosequens odio, in alios amorem, quasi mater in filios ostendit. Cum pestifera febris Austriacas militares copias dire affligeret, ipse in extremis infirmorum indigentiis ad assidua charitatis officia toto spiritu incubuit. In componendis etiam animorum dissidiis, aliisque proximi necessitatibus sublevandis consilio et opere adeo praeclare se gessit, ut Pater Patriae meruerit appellari.

℟. In servis suis, alleluja, * Consolabitur Deus, allel.

℣. Judicabit, Dominus populum suum, et in servis suis. Consolabitur.

Lectio VI.

Deiparae Virginis et Rosarii cultor eximius, illius praecipue, aliorumque Sanctorum patrociniis a Deo postulavit, ut in Catholicae fidei obsequium vitam sibi, et sanguinem fundere liceret.

Cumque ardens hoc desiderium in quotidiana Sacri devota celebratione magis accenderetur, mira Dei providentia factum est, ut fortis Christi Athleta Praeses eligeretur illarum Missionum, quas Congregatio de Propaganda Fide pro Rhaetia tunc temporis instituerat. Quod arduum munus prompto hilarique animo suscipiens, tanto fervore executus est, ut pluribus Haereticis ad Orthodoxam Fidem conversis, spes non modica affulserit totius illius gentis Ecclesiae, et Christo reconciliandae. Prophetiae dono praeditus, futuras Rhaetiae calamitates, suique necem ab Haereticis inferendam saepius praedixit. Postquam vero insidiarum probe conscius impendenti agoni se praeparasset, die vigesima quarta Aprilis anni millesimi sexcentesimi vigesimi secundi ad Ecclesiam loci, Sevisium nuncupati, se contulit, ubi ab Haereticis, qui pridie conversionem simulantes eum dolose ad praedicandum invitaverant, concione tumultuarie interrupta, per verbera ac vulnera eidem crudeliter inflicta gloriosam mortem magno et alacri corde perpessus, Primitias Martyrum memoratae Congregationis proprio sanguine consecravit, pluribus signis et miraculis exinde clarus, praesertim Curiae et Feldkirchii, ubi summa populi veneratione illius reliquiae asservantur.

℟. Filiae Jerusalem, venite, et videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus ✠ In die solemnitatis et laetitiae, alleluja.

℣. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die. Gloria Patri. In die.

In tertio Noct. Homilia S. Augustini Episc. in Evang. Ego sum vitis vera, de Communi Martyrum tempore paschali primo loco.

DOMINICA III. POST PASCHA.

In festo

PATROCINII S. JOSEPHI CONFESSORIS.

Duplex II. Classis.

IN I. VESPERIS.

Antiph. Jacob autem, cum reliquis de Laudibus. Psalm. Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica, et loco ultimi, Psalm. Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. Genes. c. 49.

Benedictiones Patris tui confortatae sunt benedictionibus Patrum ejus, donec veniret desiderium collium aeternorum: fiant in capite Joseph, et in

vertice Nazaraei inter fratres suos.

Hymnus.

Te, Joseph, celebrent agmina Coelitum,
Te cuncti resonent Christiadum Chori,
Qui clarus meritis, junctus es inclytae
Casto foedere Virgini.
Almo cum tumidam germine conjugem
Admirans, dubio tangeris anxius,
Afflatu superi Flaminis Angelus
Conceptum puerum docet.
Tu natum Dominum stringis, ad exteras
Aegypti profugum tu sequeris plagas;
Amissum Solymis quaeris, et invenis,
Miscens gaudia fletibus.
Post mortem reliquos mors pia consecrat,
Palmamque emeritos gloria suscipit:
Tu vivens, Superis par, frueris Deo,
Mira sorte beatior.
Nobis, summa Trias, parce precantibus,
Da Joseph meritis sidera scandere:
Ut tandem liceat nos tibi perpetim
Gratum promere canticum.
Amen.

℣. Constituit eum Dominum domus suae, alleluja.

℟. Et principem omnis possessionis suae, alleluja.

Ad Magnificat, Antiphona. Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto, alleluja.

Oratio.

Deus, qui ineffabili providentia beatum Joseph sanctissimae Genitricis tuae Sponsum eligere dignatus es: praesta, quaesumus; ut, quem Protectorem veneramur in terris, Intercessorem habere mereamur in coelis. Qui vivis, et regnas.

Et fit commem. Dominicae III. post Pascha.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Laudemus Deum nostrum. ✻ In veneratione beati Joseph Protectoris nostri, alleluja.

Psalmus. Venite, exultemus.

Hymnus. Te Joseph, ut supra in primis Vesperis.

In primo Nocturno.

Antiph. Angelus Dei apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Aegyptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi, alleluja.

Psalmi de Communi Conf. non Pontif.

℣. Confitebor nomini tuo, alleluja.

℟. Quoniam adjutor et protector factus es mihi, alleluja.

De libro Genesis. Cap. 39.

Lectio I.

Igitur Joseph ductus est in Aegyptum, emitque eum Putiphar Eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir Aegyptius, de manu Ismaëlitarum, a quibus perductus erat. Fuitque Dominus cum eo, et erat vir in cunctis prospere agens; habitavitque in domo domini sui, qui optime noverat, Dominum esse cum eo, et omnia, quae gereret, ab eo dirigi in manu illius. Invenitque Joseph gratiam coram domino suo, et ministrabat ei, a quo praepositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, et universa, quae ei tradita fuerant, benedixitque Dominus domui Aegyptii propter Joseph, et multiplicavit tam in aedibus, quam in agris cunctam ejus substantiam: nec quidquam aliud noverat, nisi panem, quo vescebatur. Erat autem Joseph pulchra facie, et decorus aspectu.

℟. Clamavit populus ad regem, alimenta petens: ✻ Quibus ille respondit: Ite ad Joseph, alleluja.

℣. Salus nostra in manu tua est: respice nos tantum, et laeti serviemus regi. Quibus.

Cap. 41.

Lectio II.

Placuit Pharaoni consilium, et cunctis ministris ejus: locutusque est ad eos: Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Joseph: Quia ostendit tibi Deus omnia, quae locutus es, numquid sapientiorem et consimilem tui invenire potero? tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantum regni solio te praecedam. Dixitque rursus Pharao ad Joseph: Ecce constitui te super universam terram Aegypti. Tulitque annulum de manu sua, et dedit eum in manu ejus, vestivitque eum stola byssina, et collo torquem auream circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante praecone, ut omnes coram eo genu flecterent, et praepositum esse scirent universae terrae Aegypti.

℟. Fecit me Deus quasi Patrem Regis, et Dominum universae domus ejus: ✻ Exaltavit me, ut salvos faceret multos populos, alleluja.

℣. Venite ad me, et ego dabo vobis omnia bona Aegypti, ut comedatis medullam terrae. Exaltavit.

Cap. 41.

Lectio III.

Dixit quoque rex ad Joseph:

Ego sum Pharao, absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Aegypti. Vertitque nomen ejus, et vocavit eum lingua Aegyptiaca salvatorem mundi. Deditque illi uxorem Aseneth filiam Putiphare sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaque Joseph ad terram Aegypti (triginta autem annorum erat, quando stetit in conspectu regis Pharaonis) et circuivit omnes regiones Aegypti. Venitque fertilitas septem annorum, et in manipulos redactae segetes congregatae sunt in horrea Aegypti. Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est. Tantaque fuit abundantia tritici, ut arenae maris coëquaretur, et copia mensuram excederet.

℟. Jam laetus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo. Non sum fraudatus aspectu tuo: ✻ Insuper ostendit mihi Dominus semen tuum, alleluja.

℣. Qui pascit me ab adolescentia mea, benedicat pueris istis; et invocetur super eos nomen meum. Insuper. Gloria Patri. Insuper.

In secundo Nocturno.

Antiph. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quaerebant animam pueri, alleluja.

Psalmi de Communi Conf. non Pontif.

℣. Respice de coelo, et vide, et visita vineam istam, alleluja.

℟. Et perfice eam, alleluja.

Sermo Sancti Bernardini Senensis.

Sermo 1. de S. Joseph.

Lectio IV.

Omnium singularium gratiarum alicui rationabili creaturae communicatarum generalis regula est, quod, quandocumque divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam singularem, seu ad aliquem sublimem statum, omnia charismata donet, quae illi personae sic electae, et ejus officio necessaria sunt, atque illam copiose decorant. Quod maxime verificatum est in Sancto Joseph putativo Patre Domini nostri Jesu Christi, et vero Sponso Reginae mundi, et Dominae Angelorum, qui ab aeterno Patre electus est fidelis Nutricius, atque Custos principalium thesaurorum suorum, scilicet Filii ejus, et sponsae suae, quod officium fidelissime prosecutus est. Cui propterea Dominus ait: Serve bone, et fidelis intra in gaudium Domini tui.

℟. Dedisti mihi protectionem salutis tuae, et dextera tua suscepit me: ✻ Protector meus, et cornu salutis meae, et susceptor meus, alleluja.

℣. Ego Protector tuus sum, et merces tua magna nimis. Protector.

Lectio V.

Si compares eum ad totam Ecclesiam Christi, nonne iste est homo electus, et specialis, per quem et sub quo Christus est ordinate et honeste introductus in mundum? Si ergo Virgini Matri tota Ecclesia sancta debitrix est, quia per eam Christum suscipere digna facta est: sic profecto post eam huic debet gratiam et reverentiam singularem. Ipse enim est clavis veteris testamenti, in qua patriarchalis et prophetalis dignitas promissum consequitur fructum. Porro hic est solus, qui corporaliter possedit, quod eis Divina dignatio repromisit. Merito igitur figuratur per illum Patriarcham Joseph, qui populis frumenta servavit. Sed et hic illum praecellit, quia non solum Aegyptiis panem corporalis vitae, sed omnibus electis panem de coelo, qui coelestem vitam tribuit, cum multa solertia enutrivit.

℟. Statuet filios suos sub tegmine illius, et sub ramis ejus morabitur, protegetur sub tegmine illius a fervore: ✻ Et in gloria ejus requiescet, alleluja.

℣. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra. Et in gloria.

Lectio VI.

Profecto dubitandum non est, quod Christus familiaritatem, reverentiam atque sublimissimam dignitatem, quam sibi exhibuit, dum ageret in humanis, tamquam filius Patri suo, in coelis utique non negavit, quin potius complevit, et consummavit. Unde non immerito in verbo proposito a Domino subinfertur: Intra in gaudium Domini tui. Unde licet gaudium aeternae beatitudinis in cor hominis intret, maluit tamen Dominus ei dicere: Intra in gaudium, ut mystice innuatur, quod gaudium illud non solum in eo sit intra, sed undique illum circumdans, et absorbens, et ipsum velut abyssus infinita submergens. Memento igitur nostri, beate Joseph, et tuae orationis suffragio apud tuum putativum Filium intercede, sed et beatissimam Virginem Sponsam tuam nobis propitiam redde, quae Mater est ejus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, et regnat, per infinita saecula saeculorum, Amen.

℟. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: ✻ Si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo, alleluja.

℣. In te cantatio mea semper, quoniam tu adjutor fortis. Si exurgat. Gloria Patri. Si exurgat.

In tertio Nocturno.

Antiph. Consurgens Joseph accepit puerum et matrem ejus, et venit in terram Israël: et habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth, alleluja.

Psalmi de Communi Conf. non Pontif.

℣. Invocavi Dominum Patrem Domini mei, alleluja.

℟. Ut non derelinquat me in die tribulationis, alleluja.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 4.

Lectio VII.

In illo tempore: Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato, et orante, apertum est coelum. Et reliqua.

Homilia

Sancti Augustini Episcopi.

Lib. 2. de consensu Evangelistarum.

Manifestum est illud, quod ait: Ut putabatur filius Joseph, propter illos dixisse, qui eum ex Joseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrantur. Quos autem movet, quod alios progenitores Matthaeus enumerat, descendens a David usque ad Joseph, alios autem Lucas, ascendens a Joseph usque ad David, facile est, ut advertant, duos patres habere potuisse Joseph: unum, a quo genitus, alterum, a quo fuerit adoptatus. Antiqua est enim consuetudo adoptandi etiam in illo populo Dei, ut sibi filios facerent, quos ipsi non genuissent. Unde intelligitur Lucas patrem Joseph non a quo genitus, sed a quo fuerat adoptatus, suscepisse in Evangelio suo, cujus progenitores sursum versus commemorat, donec exiret ad David.

℟. Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, pariet autem filium, * Et vocabis nomen ejus Jesum, alleluja.

℣. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Et vocabis.

Lectio VIII.

Cum enim necesse sit, utroque Evangelista vera narrante, et Matthaeo scilicet, et Luca, ut unus eorum ejus patris originem teneret, qui genuerat; alter ejus, qui adoptaverat Joseph: quem probabilius intelligimus adoptantis originem tenuisse, quam eum, qui noluit Joseph genitum dicere ab illo, cujus eum filium esse narravit? Matthaeus autem dicens: Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob, atque ita in hoc verbo, quod est, Genuit, perseverans, donec in ultimo diceret: Jacob autem genuit Joseph, satis expressit, ad eum patrem se perduxisse originem generantium, a quo Joseph non adoptatus, sed genitus erat. *

Quamquam, si etiam Lucas genitum diceret Joseph ab Heli, nec sic nos hoc verbum perturbare deberet, ut aliud crederemus, quam ab uno Evangelista gignentem, ab altero adoptantem patrem fuisse commemoratum. Neque enim absurde quisque dicitur non carne, sed charitate genuisse, quem filium sibi adoptaverit. At vero etiam nos, quibus dedit Deus potestatem filios ejus fieri, sed natura atque substantia sua non nos genuit, sicut unicum Filium, sed utique dilectione adoptavit.

℟. Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Aegyptum: * Et esto ibi, usque dum dicam tibi, alleluja.

℣. Ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Aegypto vocavi filium meum. Et esto. Gloria Patri. Et esto.

Nona Lectio dicitur de Homilia Dominicae III. post Pascha.

AD LAUDES

et per Horas, Antiphona.

Jacob autem genuit Joseph, virum Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus, alleluja.

Psal. Dominus regnavit, cum reliquis de Dominica.

Antiph. Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, alleluja.

Antiph. Ascendit autem Joseph a Galilaea de civitate Nazareth in Judaeam in civitatem David, quae vocatur Bethlehem, alleluja.

Antiph. Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam et Joseph, et infantem positum in praesepio, alleluja, alleluja.

Antiph. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph, alleluja.

Capitulum. Genes. 49.

Benedictiones Patris tui confortatae sunt benedictionibus Patrum ejus: donec veniret desiderium collium aeternorum: fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaraei inter fratres suos.

Hymnus.

Coelitum Joseph decus, atque nostrae
Certa spes vitae, columenque mundi,
Quas tibi laeti canimus, benignus
Suscipe laudes.

Te Sator rerum statuit pudicae
Virginis sponsum, voluitque Verbi
Te patrem dici, dedit et ministrum
Esse salutis.

Tu Redemptorem stabulo jacentem

Quem chorus Vatum cecinit futurum,
Aspicis gaudens; humilisque natum
Numen adoras.
Rex Deus regum, Dominator orbis,
Cujus ad nutum tremit inferorum
Turba, cui pronus famulatur aether,
Se tibi subdit.
Laus sit excelsae Triadi perennis,
Quae tibi praebens superos honores,
Det tuis nobis meritis beatae
Gaudia vitae. Amen.

℣. Dedisti mihi protectionem salutis tuae, alleluja.

℟. Et dextera tua suscepit me, alleluja.

Ad Benedictus, Antiphona.

Joseph, fili David, noli timere, accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, alleluja.

Oratio.

Deus, qui ineffabili providentia beatum Josephum sanctissimae Genitricis tuae Sponsum eligere dignatus es: praesta, quaesumus; ut, quem Protectorem veneramur in terris, Intercessorem habere mereamur in coelis. Qui vivis, et regnas.

Et fit commemoratio Dominicae.

AD TERTIAM.

Antiph. Missus est Angelus.

Capit. Benedictiones, ut supra in Laudibus.

℟. br. Constituit eum Dominum domus suae, * Alleluja, alleluja. Constituit.

℣. Et principem omnis possessionis suae. Alleluja, alleluja.

Gloria Patri. Constituit.

℣. Confitebor nomini tuo, alleluja.

℟. Quoniam adjutor et protector factus es mihi, alleluja.

AD SEXTAM.

Antiph. Ascendit autem.

Capitulum. Gen. C. 49.

Deus Patris tui erit adjutor tuus, et omnipotens benedicet tibi benedictionibus coeli desuper.

℟. br. Confitebor nomini tuo * Alleluja, alleluja. Confitebor.

℣. Quoniam adjutor et protector factus es mihi. Alleluja, alleluja.

Gloria Patri. Confitebor.

℣. Justus germinabit sicut lilium, alleluja.

℟. Et florebit in aeternum ante Dominum, alleluja.

AD NONAM.

Antiph. Et ipse Jesus.

Capitulum. Gen. C. 49.

Filius accrescens Joseph, filius accrescens, et decorus a-

spectu: filiae discurrerunt super murum.

℟. br. Justus germinabit sicut lilium, * Alleluja, alleluja. Justus.

℣. Et florebit in aeternum ante Dominum. Alleluja, alleluja.

Gloria Patri. Justus.

℣. Plantatus in domo Domini, alleluja.

℟. In atriis domus Dei nostri, alleluja.

IN II. VESPERIS.

Omnia, ut in primis, praeter sequentia.

℣. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, alleluja.

℟. Et fructus ejus dulcis gutturi meo, alleluja.

Ad Magnificat, Antiphona. Fili, quid fecisti nobis sic? ecce Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te, alleluja.

Oratio ut supra.

Et fit commem. Dom.

FESTA MAJI.

DIE IV. MAJI.

In festo Ss. Floriani et Sociorum Martyrum.

Duplex.

Omnia de Communi plur. Mart. temp. pasch., praeter ea, quae sequuntur.

Oratio. Deus, qui nos concedis, ex eodem Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Saeviente in Christianos Diocletiani et Maximiani persecutione, cum Aquilinus, Norici Ripensis Praeses, in Christi cultores ad Laureaci castrum acerrime animadverteret, et ad quadraginta eo nomine vinctos, multisque suppliciis maceratos in carcerem conjecisset, Florianus iisdem religionis et militiae societate conjunctus, sancto fidei ardore incensus, ac sanguinem pro Christo profundere cupiens, Laureacum advolat, sicque ad excellentioris militiae coronam glorioso certamine contendit.

℟. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, * Et aeternitas temporum, alleluja, alleluja.

℣. Laetitia sempiterna erit super capita eorum, gaudium et exultationem obtinebunt. Et aeternitas.

Lectio V.

Audiens ergo Christianos ad idolorum sacrificia perquiri, nihil truculentorum fidei hostium immanitatem veritus, in medium se ultro profert, libereque exclamat: Quem alium quaeri-

tis? ecce ego Christianus sum: ite, nunciate Praesidi, me hic adesse. His auditis, Praeses eum ad se adduci jubet, et diis sacrificare. Quod cum nulla ratione obtinere posset, secundo et tertio fustibus caedi imperat, atque illius scapulas acutis ferris confringi. Tandem invictus Christi Athleta variis tormentorum generibus superatis, ob inconcussam fidei constantiam, ultimam mortis laetus accipit sententiam.

℟. In servis suis, alleluja, * Consolabitur Deus, alleluja.

℣. Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis. Consolabitur.

Lectio VI.

Ligato igitur ad collum saxo, e ponte in Anasum fluvium dejicitur, non tamen sine divina ultione: nam oculi ejus, qui injectis violenter manibus Martyrem praecipitavit, mox crepuerunt: fluvius autem, Martyrem Christi suscipiens elevatis undis in quoddam eminentius saxum sacrum ejus corpus extulit; quod miro nutu Dei, aquila illic advolante, protegebatur, donec a Valeria pia matrona, a Deo admonita, inde clam ablatum, sepulturae traditum est, eo in loco, quo postea celebre monasterium erectum fuit, quod in hunc usque diem titulo et patrocinio gaudet sancti Floriani.

℟. Filiae Jerusalem, venite, et videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus *In die solemnitatis et laetitiae, alleluja.

℣. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die. Gloria Patri. In die.

In tertio Nocturno de Homilia in Evang. Ego sum vitis, vos palmites, de eodem Communi temp. pasch.

DIE X. MAJI.

In festo

S. Antonini Episcopi Conf.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

DIE XI. MAJI.

In festo

S. Sigismundi Regis Mart.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. temp. pasch. praeter haec propria.

Oratio.

Deus, qui beatum Sigismundum Regem temporali et aeterno diademate cum desiderata martyrii corona honorare dignatus es; et ejus Reliquias ex profundo gurgite aquarum ad celebrandum Fidelibus revelasti: tribue, quaesumus, ut qui ejus merita veneramur in terris, ipsius intercessione ab omnibus protegamur adversis. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Sigismundus, Gunebaldi Burgundiorum Regis filius, a teneris annis in Catholica Religione educatus, ita Christianae Fidei fuit addictus, ut adolescens factus diu noctuque vigiliis, jejuniis et orationibus vacans, non obscura dederit sanctitatis indicia. Mortuo Gunebaldo, paternum sceptrum adeptus, zelo propagandae Fidei succensus, summa cura, summoque labore, praesertim vero exemplo et virtutibus regnum a tenebris infidelitatis ad lucem veritatis adducere studuit. Religionis quoque, ac devotionis erga divinum cultum, et Sanctorum Ecclesias promovendae causa, monasterium Agaunense, in quo Psallentium Ordinem instituit, regali munificentia cum domibus Basilicisque aedificavit, et magnis redditibus locupletavit.

℟. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, * Et aeternitas temporum, alleluja, alleluja.

℣. Laetitia sempiterna erit super capita eorum, gaudium et exultationem obtinebunt. Et aeternitas.

Lectio V.

Amissa priori conjuge filia Theodorici Regis Italiae, ex qua filium susceperat nomine Sigericum, aliam duxit uxorem. Hujus nequissimis deceptus suasionibus filium interfici jussit. Quo facto Sigismundus corde compunctus super cadaver proruens, flere coepit amarissime: deinde velut alter David, severiorem poenitentiae viam ingressus, multis Sanctorum locis perlustratis, demum laboribus et inedia fessus, ad sepulchra Sanctorum Agaunensium perveniens, ibi per multos dies in fletu et jejunio perseverans, Deum enixe rogabat, ut si quid adhuc pro consequendo coelestis patriae regno sibi superesset, misericorditer ostendere dignaretur. Summa Dei bonitas, quae laboribus servi sui remunerationem diutius non patiebatur differre, ad palmam martyrii ipsum eatenus vocavit, ut sanctorum Thebaeorum Martyrum collegio, quorum se officio in Dei laudibus sociaverat devotione, paradisi quoque sociaretur gloria.

℟. In servis suis, alleluja, * Consolabitur Deus, alleluja.

℣. Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis. Consolabitur.

Lectio VI.

Nam cum Franci Galliarum gentes et urbes depopularentur, Burgundionibus, qui adhuc in infidelitate persistebant, sibi sociatis, Sigismundum, qui, ut barbarorum ferocitatem evaderet, Vesallis montem petierat, ibique tonso crine, et Religionis habitu suscepto, singulariter habitabat, a suis deceptum, et ad sepulchra Sanctorum ductum, una cum uxo-

re et filiis capitali sententia adjudicatum, in puteum veterem apud Coloniam vicum projecerunt. Corpus ejus divina postea revelatione patefactum, indeque sublatum, et in Ecclesia Agaunensi honorifice sepultum, miraculis clarescere coepit, ita Deo ejus sanctitatem comprobante. Postea ob varias Galliarum vicissitudines, fama est, sacras exuvias in Aemiliam asportatas, et Forolivii in Ecclesia Eremitarum Ordinis sancti Augustini collocatas fuisse.

℟. Filiae Jerusalem, venite, et videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus * In die solemnitatis et laetitiae, alleluja.

℣. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die. Gloria Patri. In die.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Ego sum vitis vera, de Communi primo loco.

Die XIII. MAJI.

In festo
S. Monicae Viduae.

Duplex.

Dies assignata ex 4. hujus. Omnia ut ibi.

DIE XIV. MAJI.

In festo
Ss. Victoris et Coronae Mm.

Duplex.

Omnia de Communi plurimorum Mart. temp. pasch. praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nos concedis sanctorum Victoris et Coronae Martyrum natalitia recolere: praesta quaesumus, ut quorum patrocinio gloriamur, Fidei constantiam imitemur. Per Dominum.

Et fit commem. S. Bonifacii Martyris.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Victor e Cilicia miles vigesimum circiter annum agens, cum Christiana Religione Alexandriæ accusaretur apud Sebastianum ducem, qui sub Marco Aurelio Antonino Imperatore tunc Aegypto Syriaeque praeerat, variis pollicitationibus ac terroribus a Praeside tentatus est, ut Fidem Christianam desereret, diisque sacrificaret. Quem cum ille a suo proposito dimovere non potuisset, imo de Christi Fide libere praedicantem audiret, et pro ea mori paratum, primum ejus digitos articulatim confringi, deinde in caminum ignis ardentis conjectum ad tertiam usque diem, ut igne penitus consumeretur, servari jussit. Sed a flammis mirabiliter liberatus, inde post tres dies eductus, ejusdem Praesidis jussu venena etiam mortifera

in carnibus commixta a quodam venefico conflata, bis edere cogitur, ex quibus nihil mali sanctus Martyr perpessus est. Cujus praeservationem a venenis veneficus homo demiratus, in Christum credidit, magicis suis libris omnibus combustis.

℟. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, * Et aeternitas temporum, alleluja, alleluja.

℣. Laetitia sempiterna erit super capita eorum, gaudium et exultationem obtinebunt. Et aeternitas.

Lectio V.

At haec initia fuere tormentorum, non finis. Quamobrem Victor rursus ad Praesidem adductus est, et ab eo iterum tentatus, ut Christi Fidei renuntiaret, deosque coleret; quod cum illius doctrinae repugnare sapienter dissereret, totius corporis nervorum exsectionem, oleumque fervens, et in equuleo suspensus, igneas faces corpori admotas sustinuit. Quibus in cruciatibus quum nobilis Christi Athleta se magis corroboratum diceret, illiusque Fides constantior appareret, eo illico factum est, ut impius Praeses iratus calcem insuper et acetum in os ejus immitti, tum oculos acuminibus pungi, ac demum erui imperaret. Verum cum nec ita Martyris firmitatem deterrere valuisset, eumque sibi exprobrantem diu ferre non posset, ad ultima supplicia deveniens injunxit militibus, ut eum capite deorsum appensum triduo dimitterent, quoad usque sanguine defluente suffocatus interiret. Quo tempore elapso milites ad Victorem reversi, ut eum vivere conspexerunt, oculis capti excaecati sunt, qui mox tamen sancti Martyris oratione visum receperunt.

℟. In servis suis, alleluja, * Consolabitur Deus, alleluja.

℣. Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis. Consolabitur.

Lectio VI.

Quo facto Sebastianus Praeses, omni fera crudelior, ac majori ira succensus in Victorem usque saevire non desiit, cum eum statim ad palum alligatum exinde jusserit excoriari. Qui dum excoriaretur, Corona cujusdam militis uxor sexdecim annos nata, cum coepisset sancti Martyris Fidem virtutemque laudare, ob martyrii constantiam, vidit duas coronas de coelo lapsas, unam Victori, et alteram sibi missam: quae ob id comprehensa, et ad Praesidem adducta, se Christianam palam professa est: quamobrem inter arbores scissa, coronam, quam nomine praeferebat, ab Angelo sibi delatam accipere promeruit, sicque Christi militi martyrio copulari. Post haec tandem Sebastianus judex Victorem decollari imperavit, qui post gratias Deo actas, et multa prophetico sermone adstanti populo prae-

dicta, securi percussus martyrii certamen feliciter absolvit. Quo ex vulnere lac et sanguis continuo effluxit. Eo miraculo, et sancti Martyris in suis omnibus passionibus invicta patientia multi permoti in Christum crediderunt, et futurorum ab eo praedictorum eventu in Fide sunt confirmati.

℟. Filiae Jerusalem, venite, et videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus * In die solemnitatis et laetitiae, alleluja.

℣. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die. Gloria Patri. In die.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Ego sum vitis, vos palmites, de Communi plurim. Mart. temp. pasch. secundo loco, cum IX. lect. ex duabus unita et commem. S. Bonifacii Martyris, ut in Br.

DIE XVI. MAJI.

In festo
S. Joannis Nepomuceni
Martyris.

Duplex.

Si venerit temp. pasch. Antiphonae et reliqua omnia pro ratione temporis.

IN I. VESPERIS.

Antiph. Interrogabat eum Rex, cum reliquis de Laudibus. Psalmi de Dominica, et loco ultimi, Psal. Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. Eccli. 21.

Labia imprudentium stulta narrabunt; verba autem prudentium statera ponderabuntur: in ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum.

Hymnus.

Invictus Heros Numinis,
Mergendus unda fluminis,
Stat fortis in silentio,
Dum fit sigilli mentio.
Hinc Rex minatur funera,
Hinc tortor infert vulnera;
Manus ligantur funibus,
Artus cremantur ignibus.
Sed haec Joannes despicit;
Nec Regis iram respicit.
Secreta non vult pandere,
Horret sigillum frangere.
Stat mutus Agnus innocens,
Nil de tegendis proferens:
Stat: dumque Rex nil elicit,
E ponte Justum dejicit.
Praeceps ab alto sternitur,
Undis profundis mergitur:
Mersum sed applaudentibus
Undae salutant ignibus.
Stellae natant in flumine,
Illi parentant lumine:
Docetque coeli claritas,
Quae sit Joannis charitas.
Da, sempiterna Trinitas,
Ut in bono sit firmitas:
Aut lacrymarum flumina
Mergant cadentium crimina.
Amen.

℣. Sacramentum Regis abscondere bonum est.

℟. Opera autem Dei revelare honorificum.

Ad Magnificat, Antiphona. Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam: et in ipsa laudabo eum.

Oratio.

Deus, qui ob invictum beati Joannis sacramentale silentium nova Ecclesiam tuam martyrii corona decorasti: da, ut ejus exemplo et intercessione ori nostro custodiam ponentes, Beatis, qui lingua non sunt lapsi, annumeremur. Per Dominum.

AD MATUTINUM.

Invitat. de Communi unius Mart. pro varietate temporis.

Hymnus.

In profunda noctis umbra,
Et gravi caligine
Lustrat aedem flamma munda,
Sic jubente Numine.
Nocte nascitur Joannes,
Astra coelo devolant:
Nocte mergitur Joannes,
Astra funus apparant.
Hinc cor ejus igne flagrans
Fortis urit charitas:
Hinc ab ejus ore manans
Mira prodit suavitas.
Nunc amore cor bonorum
Ad salutem pertrahit:
Nunc timore cor malorum
A gehenna retrahit.
Pauperes solatur aere,
Derelictis subvenit:
Non sinit justos jacere,
Damna famae praepedit.
Per Joannis sanctitatem,
O beata Trinitas,
Mentibus da puritatem,
Corde regnet charitas. Amen.

In primo Nocturno.

Antiph. Erit lumen Israël in igne, et Sanctus ejus in flamma.

Psal. de Communi unius Mart.

Antiph. Sanavit Dominus Puerum, et reddidit illum patri ejus.

Antiph. Puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Sacerdotis.

℣. Sacramentum Regis abscondere bonum est.

℟. Opera autem Dei revelare honorificum.

De libro Ecclesiastici.

Lectio I.

Cap. 21.

Stultus a fenestra respiciet in domum: vir autem eruditus foris stabit. Stultitia hominis auscultare per ostium: et prudens gravabitur contumelia. Labia imprudentium stulta narrabunt: verba autem prudentium statera ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. Susurro coinquinat ipse animam suam, et in omnibus odietur: et qui cum eo manserit, odiosus erit. Tacitus et sensatus honorabitur.

℟. Metuebat Rex Joannem,* Sciens eum virum justum et sanctum.

℣. Et custodiebat eum, et audito eo multa faciebat, et libenter eum audiebat. Sciens.

Lectio II. Cap. 28.

Flagelli plaga livorem facit: plaga autem linguae comminuet ossa. Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. Beatus, qui tectus est a lingua nequam, qui in iracundiam illius non transivit, et qui non attraxit jugum illius, et in vinculis ejus non est ligatus. Jugum enim illius jugum ferreum est: et vinculum illius vinculum aereum est. Mors illius mors nequissima, et utilis potius infernus, quam illa.

℟. Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus: in pace et in aequitate ambulavit mecum; * Et multos avertit ab iniquitate.

℣. Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus. Et multos.

Lectio III.

Perseverantia illius non permanebit, sed obtinebit vias injustorum; et in flamma sua non comburet justos. Qui relinquunt Deum, incident in illam, et exardebit in illis, et non extinguetur, et immittetur in illos quasi leo, et quasi pardus laedet illos. Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, et ori tuo facito ostia et seras. Aurum tuum, et argentum tuum confla, et verbis tuis facito stateram, et fraenos ori tuo rectos. Et attende, ne forte labaris in lingua, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis in mortem.

℟. Sepivi aures meas spinis,* Et ori meo feci ostia et seras.

℣. Beatus, qui lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indignis se. Et ori meo. Gloria Patri. Et ori meo.

In secundo Nocturno.

Antiph. Non quaesivit a Domino ducatum, neque a Rege cathedram honoris.

Antiph. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, et non confundebar.

Antiph. Amplius non videbitis faciem meam vos, per quos transivi praedicans regnum Dei.

℣. Pone, Domine, custodiam ori meo.

℟. Et ostium circumstantiae labiis meis.

Lectio IV.

Joannes, Nepomuci Bohemiae oppido, unde Nepomuceni cognomen duxit, a parentibus aetate provectis, non sine futurae sanctitatis praesagio, flammis supra nascentis domum mirabiliter collucentibus, ortus est. Cum infans in gravem morbum incidisset, beatae Virginis ope, cui natum parentes referebant acceptum,

e vitae periculo evasit incolumis. Egregia indole, piaque institutione coelestibus indiciis obsequente, inter sanctas, religiosasque exercitationes pueritiam egit. Nam Ecclesiam frequenter adire, ac Sacerdotibus ad aras operantibus ministrare in deliciis habebat. Zatecii politioribus litteris ad humanitatem informatus, Pragae vero gravioribus disciplinis excultus, philosophiae, theologiae, sacrorumque Canonum magisterium et lauream emeruit. Sacerdotio initiatus, atque a scientia Sanctorum ad lucra animarum rite comparatus, ministerio verbi Dei se penitus addixit. Cum igitur in vitiis extirpandis, et revocandis in viam salutis errantibus, eloquentiae et pietatis uberes ederet fructus, inter Canonicos Metropolitanae Ecclesiae Pragensis cooptatus, mox sibi demandatam Evangelii coram Rege Wenceslao Quarto praedicandi provinciam suscepit, eo successu, ut Joannis suasu multa Rex faceret, magnoque in honore ejus virtutes haberet. Conspicuas tamen, quas ille obtulit, dignitates, Dei Servus, ne a divini verbi praeconio avocaretur, constantissime recusavit.

℟. Instans orationi, et ministerio verbi, hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino: ✻ Quia erat vir bonus, et plenus Spiritu sancto.

℣. Et apponebatur multa turba Domino. Quia erat.

Lectio V.

Regiis illum eleemosynis in pauperes erogandis praefectum Joanna Regina conscientiae sibi moderatorem adscivit. Cum autem Wenceslaus ab officio suo institutoque decessisset, atque in vitia praeceps abriperetur, piae vero conjugis obtestationes et monita gravate ferret, contendere ausus est, ut in sacramentali judicio Sacerdoti credita Reginae arcana sibi a Joanne panderentur. At Dei minister blanditiis primum, tormentis deinde, et carceris squalore tentatus, nefariae Regis cupiditati fortiter obstitit. Furentem tamen Wenceslai animum cum ab execrando proposito nec humana nec divina jura deterrerent, supremum agonem, quem instare sibi Athleta Christi noverat, populo in concione de impendentibus etiam regni calamitatibus admonito, non obscure praenuntiavit. Mox Boleslaviam profectus ad beatae Virginis imaginem antiquo cultu celebrem, coeleste praesidium ad certandum bonum certamen effusis precibus imploravit. Inde vesperi revertentem in pervigilio Dominicae Ascensionis Rex e fenestra conspicatus accersit: cumque vehementius urgeret, et proximam in aquis, si obluctari pergeret, submersionem intentaret, Joannes invicta constantia terrores minasque refutavit. Itaque Regis imperio in Moldavam

flumen Pragam interfluens noctu dejectus, illustrem martyrii coronam est consecutus.

℟. Dispersit, dedit pauperibus: * Justitia ejus manet in saeculum saeculi.

℣. Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem. Justitia.

Lectio VI.

Sacrilegum facinus clam patratum, et Martyris gloriam insigne prodigium divinitus patefecit. Ubi enim exanime corpus secundo flumine vehi coepit, ardentes faces aquis supernatantes et discurrentes apparuerunt. Quamobrem ex arena postridie mane corpus elatum, Canonici deinde, Regis iram nihil timentes, in Metropolitanam Ecclesiam solemni pompa intulerunt, et sepulturae mandarunt. Cum autem in dies invicti Sacerdotis memoria miraculis, et maxima fidelium, eorum praecipue qui fama periclitantur, veneratione cresceret: post annos demum amplius trecentos in juridica recognitione corporis, quod sub humo tamdiu jacuerat, lingua ejus incorrupta et vivida reperta est: quae sexto post anno judicibus a Sede Apostolica delegatis exhibita, novo prodigio repente intumuit, et subobscurum ruborem in purpureum commutavit. His itaque, aliisque signis rite probatis, Benedictus Decimustertius Pontifex Maximus die decimanona mensis Martii anno salutis millesimo septingentesimo vigesimo nono primum hunc Sacramentalis sigilli assertorem, arcani fidem sanguine obsignantem, sanctorum Martyrum catalogo adscripsit.

℟. Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi: * Propter quod vigilate.

℣. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter. Gloria Patri. Propter.

In tertio Nocturno.

Antiph. Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.

Antiph. Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.

Antiph. Transivi per ignem et aquam, et eduxisti me in refrigerium.

℣. Dixi: Custodiam vias meas.

℟. Ut non delinquam in lingua mea.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 11.

Lectio VII.

In illo tempore: Cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos ex discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Et reliqua.

Homilia

Sancti Gregorii Papae.

In Evang. Homil. 6.

Dimissis Joannis discipulis, quid de eodem Joanne turbis dicat, audiamus. Quid existis videre in deserto? Arundinem vento agitatam? Quod videlicet non asserendo, sed negando intulit. Arundinem quippe mox ut aura contigerit, in partem alteram inflectit. Et quid per arundinem, nisi carnalis animus designatur? qui mox ut favore vel detractione tangitur, in partem quamlibet inclinatur. Si enim ab humano ore aura favoris flaverit, hilarescit et extollitur: sed si inde ventus detractionis eruperit, unde aura laudis veniebat, mox hunc quasi in partem alteram ad vim furoris inclinat.

℟. Cum corriperetur ab illo de omnibus malis, quae fecit Rex, adjecit et hoc: ✻ Et inclusit Joannem in carcere.

℣. Laboro usque ad vincula quasi male operans: sed verbum Dei non est alligatum. Et inclusit.

Lectio VIII.

Sed arundo agitata vento Joannes non erat, quia hunc nec blandum gratia, nec cujuslibet detractionis ira asperum faciebat; nec prospera hunc erigere, nec adversa noverant inclinare. Arundo ergo vento agitata non erat, quem a status sui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat. Discamus ergo fratres charissimi, arundinem vento agitatam non esse: solidemus animum inter auras linguarum positum: stet inflexibilis status mentis. Nulla nos detractio ad iram provocet, atque ad remissionem inutilis gratiae nullus favor inclinet. Non nos prospera elevent, non adversa perturbent: ut qui in soliditate Fidei figimur, nequaquam rerum transeuntium mobilitate moveamur.

℟. Reddidit Deus justo mercedem laborum suorum, et deduxit illum in via mirabili: ✻ Et fuit illi in velamento diei, et in luce stellarum per noctem.

℣. Transvexit illum per aquam nimiam, inimicos autem illius demersit. Et fuit. Gloria Patri. Et fuit.

Lectio IX.

Adhuc autem de ejus expressione subjungitur: Sed quid existis videre in deserto? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Camelorum enim pilis, ut scitis, vestitus Joannes fuisse describitur. Et quid est dicere: Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt; nisi aperta sententia demonstrare, quia non coelesti, sed terreno regno militant ii, qui pro Deo perpeti aspera fugiunt, et solis exterioribus dediti, praesentis vitae mollitiem et delectationem quaerunt?

Te Deum laudamus.

AD LAUDES

et per Horas, Antiphona.

Interrogabat eum Rex multis sermonibus; at ipse nihil illi respondebat.

Psalmi de Laudibus Dominicae.

Antiph. Rex dixit: Ne abscondas a me verbum, quod te interrogo. Dixi: Secretum meum mihi, secretum meum mihi.

Antiph. Affirmabat Rex, se divitem et beatum facturum. Non obedio praecepto Regis, sed praecepto Legis, quae data est nobis.

Antiph. Tunc rex accensus ira, in hunc super omnes crudelius desaeviit.

Antiph. Beatus, qui lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indignis se.

Capitulum. Eccli. 21.

Labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium statera ponderabuntur: in ore fatuorum cor illorum et in corde sapientium os illorum.

Hymnus.

Vix in sepulchro conditur,
Signis Joannes proditur:
Per cratium repagula
Intermicant miracula.
Hic ejus hostes illico
Pudore moesti publico,
Ultrice dextra Numinis,
Poenas rependunt criminis.
Hic damna rerum flentibus,
Famaeve conquerentibus
Abducta res revertitur,
Ablata fama redditur.
Hic corpus aegritudines,
Tempus vicissitudines,
Periculum securitas,
Mortem fugit mortalitas.
Hic viva lingua Martyris,
Sed muta, voce sanguinis
Clamans, ut Abel, improbat,
Regisque crimen exprobrat.
Unius, o da, Trinitas,
Triumque simplex Unitas,
Ut qui Joanni supplicant,
Id impetrent, quod flagitant.
Amen.

℣. Posui ori meo custodiam.
℟. Cum consisteret peccator adversum me.

Ad Benedictus, Antiphona. Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

Oratio.

Deus, qui ob invictum beati Joannis sacramentale silentium nova Ecclesiam tuam martyrii corona decorasti: da, ut ejus exemplo et intercessione ori nostro custodiam ponentes, Beatis, qui lingua non sunt lapsi, annumeremur. Per Dominum.

AD TERTIAM.

Antiph. Rex dixit.

Capit. Labia imprudentium, ut supra.

℟. br. Sacramentum Regis *

Abscondere bonum est. Sacramentum.

℣. Opera autem Dei revelare honorificum. Abscondere.

Gloria Patri. Sacramentum.

℣. Pone, Domine, custodiam ori meo.

℟. Et ostium circumstantiae labiis meis.

AD SEXTAM.

Antiph. Affirmabat Rex.

Capitulum. Eccli. 28.

Sepi aures tuas spinis: linguam nequam noli audire, et ori tuo facito ostia et seras.

℟. br. Pone, Domine, * Custodiam ori meo. Pone Domine.

℣. Et ostium circumstantiae labiis meis. Custodiam.

Gloria Patri. Pone.

℣. Dixi: Custodiam vias meas.

℟. Ut non delinquam in lingua mea.

AD NONAM.

Antiph. Beatus.

Capitulum. Eccli. 28.

Aurum tuum, et argentum tuum confla, et verbis tuis facito stateram, et frenos ori tuo rectos: et attende, ne forte labaris in lingua.

℟. br. Dixi: * Custodiam vias meas. Dixi.

℣. Ut non delinquam in lingua mea. Custodiam.

Gloria Patri. Dixi: Custodiam vias meas.

℣. Posui ori meo custodiam.

℟. Cum consisteret peccator adversum me.

IN II. VESPERIS.

Antiphonae, Psalmi et Capitulum ut in primis, et loco ultimi, Psal. Credidi.

Hymnus.

Jam faces lictor ferat, et minantem
Jam ferox ensem, rabidumque tortis
Vinculis ferrum, sacra ni Sacerdos
Abdita pandat.

Sentiet vires, animaeque magnae
Prodigum pectus: violentus ira
Non quatit recti solida tenacem
Mente satelles.

En ruit praeceps tumulatus unda
Martyr, et fluctu placido silentem
Naufragus linguam melioris aevi
Servat in usum.

At superjectae facili natantes
Amne discurrunt, rutilantque circa
Martyrem flammae: bene gesta plaudens
Ornat Olympus.

Ornat et linguam, rosei instar ignis
Vividam servans, et adhuc rubentem,
Indicat quaenam fuerit tacentis
Gratia linguae.

Sit decus Patri, Genitoque, Sanctum

Spiritum laudent, ab utroque puris
Qui calet flammis, sine fine psallens
Orbis uterque. Amen.

℣. Posui ori meo custodiam.
℟. Cum consisteret peccator adversum me.

Ad Magnificat, Antiphona. In conspectu potentium admirabilis ero, facies principum mirabuntur me: tacentem me sustinebunt, et loquentem me respicient.

Oratio ut supra.

DIE XVII. MAJI.

In festo
S. Maximae Virginis.

Duplex.

Oratio. Exaudi, de Communi Virginum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno de Communi Virg. secundo loco.

In tertio Nocturno de eodem Communi primo loco.

DIE XXI. MAJI.

In festo
S. Felicis a Cantalice
Confessoris.

Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. praeter ea, quae hic propria signantur.

In Hymno Iste Confessor, mutatur tertius versus.

Oratio.

Fac nos, Domine Jesu, in simplicitate et innocentia cordis nostri ambulare; quarum amore de sinu Matris inter beati Felicis Confessoris tui brachia descendisti. Qui vivis.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Felix a Cantalicio, in Sabinis, humilibus, sed piis parentibus natus, a puero pascendis gregibus, mox et agro colendo addictus, multo impensius rerum coelestium meditatione animum nutrire, et corpus assiduis vigiliis ac jejuniis domare coepit, eremiticam agens vitam potius, quam rusticam. Ferventiore autem in Deum pietate incensus, cum non posset quotidie, ut optabat, sacris mysteriis interesse, grege ad loca solitaria compulso, ipse ante crucem, arborum corticibus incisam, diu orare, seque acriter flagellare consueverat: sed et aliquando glebas in agro vertere, simulque Sacris in templo adesse visus est. Alias inter arandum furentibus, quos junxerat, indomitis juvencis, humi stratus, et aratro superducto plane proscindendus, lacerata dumtaxat veste, surrexit illaesus. Quo periculo, ut ad tutiorem regularis disciplinae palaestram vocanti jam pri-

dem Deo pareret, admonitus, rustica supellectili pauperibus distribui jussa, ad Fratres Minores, quos Capucinos vocant, propere se contulit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: ✻ Et dedit illi claritatem aeternam, alleluja.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Adhuc tyro, necdum vota solemnia professus, religiosae perfectionis apicem jam attigisse videbatur. Obedientiae sedulus cultor, ad praecipientis non modo verbum, sed etiam nutum praesto erat, seque coenobii jumentum dictitans, vilissima quaeque ministeria semper arripuit, ac ludibria et contumelias hilari vultu excipiebat. Paupertatis quam esset studiosus, illustri documento Deus ipse declaravit. Ostiatim enim per vicos et plateas alendis Fratribus mendicans (quod ille munus per annos quadraginta nudis fere semper pedibus obivit) cum die quadam inusitato pondere se opprimi sentiret, manticam scrutatus, injectum clam nummum deprehendit: quo projecto, nec sine indignatione proculcato, alacer ac levis inde abiit. Castitatem, quam usque ad obitum servavit illibatam, sanctus corpore et spiritu a Paulo Quinto propterea appellatus, vigili oculorum custodia, et voluntario corporis cruciatu communivit, asperrimo flagello se quotidie cruentans, ac ferreo cilicio constrictus, septem etiam Urbis Basilicas identidem invisens. Jejunia Ordinis inedia quandoque cumulavit. Lectus ejus doloris potius, quam quietis erat: brevem quippe somnum, flexis nuda super tabula genibus, ac fasce sarmentorum capiti supposito, carpebat.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: ✻ Et ad portas paradisi coronavit eum, alleluja.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad.

Lectio VI.

Vitae austeritate sibi asper, aliis carus, acceptusque, sanctis praesertim Carolo et Philippo Nerio, simplicitate atque innocentia semper fuit. In oratione pernoctans, dulcissimam frequenter extasim est passus: et aliquando in ulnis suis, reclinatum a Virgine Matre Puerum Jesum suavissime complecti meruit. Prophetiae gratia et miraculorum clarus demortuum etiam filium matri vivum restituit. Meritis tandem in bona senectute cumulatus, secunda (ut praedixerat) feria Pentecostes ad coelestem Patriam, Deipara invitante, laetus abiit. Ejus corpus in Ecclesia sui Ordinis summa urbis veneratione colitur, Domino crebris

miraculis servi sui sanctitatem illustrante, quem propterea Urbanus Papa Octavus Beatorum, Clemens vero Undecimus Sanctorum fastis adscripsit.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus, alleluja.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 11.

Lectio VII.

In illo tempore respondens Jesus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine coeli, et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia

Sancti Augustini Episcopi.

Sermon. 9. de verb. Dom.

Omnia saeva et immania, prorsus facilia, et prope nulla efficit amor. Quanto ergo certius ac facilius ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam quantum potuit, cupiditas fecit! Quam facile toleratur quaelibet adversitas temporalis, ut aeterna poena vitetur, et aeterna requies comparetur! Non immerito ille vas electionis cum ingenti laetitia dixit: Non sunt condignae passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Ecce unde illud jugum suave est, et sarcina levis, et si angusta est paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Psalmista: Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, allel.

℣. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. Ipse.

Lectio VIII.

Sed quae dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescunt amantibus. Propter quod ita divinae pietatis dispensatione actum est, ut interior homo, qui renovatur de die in diem, non adhuc sub lege positus, sed jam sub gratia exoneratus sarcinis innumerabilium observationum, quod erat revera grave jugum, sed durae cervici convenienter impositum, facilitate simplicis fidei et bonae spei et sanctae charitatis, quidquid molestiarum exteriori homini forinsecus intulisset ille princeps, qui missus est foras, interiori gaudio fieret leve.

℟. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. alleluja.

℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio IX.

Nihil enim tam facile est bonae voluntati, quam ipsa sibi, et haec sufficit Deo. Quantumlibet ergo saeviat iste mundus, verissime Angeli, nato in carne Domino, clamaverunt: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis: quia ejus, qui natus erat, suave jugum est, et sarcina levis. Et sicut dicit Apostolus: Fidelis Deus, qui nos non sinit tentari supra id, quod possumus ferre: sed facit cum tentatione etiam exitum, ut possimus sustinere.

Te Deum laudamus.

DIE XXII. MAJI.

In festo
S. Ubaldi Episcopi Conf.

Semiduplex.

Dies assignata ex 16. hujus. Omnia ut ibi. In Hymno mutatur tertius versus.

DIE XXIII. MAJI.

In festo
S. Paschalis Baylon Ordinis Minorum Discalceatorum Conf.

Duplex.

Dies assignata ex 17. hujus. Omnia de Communi Conf. non Pontif. praeter sequentia.

In Hymno Iste Confessor, mutatur tertius versus.

Oratio.

Deus, qui Beatum Paschalem Confessorem tuum mirifica erga Corporis et Sanguinis tui sacra Mysteria dilectione decorasti: concede propitius, ut quam ille ex hoc Divino Convivio spiritus percepit pinguedinem, eamdem et nos percipere mereamur: Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente, in earum defectu de Communi: Justus, si morte.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Paschalis Baylon, pauperibus piisque parentibus in Oppido Turris Formosae Seguntinae Dioecesis in Aragonia natus, a teneris annis plura dedit futurae sanctitatis indicia. Sortitus animam bonam, ac rerum coelestium apprime studiosam, pueritiam atque adolescentiam in gregis custodia transegit: quam ille vivendi rationem ideo praecipue diligebat, quod humilitati fovendae ac innocentiae conservandae in primis utilem atque opportunam judicaret. Erat in victu modicus, in oratione assiduus, tanta-

que apud coaevos et socios florebat auctoritate et gratia, ut, eorum lites componens, errores corrigens, ignorantiam erudiens, ac desidiam excitans, velut omnium parens et magister, maximo studio coleretur ac amaretur: Beatus etiam tum a plerisque appellatus.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam, alleluja.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Qui vero in saeculo, terra nempe deserta et inaquosa, adeo feliciter adoleverat flos convallium, plantatus in domo Domini, mirum ubique sparsit sanctitatis odorem. Igitur Paschalis, arrepto vitae severioris instituto, atque in Ordine Minorum Strictioris Observantiae Discalceatorum cooptatus, exultavit ut gigas ad currendam viam suam, totumque se Domino excolendum tradens, dies noctesque cogitabat, qua se ratione magis ei magisque conformaret. Ita factum est brevi, ut eum, tamquam Seraphicae perfectionis exemplar, ipsi quoque provectiores imitandum sibi proponerent. Ipse autem in humili servientium gradu constitutus, se, velut omnium peripsema, reputans, ardua quaeque et abjecta domus ministeria, veluti jure quodam peculiari sibi debita, summa cum hilaritate suscipiebat et exercebat humilitate ac patientia pari. Carnem spiritui quandoque reluctari nitentem jugi maceratione afflictavit, atque in servitutem redegit: spiritum vero assidua sui abnegatione ferventiorem in dies ad anteriora extendebat.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum, alleluja.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad.

Lectio VI.

Deiparam Virginem, cujus clientelae se ab ineunte aetate dicaverat, tamquam matrem, quotidianis colebat obsequiis, atque filiali exorabat fiducia. Porro erga Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, difficile dictu est, quam ardenti teneretur devotionis affectu, quem defunctus etiam in cadavere retinere visus est, dum jacens in feretro, ad sacrae Hostiae elevationem bis oculos reseravit et clausit, magna omnium, qui aderant, admiratione. Ejusdem veritatem inter haereticos publice palamque professus, multa et gravia ob eam causam perpessus est; crebro etiam ad necem petitus, sed singulari Dei providentia impiorum manibus ereptus. Saepe inter orandum omnibus destituebatur sensibus,

dulcique languebat amoris deliquio: quo tempore coelestem illam scientiam hausisse creditus est, qua homo rudis et illiteratus de mysteriis fidei difficillimis respondere, atque aliquot etiam libros conscribere potuit. Denique meritis plenus, eadem, qua praedixerat, hora, feliciter migravit ad Dominum, anno salutis millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, sextodecimo Kalendas Junii; eodem, quo natus fuerat, Festo Pentecostes recurrente, annum agens secundum supra quinquagesimum. Quibus aliisque virtutibus insignem, ac miraculis tam in vita, quam post mortem clarum, Paulus Quintus Pontifex Maximus illum Beatum appellavit: Alexander autem Octavus Sanctorum Catalogo adscripsit.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus, alleluja.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno Homilia in Evang. Sint lumbi vestri, de Communi Conf. non Pontif. primo loco.

DIE XXIX. MAJI.

In festo

S. Maximi Episcopi Mart., Ecclesiae Cathedralis Patroni.

Duplex majus.

Omnia de Communi unius Martyris.

Oratio. Deus, qui nos, de eodem Communi.

Tempore pasch. Lectiones in primo Nocturno: A Mileto, de eodem Communi.

In secundo et tertio Nocturno de Communi Martyr. temp. pasch. primo loco.

Extra tempus pasch. Lectiones primi et secundi Nocturni de Communi primo, et tertii Nocturni de eodem Communi secundo loco.

DIE XXX. MAJI.

In festo

Invention. Manus dexterae

S. Stephani Regis Hung. Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. praeter ea, quae sequuntur.

In Hymno Iste Confessor, mutatur tertius versus.

In utrisque Vesperis ad Magnificat, Antiphona. Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in saeculum saeculi.

Oratio.

Deus, qui es Sanctorum tuorum splendor mirabilis, quique hodierna die beati Stephani Regis et Confessoris tui gloriosam Dexteram revelasti: da nobis famu-

lis tuis de ejus semper protectione gaudere. Per Dominum.

Et fit commem. S. Felicis Papae Mart.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Inter caetera divinae potentiae miracula, quibus Famuli sui Stephani sanctitatem illustrare Deus voluit, illud praecipue eminet, quod venerandis ejus Reliquiis elevatis, ac caeteris membris resolutis, sola Manus dextera miro pietatis Dei munere integra, et ab omni corruptione immunis deprehensa fuerit. Quo scilicet novi miraculi indicio prolixam sancti Regis tum in Ecclesiis et locis piis fundandis instruendisque, tum in sublevandis egenis atque pauperibus largitatem in terris glorificare Deus voluit, et immarcescibilem gloriae coronam illi jam retributam in coelis non obscure denuntiavit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: ✻ Et dedit illi claritatem aeternam, alleluja.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Singularis profecto fuit ejus charitas in peregrinos, in quibus Christi Domini Salvatoris imaginem devoto mentis affectu suscipiens, incredibile dictu est, quanta eos susceperit alacritate, foverit benignitate. Quotquot enim vel Hierosolymas ad sepulchrum Domini, vel Romam ad Apostolorum limina per Hungariam iter suum instituerunt, eos omnes ut fratres excipere, opportunisque subsidiis juvare studuit. Qua ejus humanitate provocati cujuscumque conditionis peregrini, omisso itinere, quod antea mari tenebant, terrestrem Hungarici regni viam susceperunt. Hanc autem charitatem ut faceret perpetuam, tam Romae, quam Constantinopoli, ac Hierosolymis pro peregrinis excipiendis constituit hospitia opimis instructa redditibus.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: ✻ Et ad portas paradisi coronavit eum, alleluja.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad.

Lectio VI.

Multa quidem ac magna fuere pietatis et misericordiae opera, quae Sanctus palam et publice fecit; in id tamen toto animi conatu intendebat, ut praeceptum Domini adimpleret, dicentis: Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Hinc solemne ei erat nocturnas vigilias lavandis Christi fidelium pedibus, et abscon-

dendis in sinu pauperum eleemosynis impendere. Quae charitatis officia dum solus et ignotus expleret, non semel injurias ac contumelias invicto hilarique animo toleravit. Hujus itaque misericordiae et benignitatis merito sancti Viri Dexteram inter caetera ossa diu quaesitam, et non inventam, ac tandem singulari Dei beneficio incorruptam repertam beatus Ladislaus Hungariae Rex in Basilicam, quam largo sumptu, et ditissimo apparatu instauravit, in magna episcoporum et optimatum frequentia inferri, ac honorifice locari curavit. Cujus rei anniversariam memoriam ex veteri instituto hodierna celebritate recolimus.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus, allel.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 12.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia
Sancti Fulgentii Episcopi.

Ex Sermone de Confessoribus.

Si non omnes possunt implere, quod Dominus ait: Vendite, quae possidetis; illud tamen, quod adjecit dicens: Date eleemosynam, omnibus est possibile, si adsit bona voluntas; omnibus facile, si non adsit dira cupiditas; omnibus salubre, si ferveat charitas; cunctis debet esse commune, ut omnibus donetur aeterna felicitas: qui ergo tantam virtutem accepit a Domino, ut omnia, quae in mundo sunt, coelestis regni amore contemnat, quae habet vendat, et egenis expendat: qui vero tantae virtutis nondum est, de his, quae habet, in quantum habet, eleemosynam faciat.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluja.

℣. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. Ipse.

Lectio VIII.

Perfectus possideat primum virtutis locum, imperfectus saltem perveniat ad secundum. Efficiatur ille gloriose dignus, sit iste sanctorum pauperum piissimus consolator: habeat iste apud

Deum patronos pauperes, quos ille se gaudet virtutis habere consortes; sit ille talis, qui cum Domino judicaturus sedeat, sit iste talis, qui ad dexteram judicandus assistat: sit ille talis, qui aeterna tabernacula perpetuo jure possideat, sit iste talis, quem ille recipiat. * Thesaurum nostrum, fratres, in coelis ponamus; ut etiam cor nostrum in coelis habere possimus. Necesse est enim, ut quo praecesserit dilectionis thesaurus, illuc etiam cogitationis sequatur affectus. Ideo Veritas ait: Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit; ut ergo in coelis thesaurizemus, coelestia diligamus: vis nosse, ubi thesaurizas? attende, quid amas; vis nosse, quid amas? attende, quid cogitas; ita fiet, ut thesaurum tuum judicio tuae cogitationis intelligas.

℟. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, allel.

℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio IX. erit de S. Felice Papa Mart. ut in Brev.; si tamen hoc festum transferri contingeret, dividatur lect. VIII. in duas, in illis verbis: Thesaurum nostrum, fratres.

Ad Benedictus, Antiphona. Stabilita sunt bona illius in Domino, et eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.

Oratio ut supra. Et fit commem. S. Felicis Papae et Mart.

DIE XXXI. MAJI.

In festo

Sanctorum Cantiani, Cantii et Cantianillae Fratrum MM.

Duplex majus.

Omnia de Communi plurimor. Mart. pro varietate temporum, praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Praesta quaesumus, omnipotens Deus, ut populus tuus ad plenae devotionis affectum beatorum Martyrum Cantiani et Sociorum ejus natalitiis praeparetur: et eorum patrocinio promerente, beatae capiat securitatis augmentum. Per Dominum.

Deinde fit commem. S. Petronillae Virg.

In primo Nocturno, Lectiones: Fratres, debitores, de Communi primo loco.

℟℟. pro ratione temporum.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Cantianus praeclara Aniciorum progenie, Christiana fide longe clarior evasit. A pueritia sub Prothi viri sanctissimi disciplina instructus, neglecto avitarum dignitatum fastu, elegit magis affligi cum populo Dei, quam tem-

poralis peccati habere jucunditatem. Quapropter virtute non minus, quam aetate proficiens, Diocletiano et Maximiano Imperatoribus in Christianos nefarie saevientibus, Fidem, quam corde et ore profitebatur, ut operibus etiam comprobaret, opulentissimo vendito patrimonio, pecuniam omnem in Christianos inopia laborantes distribuit; plurimosque servos, quos domi alebat, sacro ablutos baptismate, libertate donavit. Ut vero caeteris etiam fidelibus in variis Italiae provinciis sub immanitate persecutionis gementibus esset subsidio, assumptis peregrinationis sociis Cantio fratre, Cantianilla, ac Protho paris propositi et Fidei consortibus, regiones varias perlustravit.

℟. Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, servientes praeceptis tuis, ut invenirentur illaesi in aquis validis: ℣ Terra apparuit arida, et in mari rubro via sine impedimento.

℣. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquae, et torrentes inundaverunt. Terra.

Tempore paschali.

℟. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, ℣ Et aeternitas temporum, alleluja alleluja.

℣. Laetitia sempiterna erit super capita eorum, gaudium et exultationem obtinebunt. Et aeternitas.

Lectio V.

Cum autem Aquilejam adventasset, et quanta pridem passus fuerit Christi Athleta, Chrysogonus accepisset; ardentiori charitatis flamma succensus, coepit clam hortari omnes, ut in proposito Fidei permanerent; ac noctu visitans eos, qui vincti in custodiis tenebantur, ad asperrima quaeque pro Christo perferenda ignitis sermonibus animabat. Et cum mox adversus omnia pericula imperterritus palam coepisset annuntiare Jesu Christi Fidem, magna facta est virorum ac mulierum accessio ad illam profitendam, dante Deo, ut signis atque prodigiis verbum Domini confirmaretur: nam Cantianus leprosos, et a daemonibus vexatos curabat, caecis visum, aegris sanitatem impertiebatur.

℟. Verba carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: ℣ Ut haeredes fierent in domo Domini.

℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut haeredes.

Tempore paschali.

℟. In servis suis, alleluja, ℣ Consolabitur Deus, alleluja.

℣. Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis. Consolabitur.

Lectio VI.

Quibus auditis Dulcidius praeses, ejusque collega Sisinius, Cantianum ejusque Socios Christo renuntiare frustra jubent; tormenta tamen in ipsos, propter eximiam generis nobilitatem, nonnisi Imperatorum mandato exhibere sunt ausi. Missis igitur qui referrent, quod evenerat, ad hujusmodi nuntium excandescentes confestim rescribunt, gloriosos Christi Confessores, ni diis sacrificent, capite plectendos. Quare Sisinius, collecta spiculatorum manu, ipsos super rheda abeuntes insequitur, comprehenditque eodem in loco ad Aquas Gradatas, ubi Chrysogonus martyrii cursum feliciter consummaverat. Tunc generosi Athletae, elevatis ad coelum manibus, psallentes et gratias agentes Deo, seseque invicem confortantes, flexis genibus deprecabantur: Domine Jesu Christe Deus omnipotens, dirige sanctum Angelum tuum ad auxilium nostrum, ut confundantur omnes, qui adorant sculptilia; ac deinde impavidi pridie Kalendas Junii sacras cervices ferro praecidendas constantissime obtulerunt. Quorum corpora Zeno Presbyter aromatibus condita prope ejusdem sancti Chrysogoni sepulchrum tumulavit.

℟. Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum: * Quoniam donum et pax est electis Dei.

℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: et fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

Tempore paschali.

℟. Filiae Jerusalem, venite, et videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus * In die solemnitatis et laetitiae, alleluja.

℣. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die. Gloria Patri. In die.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Descendens, de Communi secundo loco. Tempore pasch. de Homil. in Evang. Ego sum vitis, vos palmites, de Communi secundo loco.

VIII. ℟. Haec est vera fraternitas.

In Laudibus commem. S. Petronillae Virg.

FESTA JUNII.

FERIA VI. POST OCTAVAM SS. CORPORIS CHRISTI.

Officium
SACRATISSIMI CORDIS
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Vesperae dicuntur integrae de die octava SS. Corporis Christi sine commem. SS. Cordis. Alias, Antiphonae ut infra in laudibus, Psal. Dixit Dominus, cum reliquis ut in Vesp. SS. Corporis Christi.

Capitulum. Isaiae 12.

Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo, quia fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

Hymnus.

Auctor beate saeculi,
Christe Redemptor omnium,
Lumen Patris de lumine,
Deusque verus de Deo.
Amor coëgit Te tuus
Mortale corpus sumere
Ut novus Adam redderes,
Quod vetus ille abstulerat.
Ille amor almus artifex
Terrae, marisque et siderum,
Errata patrum miserans,
Et nostra rumpens vincula.
Non corde discedat tuo
Vis illa amoris inclyti:
Hoc fonte gentes hauriant
Remissionis gratiam.
Percussum ad hoc est lancea,
Passumque ad hoc est vulnera;
Ut nos lavaret sordibus,
Unda fluente et sanguine.
Decus Parenti et Filio,
Sanctoque sit Spiritui,
Quibus potestas, gloria,
Regnumque in omne est saeculum. Amen.

℣. Ignem veni mittere in terram.
℟. Et quid volo, nisi ut accendatur?

Ad Magnificat, Antiphona.

Improperium expectavit cor meum, et miseriam: et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni.

Oratio.

Concede, quaesumus omnipotens Deus, ut qui in sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes, praecipua in nos charitatis ejus beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur et fructu. Per eumdem Dominum nostrum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum pro nobis passum: * Venite adoremus.

Psal. Venite exultemus.

Hymnus.

En, ut superba criminum,
Et saeva nostrorum cohors
Cor sauciavit innocens
Merentis haud tale Dei!
Vibrantis hastam militis
Peccata nostra dirigunt;
Ferrumque dirae cuspidis
Mortale crimen acuit.
Ex corde scisso Ecclesia
Christo jugata nascitur;
Hoc ostium arcae in latere est
Genti ad salutem positum.
Ex hoc perrenis gratia,
Ceu septiformis fluvius;
Stolas ut illic sordidas
Lavemus Agni in sanguine.
Turpe est redire ad crimina,
Quae Cor beatum lacerent:
Sed aemulemur cordibus
Flammas amoris indices.
Hoc Christe nobis, hoc Pater,
Hoc Sancte dona Spiritus,
Quibus potestas, gloria,
Regnumque in omne est saeculum. Amen.

In primo Nocturno.

Antiph. Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum Cor tuum?

Psalmi omnium Noctur. ut in Officio parvo B. M. V.

Antiph. Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Antiph. Elevamini, portae aeternales, et introibit Rex gloriae.

℣. Domine dabis pacem nobis.

℟. Omnia enim opera nostra operatus es nobis.

De Isaia Propheta.

Lectio I.

Cap. 12.

Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, et consolatus es me. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo, quia fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et dicetis in die illa: Confitemini Domino, et invocate nomen ejus, notas facite in populis adinventiones ejus; mementote, quoniam excelsum est nomen ejus. Cantate Domino, quoniam mirifice fecit: annuntiate hoc in universa terra. Exulta, et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israël.

℟. Ego sum panis vitae: patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt: * Hic est panis de coelo descendens, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur.

℣. Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Hic est.

Lectio II.

Cap. 26.

In die illa cantabitur canticum istud in terra Juda: Urbs fortitudinis nostrae Sion: Salvator ponetur in ea murus, et antemurale. Aperite portas, et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem. Vetus error abiit, servabis pacem, pacem, quia in te speravimus. Sperasti in Domino in saeculis aeternis, in Domino Deo forti in perpetuum. Quia incurvabit habitantes in excelso, civitatem sublimem humiliabit, humiliabit eam usque ad terram.

℟. Ecce vidimus eum non habentem speciem, neque decorem: aspectus ejus in eo non est: hic peccata nostra portavit, et pro nobis dolet, ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: ✻ Cujus livore sanati sumus.

℣. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Cujus.

Lectio III.

Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum: et in semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te. Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animae. Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te. Cum feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis.

℟. Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia magna solus: ✻ Et benedictum nomen majestatis ejus in aeternum.

℣. Replebitur majestate ejus omnis terra, fiat fiat. Et benedictum. Gloria Patri. Et benedictum.

In secundo Nocturno.

Antiph. Afferentur in laetitia et exultatione, adducentur in templum Regis.

Antiph. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Antiph. Sicut laetantium omnium habitatio est in te.

℣. Conversus est furor tuus.

℟. Et consolatus es me.

De Serm. S. Bernardi Abbatis.

Serm. 3. de Pass.

Lectio IV.

Quia semel venimus ad Cor dulcissimum Jesu, et bonum est nos hic esse, ne sinamus nos facile avelli ab eo, de quo scriptum est: Recedentes a te in terra scribentur. Quid autem accedentes? Tu ipse doces nos. Tu dixisti accedentibus ad te: Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in coelo. Accedamus ergo ad te, et exultabimus, et laetabimur in te, memores Cordis tui. O quam bonum et quam jucundum habitare in Corde hoc! Quin potius dabo omnia, omnes cogitationes, et affectus mentis commutabo, jactans omne cogitatum meum in

Cor Domini Jesu, et sine fallacia illud me enutriet.

℟. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, * In me manet, et ego in eo.

℣. Non est alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. In me manet.

Lectio V.

Ad hoc Templum, ad haec Sancta Sanctorum, ad hanc Arcam Testamenti adorabo et laudabo nomen Domini, dicens cum David: Inveni cor meum, ut orem Deum meum. Et ego inveni Cor Regis, Fratris et Amici benigni Jesu. Et numquid non adorabo? Hoc igitur Corde tuo, et meo, dulcissime Jesu, in vento, orabo te Deum meum: admitte tantum in sacrarium ex auditionis tuae preces meas; imo me totum trahe in Cor tuum. O omnium pulchritudine specio sissime Jesu, amplius lava me abiniquitate mea, et a peccato meo munda me, ut purificatus per te purissimum, possim accedere, et in Corde tuo omnibus diebus vitae meae merear habitare, et ut videre simul, et facere tuam valeam voluntatem.

℟. Sicut ovis ad occisionem ductus est, et dum male tractaretur, non aperuit os suum: traditus est ad mortem, * Ut vivificaret populum suum.

℣. Tradidit in mortem animam suam, et inter sceleratos reputatus est. Ut vivificaret.

Lectio VI.

Ad hoc enim perforatum est latus tuum, ut nobis patescat introitus. Ad hoc vulneratum est Cor tuum, ut in illo, et in te, ab exterioribus perturbationibus absoluti, habitare possimus. Nihilominus et propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile, vulnus amoris invisibile videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi quod non solum corpus, verum etiam ipsum Cor lancea vulnerari permisit? Carnale ergo vulnus spirituale ostendit. Quis illud Cor tam vulneratum non diligat? Quis tam amans non redamet? Quis tam castum non amplectatur? Nos igitur adhuc in corpore manentes, quantum possumus amemus, redamemus, amplectamur vulneratum nostrum, cujus impii agricolae foderunt manus et pedes, latus et Cor: stemusque, ut cor nostrum durum adhuc et impoenitens amoris sui vinculo constringere, et jaculo vulnerare dignetur. Quam charitatem Christi patientis, et pro generis humani redemptione morientis, atque in suae mortis commemorationem instituentis Sacramentum Corporis et Sanguinis sui, ut Fideles sub sanctissimi Cordis symbolo devotius ac ferventius recolant, ejusdemque fructus uberius percipiant, Clemens Decimustertius Pontifex Maximus ejusdem sanctissimi Cordis festum quibus-

X Pius nonus ad universam extendit ecclesiam ac denique Leo XIII. orbis cunctis vobis obsecundans ad risum dupl. primae classis evexit.

dam petentibus Ecclesiis celebrare permisit. ✗

℟. Magnus Dominus et laudabilis nimis: * Et sapientiae ejus non est numerus.

℣. Magnus Dominus, et magna virtus ejus, et sapientiae ejus non est finis. Et sapientiae.

Gloria Patri. Et sapientiae.

In tertio Nocturno.

Antiph. Annuntiate de die in diem salutare ejus.

Antiph. Adorate eum omnes Angeli ejus: audivit et laetata est Sion.

Antiph. Viderunt omnes termini terrae salutare Dei nostri.

℣. Ex Sion species decoris ejus.

℟. Deus noster manifeste veniet.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 19.

Lectio VII.

In illo tempore: Judaei, quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati,), rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Et reliqua.

Homilia

Sancti Augustini Episcopi.

Tract. 420. in Joan.

Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit; ut illic quodammodo vitae ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiae manaverunt, sine quibus ad vitam, quae vera vita est, non intratur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculum, haec et lavacrum praestat et potum. Hoc praenuntiabat, quod Noë in latere arcae ostium facere jussus est, quo intrarent animalia, quae non erant diluvio peritura, quibus praefigurabatur Ecclesia.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: * Et qui manducat me, vivet propter me.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus. Et qui manducat.

De Homilia

Sancti Joannis Chrysostomi.

Homil. 84. in Joan.

Lectio VIII.

Vides quanti sit veritas? Per ea, quae Judaei faciunt, prophetia impletur: alia enim ex hoc manifestata est. Venerunt ergo milites, et aliorum fregerunt crura, non Christi; sed ad Judaeorum gratiam conciliandam, latus ejus lancea aperuerunt, et mortuo ad-

huc insultant. O pessimam voluntatem ac scelestissimam! Noli tamen perturbari, o dilectissime! quae enim malo illi animo patrarunt, veritati consentiebant: prophetia hinc impleta est, inquiens: Videbunt, in quem transfixerunt. Neque hoc tantum, sed non credituris fuit fidei argumentum, ut Thomae, et qui cum eo erant. Ad haec et arcanum mysterium confirmatum est; exivit enim sanguis et aqua. Non casu et simpliciter hi fontes scaturierunt, sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est.

℟. Recessit Pastor noster, fons aquae vivae, ad cujus transitum sol obscuratus est: * Portas mortis et seras pariter Salvator noster disrupit.

℣. Destruxit quidem claustra inferni, et subvertit potentias diaboli. Portas. Gloria Patri. Portas.

De Homilia

Sancti Bonaventurae Episcopi

Lib. de lign. vitae.

Lectio IX.

Porro ut de latere Christi dormientis formaretur Ecclesia, divina est ordinatione indultum, ut unus militum lancea latus sacrum illud aperiendo perfoderet, quatenus sanguine cum aqua manante, pretium effunderetur nostrae salutis, quod a fonte scilicet Cordis arcano profusum, vim daret Sacramentis Ecclesiae, ad vitam gratiae conferendam; essetque jam in Christo viventibus poculum fontis vivi, salientis in vitam aeternam. Surge igitur, anima amica Christi, vigilare non cesses, ibi os appone, ut haurias aquas de fontibus Salvatoris.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES

et per Horas, Antiphona.

Discite a me, quia mitis sum et humilis Corde.

Psal. Dominus regnavit, cum reliquis de Dominica.

Antiph. Sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei et Cor meum ibi cunctis diebus.

Antiph. Et dixi: Ergo sine causa justificavi Cor meum, et lavi inter innocentes manus meas, et fui flagellatus tota die.

Antiph. Secundum multitudinem dolorum meorum in Corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam.

Antiph. Pone me ut signaculum super Cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.

Capitulum. Isaiae 12.

Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo, quia fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

Hymnus.

Cor, arca legem continens
Non servitutis veteris,
Sed gratiae, sed veniae,
Sed et misericordiae.
Cor, sanctuarium novi
Intemeratum foederis,
Templum vetusto sanctius,
Velumque scisso utilius.
Te vulneratum Charitas
Ictu patenti voluit,
Amoris invisibilis
Ut veneremur vulnera.
Hoc sub amoris symbolo
Passus cruenta et mystica,
Utrumque sacrificium
Christus Sacerdos obtulit.
Quis non amantem redamet?
Quis non redemptus diligat,
Et Corde in isto seligat
Aeterna tabernacula?
Decus Parenti et Filio,
Sanctoque sit Spiritui,
Quibus potestas, gloria,
Regnumque in omne est saeculum. Amen.

℣. Vere languores nostros ipse tulit.

℟. Et dolores nostros ipse portavit.

Ad Benedictus, Antiphona. Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus.

Oratio.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui in sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes, praecipua in nos charitatis ejus beneficia recolimus: eorum pariter et actu delectemur et fructu. Per eumdem Dominum nostrum.

Ad Primam in ℟. br. ℣. Qui passus es pro nobis.

AD TERTIAM.

Antiph. Sanctificavi locum.

Capit. Ecce Deus, ut supra.

℟. br. Vere * Languores nostros ipse tulit. Vere.

℣. Et dolores nostros ipse portavit. Languores.

Gloria Patri. Vere.

℣. Posuit fines tuos pacem.

℟. Et adipe frumenti satiat te.

AD SEXTAM.

Antiph. Et dixi: Ergo sine.

Capitulum. Isaiae 12.

Dicetis in illa die: Confitemini Domino, et invocate nomen ejus; et mementote, quoniam excelsum est nomen ejus.

℟. br. Posuit * Fines tuos pacem. Posuit.

℣. Et adipe frumenti satiat te. Fines.

Gloria Patri. Posuit.

℣. Dirupisti, Domine, vincula mea.

℟. Tibi sacrificabo hostiam laudis.

AD NONAM.

Antiph. Pone me ut signaculum.

Capitulum. Isaiae 12.

Cantate Domino, quoniam mirifice fecit, annuntiate hoc in universa terra. Exulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israël.

℟. br. Dirupisti, Domine, * Vincula mea. Dirupisti.

℣. Tibi sacrificabo hostiam laudis. Vincula.

Gloria Patri. Dirupisti.

℣. Erit Dominus nominatus in signum aeternum.

℟. Quod non auferetur.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, praeter sequentia.

℣. Haurietis aquas in gaudio.

℟. De fontibus Salvatoris.

Ad Magnificat, Antiphona. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum mortuum, non fregerunt ejus crura; sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.

Oratio ut supra.

DIE IV. JUNII.

In festo

S. Quirini Episcopi Martyr.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. praeter haec propria.

Oratio. Deus, qui nos, de Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Quirinus Sisciae in Illyrico Episcopus, cum pastoralis officii munus explens, de Ecclesia optime mereretur, facile odium gentilium in se excitavit. Igitur sub Galerio praeside, qui eas tunc regiones administrans, in Christianos acerrime saeviebat, comprehenditur: cum vero nulla vi tormentorum adduci posset, ut Fidem abnegaret, nec desineret, idolis contemptis, Christum confiteri, morti addicitur.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Temp. pasch. ℟. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, * Et aeternitas temporum, alleluja, alleluja.

℣. Laetitia sempiterna erit super capita eorum, gaudium et exultationem obtinebunt. Et aeternitas.

Lectio V.

Ergo molari lapide ad collum alligato, in fluvium e ponte praecipitant. Verum supponente Domino manum suam, ingenti miraculo factum est, ut non modo sub ipso pondere non mergeretur, sed

lapidem etiam aquis supernatans, ne ad ima tenderet, quodammodo retineret. Compleverant ripas Christiani, quos cum timore perterritos animadvertisset, ex ipso, in quo fluitabat amne, hortatus impense est, ne pro Fide mortem, quae immortalitatem parit, jacturam arbitrarentur.

℟. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

Temp. pasch. ℟. In servis suis, alleluja. * Consolabitur Deus, alleluja.

℣. Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis. Consolabitur.

Lectio VI.

Denique cupiens dissolvi, et esse cum Christo, conversus ad Dominum oravit, ut, quoniam jam satis eo prodigio gloriam suam gentibus manifestaverit, ipsum tandem corporis vinculis solutum e vita abire permitteret. Eas inter preces spiritum Deo reddidit. Tum vero molaris lapis, quem vivum non poterat, eum exanimem quasi tumulo illaturus secum demersit. Sacrum corpus fideles honorifice condidere. Ejus ossa longo post tempore ad catacumbas delata sunt, ac deinde ab Innocentio Secundo in Basilica sanctae Mariae Transtyberim collocata.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus, et aqua sapientiae salutaris potavit illum. Et. Gloria Patri. Et.

Temp. pasch. ℟. Filiae Jerusalem, venite et videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus, * In die solemnitatis et laetitiae, alleluja.

℣. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die. Gloria Patri. In die.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Si quis venit ad me, de Communi primo loco. Temp. pasch. de Homil. in Evang. Ego sum vitis vera, de Communi primo loco.

DIE V. JUNII.

In festo

S. Francisci Carac. Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Deus, qui beatum Franciscum novi ordinis institutorem, orandi studio, et poenitentiae amore decorasti: da famulis tuis in ejus

imitatione ita proficere, ut semper orantes, et corpus in servitutem redigentes, ad coelestem gloriam pervenire mereantur. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Franciscus, dictus antea Ascanius, ex nobili familia Caracciolo in oppido sanctae Mariae de Villa in Aprutio ortus, a primis annis eximio enituit pietatis cultu. Adolescens unice Deo famulari exoptans, dum e gravi morbo convalesceret, saeculo valedixit. Mox Neapolim profectus, Sacerdotio initiatus, sacroque adscriptus sodalitio, contemplationi, lucrandisque animabus se totum devovit, ac extremo supplicio damnatis hortatorem se praebuit assiduum. Contigit autem, ut epistolium alteri destinatum ei per errorem redderetur, quo a piissimis viris Joanne Augustino Adorno, et Fabricio Caracciolo ad novi religiosi Instituti fundationem vocabatur: rei novitate captus, et divinae voluntatis demiratus consilia, alacri animo sese illis adjunxit. Conditis autem in Camaldulensium eremo, quo secesserant, novi Ordinis legibus, inde Romam simul profecti, confirmationem a Sixto Quinto impetrarunt, qui eosdem Clericos Regulares Minores appellari voluit, addito ad tria consueta altero de non ambiendis dignitatibus voto.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Solemni emissa professione, ob singularem ejus in divum Franciscum Assisinatem cultum Francisci nomen assumpsit. Adorno biennio post vita functo, ipse toti Religioni, quamquam invitus, praeficitur, quo in munere virtutum omnium praeclara praebuit exempla. Instituti amplificandi studiosissimus, id assiduis orationibus, lacrymis et jugi corporis maceratione enixe a Deo postulabat. Quamobrem tertio in Hispaniam se contulit peregrini habitu indutus, victumque ostiatim mendicans. In itinere asperrima quaeque perpessus, Omnipotentis auxilium mirum in modum expertus, navim, quam conscenderat, ab imminenti naufragio orationis praesidio servavit incolumem. Ut in regnis illis voti compos fieret, plurimum laboravit: sed ejus sanctitatis fama praelucente, amplissimaque catholicorum regum Philippi secundi et Philippi tertii munificentia, adversariorum conatibus singulari animi fortitudine

superatis, plura sui Ordinis domicilia fundavit: quod pari eventu per Italiam praestitit.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad.

Lectio VI.

Humilitate adeo excelluit, ut Romam veniens, in pauperum hospitio receptus, se leproso sociaverit, et Ecclesiasticas dignitates a Paulo Quinto sibi oblatas constantissime recusaverit. Illibatam perpetuo servavit virginitatem, effrontesque mulieres ejus castimoniae insidiantes Christo lucrifecit. Erga divinissimum Eucharistiae mysterium ardenti aestuans amore, noctes pene integras in ejus adoratione insomnes ducebat: quod pium exercitium, veluti sui Ordinis tesseram, in eo perpetuo servandum constituit. Deiparae Virginis cultum impense fovit. In proximum eximia exarsit charitate. Prophetiae dono, et cordium scrutatione ditatus fuit. Quadragesimum quartum aetatis suae annum agens, dum in sacra Lauretana Aede in oratione persisteret, sibi vitae finem imminere agnovit. Aprutium statim deflexit, et in oppido Agoni apud alumnos sancti Philippi Nerii morbo correptus, Sacramentis Ecclesiae devotissime susceptis, pridie nonas Junii anni millesimi sexcentesimi octavi in pervigilio festi Corporis Christi placidissime obdormivit in Domino. Sacrum ejus corpus Neapolim delatum in Ecclesia sanctae Mariae Majoris, ubi prima sui Ordinis jecerat fundamenta, honorifice conditum fuit. Eum postea miraculis clarum, Clemens Decimusquartus Pontifex Maximus solemni ritu inter Beatos, Pius vero Septimus Pontifex Maximus novis fulgentem signis anno millesimo octingentesimo septimo Sanctorum albo adscripsit.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Sint lumbi vestri, de Communi primo loco.

DIE VI. JUNII.

In festo

Beati Bertrandi Patriarchae Aquilejensis Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif. exceptis iis, quae sequuntur.

Oratio.

Deus, qui beatum Bertrandum pro Ecclesiae suae juribus ad

mortem usque certantem invicta pastorali fortitudine roborasti: praesta fidelibus tuis, ut ad pietatis et religionis constantiam ejusdem informentur exemplis. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Bertrandus Patriarcha Aquilejensis, natione Gallus, prope Cadurcum in oppido sancti Genesii, unde familiae cognomen, nobilibus ortus parentibus, in sortem Domini vocatus, inter Canonicos Ecclesiae Engolismensis Decanus fuit. Theologiae vero, ac Juri Pontificio operam dedit eo successu, ut summum in utraque facultate gradum assequi, et in Academia Tolosana sacros Canones interpretari meruerit. Mox Avenionem arcessitus, Auditoris sacri Palatii munere decem et septem annos perfunctus est. His igitur aliisque nominibus praeclare de Romana Ecclesia meritum, Joannes Vigesimussecundus ad Patriarchalem dignitatem evexit: qua suscepta Bertrandus in Italiam veniens, optimi Pastoris formam exhibuit, partesque omnes diligentissime implevit. Dioecesanam Synodum ferme quotannis, Concilia duo, Utini unum, alterum Aquilejae ex universa Provincia coëgit: sermonibus ad Clerum, ad Sanctimoniales, ad populum, sanctissima in primis vivendi ratione gregem sibi creditum ad christianam pietatem inflammabat.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V.

Bonorum Ecclesiae dispensator fidelis in pauperum usus ea largissime effudit, diuturnae potissimum famis tempore, quo esurientes ad duo millia singulis diebus saturasse litteris proditum est. Id quoque memoria dignum refertur, quod numquam cibum sumeret, quin prius in honorem duodecim Apostolorum totidem numero pauperes suis ipse manibus aluisset. Utini duo erexit Monasteria. Aedem sanctae Mariae, quae nunc Cathedralis est, et Canonicorum Collegium auxit, ut conditoris loco habeatur. Forojuliensis Ecclesiae tranquillitati consuluit: divinum in ea cultum piis largitionibus fovit; utque peculiaris Deiparae Virgini honor statis precibus deferretur, auctor fuit. Ad haec reparandis Ecclesiae suae jacturis labores innumeros, et longinqua vel in extrema senectute itinera suscepit, a Romanis aliquando Pontificibus ablegatus ad Reges et magnos Principes, quibus ob eximiae sanctitatis et sapientiae

opinionem acceptissimus fuit, summoque semper in honore habitus.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

Cum divina id temporis humanaque omnia funesto partium studio permixta, ac recenti schismate perturbata forent, Bertrandus inter eas procellas sancti Thomae Cantuariensis praesidium exemplumque sibi proposuit, quo Ecclesiae suae jura vel ipso sanguine, si opus esset, fortiter tueretur, votique compos effectus est. Redux enim e concilio Patavino, ubi contumeliis lacessitus non aperuit os suum, anno millesimo trecentesimo quinquagesimo, die sexta Junii in factiosos homines incidit, ac quinque vulneribus confossus, pro interfectoribus orans, praeclara morte justitiae coronam accepit. Corpus exanime ad Utinenses missum Canonici sepulchro tradunt ante aram maximam. Nicolaus vero Bertrandi successor crebro permotus cum indigenarum, tum exterorum concursu ad beati Viri sepulchrum, in arcam marmoream transferri curavit, quam Bertrandus ipse, dum viveret, sanctorum Martyrum Hermagorae et Fortunati gestis insculptam sacris eorum cineribus excipiendis servandisque paraverat. Publicum jam inde cultum ei delatum Clemens Octavus rite probavit, auxitque Apostolicis litteris Benedictus Decimusquartus. Ut autem ejus Officium cum Missa ab universo Clero Goritiensis et Utinensis Ecclesiae celebraretur, Clemens Decimustertius benigne concessit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Vigilate, de Communi secundo loco.

DIE VII. JUNII.

In festo

S. Norberti Episcopi Conf.

Duplex.

Dies assignata ex 6. hujus. Omnia ut ibi.

DIE VIII. JUNII.

In Commemoratione

Sanctorum Vitalis et Variae

Martyrum, quorum Reliquiae in S. Cathedrali Ecclesia Labacensi asservantur.

Duplex.

Omnia de Communi plurimor. Mart. praeter ea, quae hic ponuntur.

Oratio.

Auge in nobis, Domine, resurrectionis fidem, qui in Sanctorum tuorum Reliquiis mirabilia operaris: et fac nos immortalis gloriae participes, cujus in eorum cineribus pignora veneramur. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex Tractatu
Sancti Joannis Damasceni de Fide orthodoxa. Lib. 4. c. 16.

Lectio IV.

Christus Dominus Sanctorum Reliquias velut salutiferos fontes praebuit, ex quibus plurima nobis beneficia manant, suavissimumque unguentum profluit. Nec vero quisquam huic sermoni fidem detrahat; nam si aqua in deserto ex aspera et solida rupe, atque ex asini maxilla ad sedandam Samsonis sitim, Deo ita volente, prosiliit: eritne cur cuiquam incredibile videatur, ex Martyrum Reliquiis suave unguentum scaturire? Minime certe; iis quidem, quibus Dei potentia honorque, quo Sanctos suos afficit, perspectus et exploratus est. Atque illud quidem veteri lege comparatum erat, ut quisquis mortuum contigisset, immundus censeretur; verum hi in mortuorum numero minime habendi sunt.

℟. Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, servientes praeceptis tuis, ut invenirentur illaesi in aquis validis: * Terra apparuit arida, et in mari rubro via sine impedimento.

℣. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquae, et torrentes inundaverunt. Terra.

Lectio V.

Ex quo enim ipsamet Vita, ac vitae Auctor inter mortuos adscriptus est, eos, qui in spe resurrectionis fideique erga eum diem extremum clauserunt, mortuos haudquaquam appellamus. Quî enim mortuum corpus miracula edere queat? Per ea daemones expelluntur, morbi profligantur, aegroti sanantur, caeci perspiciunt, leprosi mundantur, tentationes ac moerores discutiuntur, ac denique omne donum optimum a Patre luminum, eorum opera, ad eos, qui fide minime dubia postulant, descendit. Quid non laboris suscipias, ut Patronum quemdam nanciscaris, qui te immortali Regi offerat, ac tuo nomine ad eum verba faciat? An non igitur hi honorandi sunt, qui totius humani generis Patronos se profitentur, ac Deo nostra causa supplicant?

℟. Verba carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes

pro Christi nomine: ℣ Ut haeredes fierent in domo Domini.

℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut haeredes.

Lectio VI.

Honorandi certe, et quidem ita, ut in eorum nomine templa Deo extruamus, dona offeramus, eorum memoriam colamus, atque in ea spiritualiter oblectemur; quo nimirum laetitia nostra iis, a quibus invitamur, congruat, ne, dum eos colere et demereri studemus, offendamus potius et irritemus. Quibus enim rebus Deus colitur, iisdem quoque Servi ipsius oblectantur; quibus autem Deus offenditur, iisdem etiam ipsius milites offenduntur. Quocirca in psalmis, et hymnis, et cantibus spiritualibus, et compunctione, et eorum, qui in egestate versantur, commiseratione, quibus obsequiis Deus potissimum conciliatur, Sanctos colamus, statuas ipsis, et visibiles imagines erigamus: immo ipsi, virtutibus imitandis, hoc consequamur, ut vivae eorum statuae atque imagines simus.

℟. Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum: ℣ Quoniam donum et pax est electis Dei.

℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: et fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Descendens, de Communi secundo loco.

DIE IX. JUNII.

In festo

Ss. Primi et Feliciani Mart.

Duplex.

Omnia de Communi plurimor. Mm. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Pac nos, quaesumus Domine, sanctorum Martyrum tuorum Primi et Feliciani semper festa sectari: quorum suffragiis, protectionis tuae dona sentiamus. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Primus et Felicianus fratres, in persecutione Diocletiani et Maximiani accusati Christianae religionis, in vincula conjiciuntur: quibus soluti, inde eripiuntur ab Angelo. Mox ad Praetorem adducti, cum Christianam fidem acerrime tuerentur, alter ab altero distracti sunt: ac primum varie tentata est constantia Feliciani. Sed cum suasores impietatis se posse quidquam verbis proficere desperarent, affixis sti-

piti manibus ejus et pedibus, ipsum sine cibo et potu inde triduum pendentem reliquerunt. Postridie ejus diei Praetor vocatum ad se Primum sic affatur: Vides, quanto sit prudentior quam tu, frater tuus, qui obsecutus Imperatoribus, apud ipsos est honoratus? Quem si tu quoque imitari volueris, particeps eris ejus honoris et gratiae.

℟. Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, servientes praeceptis tuis, ut invenirentur illaesi in aquis validis: * Terra apparuit arida, et in mari rubro via sine impedimento.

℣. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquae, et torrentes inundaverunt. Terra.

Lectio V.

Qui Primus: Quid factum sit fratri meo, cognovi ex Angelo. Utinam quemadmodum sum cum eo voluntate conjunctissimus, sic ab eodem nec martyrio disjungar. Quo dicto excanduit Praetor, et ad ceteros cruciatus, quibus Primum affecit, praesente jam Feliciano liquatum igne plumbum in os ejus jussit infundi. Mox utrumque perduci imperat in theatrum, in eosque immitti duos leones: qui prostrati ad eorum genua, capite et cauda ipsis blandiebantur. Ad id spectaculum cum amplius duodecim millia hominum convenissent, quingenti cum suis familiis Christianam religionem susceperunt. Quibus rebus permotus Praetor, eos securi percuti jussit.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut haeredes fierent in domo Domini.

℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut haeredes.

Lectio VI.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

Serm. 47. de Sanctis.

Quotiescumque, fratres charissimi, santorum Martyrum solemnia celebramus, ita, ipsis intercedentibus, expectemus a Domino consequi temporalia beneficia, ut ipsos Martyres imitando, accipere mereamur aeterna. Ab ipsis enim sanctorum Martyrum in veritate festivitatum gaudia celebrantur, qui ipsorum Martyrum exempla sequuntur. Solemnitates enim Martyrum exhortationes sunt martyriorum: ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.

℟. Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum: * Quoniam donum et pax est electis Dei.

℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum. C. 11. d.

Lectio VII.

In illo tempore: Respondens Jesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia

Sancti Augustini Episcopi.

Serm. 10. de verbis Domini.

Venite ad me omnes, qui laboratis. Quare enim omnes laboramus, nisi quia sumus homines mortales, fragiles, infirmi, lutea vasa portantes, quae faciunt invicem angustias? Sed si angustiantur vasa carnis, dilatentur spatia charitatis. Quid ergo dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis, nisi ut non laboretis? Denique promissio ejus in promptu est, quoniam laborantes vocavit. Quaerent forte, qua mercede vocati sunt. Et ego vos, inquit, reficiam. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, non mundum fabricare, non cuncta visibilia et invisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, et mortuos suscitare; sed quoniam mitis sum, et humilis corde.

℟. Propter testamentum Domini, et leges paternas sancti Dei perstiterunt in amore fraternitatis: * Quia unus fuit semper spiritus in eis, et una fides.

℣. Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum. Quia.

Lectio VIII.

Magnus esse vis? a minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quisque vult et disponit superimponere molem aedificii, quanto erit majus aedificium, tanto altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem cum construitur, in superna consurgit: qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur. Ergo et fabrica ante celsitudinem humiliatur, et fastigium post humiliationem erigitur.

℟. Haec est vera fraternitas, quae numquam potuit violari certamine: qui effuso sanguine secuti sunt Dominum: * Contemnentes aulam regiam, pervenerunt ad regna coelestia.

℣. Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum. Contemnentes. Gloria Patri. Contemnentes.

Lectio IX.

Quod est fastigium construendae fabricae, quam molimur? quo perventurum est cacumen aedificii? Cito dico, usque ad conspectum Dei. Videtis, quam excelsum est, quanta res est

conspicere Deum. Qui desiderat, et quod dico, et quod audit, intelligit. Promittitur nobis conspectus Dei, veri Dei, summi Dei. Hoc enim bonum est videntem videre. Nam qui colunt falsos deos, facile illos vident: sed eos vident, qui oculos habent, et non vident. Nobis autem promittitur visio Dei viventis et videntis.

Te Deum laudamus.

DIE XV. JUNII.

In festo

Ss. Viti et Sociorum Mart.

Duplex.

Omnia de Communi plurimor. Mm. praeter ea, quae hic habentur.

Oratio.

Da Ecclesiae tuae, quaesumus Domine, sanctis Martyribus tuis Vito, Modesto atque Crescentia intercedentibus, superbe non sapere, sed tibi placita humilitate proficere: ut prava despiciens, quaecumque recta sunt, libera exerceat charitate. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Vitus admodum puer inscio patre baptizatus est: quod cum ille rescivisset, nihil praetermisit, quo filium a Christiana religione removeret. Qua in voluntate permanentem Valeriano judici verberibus castigandum tradidit. Sed nihilominus in sententia persistens, patri redditus est. Sed dum eum pater gravius punire cogitat, Vitus Angeli monitu, comitibus Modesto et Crescentia, ejus educatoribus, migrat in alienas terras: ibique eam sanctitatis laudem adeptus est, ut ejus fama ad Diocletianum perlata, ipsum Imperator accerseret, ut filium suum a daemone vexatum liberaret: quo liberato, cum ei amplissimis praemiis ingratus Imperator, ut deos coleret, persuadere non potuisset, una cum Modesto et Crescentia vinculis constrictum mittit in carcerem.

℟. Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, servientes praeceptis tuis, ut invenirentur illaesi in aquis validis: * Terra apparuit arida, et in mari rubro via sine impedimento.

℣. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquae, et torrentes inundaverunt. Terra.

Lectio V.

Quos ubi constantiores esse comperit, demitti jubet in ingens vas liquato plumbo, ferventi resina ac pice plenum: in quo cum trium Hebraeorum puerorum more divinos hymnos canerent, inde erepti leoni objiciuntur: qui pro-

sternens se, eorum pedes lambebat. Quare inflammatus ira Imperator, quod multitudinem videbat miraculo commoveri, eos in catasta sterni jubet, et ita caedi eorum membra, atque ossa divelli. Quo tempore tonitrua, fulgura, magnique terraemotus fuere, quibus templa deorum corruerunt, et multi oppressi sunt. Eorum reliquias Florentia, nobilis femina, unguentis conditas honorifice sepelivit.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut haeredes fierent in domo Domini.

℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut haeredes.

Lectio VI.

Sermo sancti Joannis Chrysost.

Serm. 1. de Mart. tom. 3.

Nemo est, qui nesciat, Martyrum glorias ad hoc divino consilio a Dei populis frequentari, ut et illis debitus honor dicetur, et nobis virtutis exempla, favente Christo, monstrentur: ut, dum haec ita celebrari perspicimus, cognoscamus, quanta eos gloria maneat in coelis, quorum natalitia taliter celebrantur in terris: quo possimus etiam ipsi talibus provocari exemplis, virtute pari, devotione consimili ac fide: ut Christo praestante, dimicare et vincere hostem possimus: ut parta victoria, cum iisdem sanctis in regnis coelestibus triumphemus.

℟. Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum: * Quoniam donum et pax est electis Dei.

℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 10.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit. Et reliqua.

Homilia

Venerabilis Bedae Presbyteri.

Lib. 3. in Luc. cap. 42.

Ut in audiendo quisque, vel spernendo Evangelii praedicatore non viles quasque personas, sed Dominum Salvatorem, imo ipsum Patrem spernere se, vel audire disceret, ait: Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui me misit, quia procul dubio in discipulo magister auditur, et in filio pater honoratur. Potest et ita intelligi: qui non

facit misericordiam uni de fratribus meis minimis, nec mihi facit; quia et ipse pro his formam servi, et pauperis habitum suscepi.

℟. Propter testamentum Domini, et leges paternas sancti Dei perstiterunt in amore fraternitatis: ℣ Quia unus fuit semper spiritus in eis, et una fides.

℣. Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum. Quia.

Lectio VIII.

Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine etiam daemonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Bene quidem confessi sunt, deferentes honorem nomini Christi; sed quia infirma adhuc fide gaudebant virtutibus, vide quid audiunt; et ait illis: Videbam Satanam sicut fulgur de coelo cadentem: non modo video, sed prius videbam, quando corruit: quod autem ait, sicut fulgur, vel praecipitem de supernis ad ima lapsum significat, vel quia dejectus, adhuc transfigurat se in Angelum lucis.

℟. Sancti mei, qui in carne positi, certamen habuistis, ℣ Mercedem laboris ego reddam vobis.

℣. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Mercedem. Gloria Patri. Mercedem.

Lectio IX.

Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones. Hoc est omne genus immundorum spirituum de obsessis corporibus ejiciendi, quamvis et ad litteram rectissime possit accipi: siquidem et Paulus a vipera invasus, nihil adversi patitur. Hoc sane inter serpentes, qui dente, et scorpiones, qui cauda nocent, distare arbitror, quod serpentes aperte saevientes, scorpiones clam aculeo insidiantes, vel homines, vel daemones significent; serpentes, qui inchoandis virtutibus venena pravae persuasionis objiciunt: scorpiones, qui consummatas virtutes ad finem vitiare contendunt. Verumtamen in hoc nolite gaudere: quia spiritus ejicere, sicut et virtutes alias facere, interdum non est ejus meriti, qui operatur, sed invocatio nominis Christi hoc agit.

Te Deum laudamus.

DIE XVI. JUNII.

In festo S. Joannis Francisci Regis Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. praeter ea, quae sequuntur.

In Hymno Iste Confessor, mutatur tertius versus.

Oratio.

Deus, qui ad plurimos pro salute animarum perferendos labo-

res beatum Joannem Franciscum Confessorem tuum mirabili charitate et invicta patientia decorasti: concede propitius; ut ejus exemplis instructi, et intercessionibus adjuti, aeternae vitae praemia consequamur. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Joannes Franciscus Regis nobili genere natus in oppidulo Narbonensis Galliae, cui nomen Fonscoopertus, eximiae sanctitatis a teneris annis indicia praebuit. In eo jam tum eluxere mira morum innocentia, flagrans orationis studium, pudor et modestia singularis. Societatem Jesu ingressus Tolosae anno aetatis decimo nono, humilitate, obedientia, charitate, odio sui, ceterisque vitae Religiosae virtutibus excelluit. Absolutis studiis, totum se procurandae animarum saluti penitus devovit. Asperos Vivariensium, Velaunorum et Forensium montes, et ingentes Helviorum tractus glacie, nivibusque fere perpetuis horridos, eorumque colonos inscitia, rusticitate, barbarie intractabiles suscepit excolendos, eo successu, ut innumerabiles homines, aut Calviniana lue infectos, aut perditis moribus corruptos, ad Catholicam fidem, et ad Christianam pietatem traduxerit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: ✻ Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Campestribus Missionibus hyberno tempore perfunctus, aestivo revertebatur Anicium, ibique in Nosocomiis et in carceribus, in privatis aedibus, in compitis ac templis omne hominum genus, omnibus omnia factus sublevabat. Pauperum greges, corrogatis undique subsidiis, praesertim cum saeviret fames, multiplicato etiam non semel per miraculum frumento, sustentabat: unde illi Patris pauperum cognomen inditum fuit. In flagitiosis hominibus, et perditis praesertim mulierculis e vitiorum coeno educendis, vix credibile, quot probra ludibriaque pertulerit, erecto semper et alacri vultu imperterritus, licet gladiis jugulo saepe admotis, alapis ori impactis et fustibus corpori. Grassante peste, infirmos eo morbo laborantes sedulo invisens, ardenti reficiebat charitate. Erga alios blandus ac beneficus, in se ipsum saeviebat acerrime, asperis ciliciis, ferreis catenis, cruentis flagellationibus, somnum breviter in nuda tabula, aut humi carpens, semper abstemius, vilis-

simoque semper victitans cibo, et adeo tenui, ut arcendae morti potius, quam sustentandae vitae sufficeret.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad.

Lectio VI.

Divino amore sic erat incensus, ut illum unum spirare, loqui, cogitare videretur. Plures noctis horas orationi dabat, coelestibus affluens deliciis, et extra se saepe raptus. Rem divinam ea animi attentione, eo vultus ardore faciebat, ut sacrum, quo effervescebat, ignem etiam in adstantes diffunderet. Miraculis aliisque donis supernaturalibus mire claruit. Tandem vocatus ad praemia laborum, in Viennensis Dioecesis pago, cui nomen est Lalovescus, correptus lethali morbo, ex laboribus contracto, cum saeviret hiems frigidissima, coelestibus recreatus illustrationibus, ad aeterna gaudia invitatus, spiritum Creatori reddidit, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo, die trigesima prima Decembris, vitae suae quadragesimo quarto. Ejus sepulcrum incredibili populorum per asperrimos montes undique confluentium concursu, ob sanctitatis et miraculorum famam, quae maxime percrebrescebat, summa devotione est frequentatum. Quibus omnibus permotus Clemens Undecimus Pontifex Maximus, Joannem Franciscum Beatorum, Clemens vero Duodecimus Sanctorum fastis solemni ritu adscripsit; dies vero decimasexta Junii ejusdem celebrandae festivitati a Benedicto Decimoquarto assignata.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia in Evang. Sint lumbi vestri praecincti, de Communi Conf. non Pontif.

DIE XVII. JUNII.

In festo
Ss. Cyriacae et Muscae Virginum et Martyr.

Duplex.

Omnia de Communi Virginum. Antiph. ad Magnificat et Benedictus, ℣. et ℟. et Oratio de pluribus Virginibus.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente, reliquae vero de Communi primo loco.

DIE XVIII. JUNII.

In festo
Ss. Felicis et Fortunati Mm.

Duplex.

Omnia de Communi plurimor. Mart. praeter haec propria.

Oratio.

Adesto, quaesumus, Domine, fidelibus tuis, nec ullis mentis et corporis sinas subjacere periculis, quos beatorum Martyrum tuorum Felicis et Fortunati munit gloriosa confessio. Per Dominum.

Et fit commem. Ss. Marci et Marcelliani Martyrum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Felix et Fortunatus germani fratres tertio saeculo a Domini Incarnatione Vicentiae orti, in urbem Aquilejam (caput eo tempore provinciae Venetae) domicilium suum traduxerunt, Diocletiano et Maximiano Imperatoribus orbem universum moderantibus, Italiae praeside Appollinare, Euphemio Aquilejae judice, omnibus crudelissimis, Christianoque nomini infensissimis. Aquilejam vix ingresso Euphemio, et ab eodem in templo Jovis sacrificiis absolutis, legibusque latis de veneratione idolorum, et de severissimis poenis adversus renuentes; inter multos fuerunt praecipue apud eum delati duo germani fratres Felix et Fortunatus, quod Deum adorarent, et de hoc summopere gloriarentur. Illius jussu in ipsorum domo perquisiti, nec inventi, in vicino saltu, quo se receperant, praeoptantes Christo vacare inter feras, quam cum idololatris communicare, et daemones colere, reperti sunt orantes Dominum, et in eum spem suam omnem projicientes. Tunc satellites in ipsos, more leonum in praedam, irruentes, eos comprehenderunt, colla, manus pedesque eorum catenis constringentes, et contumeliis affectos duxerunt ad Euphemium. Ab eo interrogati de ipsorum nomine et patria, Felix, praemisso humiliter signo Crucis in fronte: Mihi, inquit, nomen Felix: Fratri vero meo Fortunatus: ambo divina clementia, nostroque summo bono Christiani: de patria nostra, etsi non longe distet ab hac urbe, non est tamen, cur tibi respondeamus, cum inquiramus coelestem.

℟. Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, servientes praeceptis tuis, ut invenirentur illaesi in aquis validis: ✻ Terra apparuit arida, et in mari rubro via sine impedimento.

℣. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquae, et torrentes inundaverunt. Terra.

Lectio V.

Iratus Euphemius verbis Felicis (talisque erat amborum sententia) jussit eos vestibus ex-

spoliatos humi prosterni, ibique funibus alligatos a nervosis hominibus atrocissime fustibus caedi. Verum cum sancti Fratres in verberibus ipsis, divinitus accepta consolatione, recrearentur, et postea fortiores evaderent, constantioresque permanerent in Christi Domini confessione, nova iracundia incensus judex, et praecipue quia Fortunatus vanam hujus mundi et caducam gloriam reprobaret, et extolleret veram et aeternam in coelis a Deo paratam credentibus in se; in equuleo suspendi imperavit, et in eodem facibus ardentibus latera eorum assari et aduri: vix autem implorato a sanctis Fratribus Archangeli Michaelis auxilio, faces extinctae sunt, Dominoque decantaverunt: Laqueus contritus est, et nos liberati sumus: adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum et terram. Ad haec excandescens Euphemius rabie et odio, constitutis supinis, mandavit ventrem eorum ferventi oleo perfundi, quo ipsis verso in refrigerium, Jesu Christi ope adjuvante, praecepit eorum dentes plumbatis contundi et laxari, maxillasque confringi. His omnibus tormentorum generibus mirabiliter erepti, Felix et Fortunatus, Archangelo Michaele illis auxiliante, Deum liberatorem ipsorum, quoad poterant, laudibus extollebant, ita tamen, ut mortem pro Christo oppetere essent parati, quoniam et ille pro ipsis crucifixus et mortuus erat. Nec inane votum eorum fuit: Euphemius enim memoratis portentis, in quibus divina virtus latere non poterat, nihilo clementior factus aut doctior, immo crudelior et obstinatior, accedente etiam consilio cujusdam ministri sui, germanis Fratribus, quod essent Romani cives, caput praecidi imperavit.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: ✻ Ut haeredes fierent in domo Domini.

℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut haeredes.

Lectio VI.

Ducti itaque sunt ex urbe Aquileja, et adducti, summo circumfusi gaudio et laetitia, prope flumen Natisonem, ad locum ubi sontes puniri solebant, ibique postquam in genua provoluti laudes et gratias Deo omnipotenti egerunt, tum quod ipsis validum auxilium in perferendis cruciatibus benigne tulisset, tum quod si unus ambos genuerat venter, amborum idem certamen, eadem supplicia, idem locus, idem martyrium, idem dies, eademque mors; orantes demum, ut pari etiam corona donarentur in coelis, invicem osculati, et Dominica recitata oratione, primo Felix, subinde Fortunatus amputato capite ad Deum, quem usque ad mortem impavidi confessi erant, e-

volaverunt in ipso, per ipsum et cum ipso in perpetuas aeternitates victuri. Martyrio sanctorum Fratrum expleto, carnifex et satellites abierunt, corporibus eorum relictis insepultis, et feris expositis. Verum noctu quidam Christiani Aquilejenses accurrentes illuc, sacras Reliquias linteis colligandas et aromatibus condiendas curaverunt, et cum, illis in pio munere occupatis, quidam Christiani Vicentini pervenissent, et orta esset quaestio, ad quos sacrata Corpora pertinerent, ne contentio protraheretur, metuentes paganorum saevitiam, ita Dei nutu inter se convenerunt, ut Vicentinis daretur Caput sancti Felicis et corpus sancti Fortunati in urbem ipsorum reducenda, in qua usque ad praesens honorifice condita in Ecclesia ipsi Martyri sancto Felici dicata a Monachis sancti Benedicti asservantur; Aquilejenses vero Caput sancti Fortunati et Corpus sancti Felicis obtinuerunt. Per multos annos Aquilejae servatae sunt hae Reliquiae, postea translatae Mathemaucum, inde Clodiam eo tempore, quo Sedes Pontificalis et Capitulum Canonicorum huc translata fuerunt. Summa veneratio eisdem semper adhibita fuit, et magna populi frequentia tam incolarum quam exterorum coluntur assumpti in Patronos principales civitatis et totius dioecesis. Sacrae ipsorum Reliquiae per varias temporum et Clodiae vices et calamitates non semel in summum discrimen adductae sunt; at non sine divina ope fuerunt semper vindicatae et totam urbem, dioecesim et fideles omnes ad eos confugientes miraculis et muneribus innumeris repleverunt, replent, et usque in extremum diem replebunt.

℟. Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum: ℣ Quoniam donum et pax est electis Dei.

℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: et fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 10.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. Et reliqua.

Homilia

Sancti Ambrosii Episcopi.

Qui unum verbum cognoverit, multa verba cognoscit. In uno multa sunt, et in multis unum est. Probandum est igitur, quomodo unum verbum multa sint, et multa verba unum verbum sit. Nec

difficile doceri, cum dixerit Apostolus, quia ipse est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae, in quo creata sunt omnia in coelestibus et in terra, sive visibilia, sive invisibilia, sive Sedes, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum et in ipso creata sunt. Unum est igitur Verbum, quod operatur omnia et in omnibus.

℟. Propter testamentum Domini, et leges paternas sancti Dei perstiterunt in amore fraternitatis: * Quia unus fuit semper spiritus in eis, et una fides.

℣. Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum. Quia.

Lectio VIII.

Hoc Verbum unicum apud Patrem se diffudit in plurima, quia de plenitudine ejus omnes accepimus. Itaque si videas singula omnium, quae creata sunt in ipso, videbis in singulis unum verbum esse omnium, cujus pro captu nostro participes sumus. In me verbum est humanum, in alio verbum coeleste, verbum Angelorum plerique sunt, qui habent verbum Dominationum et Potestatum. Verbum est justitiae, verbum castitatis, verbum etiam virtutis. Sic unum verbum multa sunt, et multa verba unum sunt. Nec vero arduum istud aestimari, cum legerimus, quod omnia potest Spiritus sapientiae, alii Fides in eodem Spiritu, alii operatio virtutum, alii spiritus cogitationis, alii spiritus consilii plenioris, alii spiritus fortitudinis, alii pietatis spiritus: et in omnibus singulis prout vult: ita est spiritus Prophetarum, et spiritus Apostolorum.

℟. Haec est vera fraternitas, quae numquam potuit violari certamine: qui effuso sanguine secuti sunt Dominum: * Contemnentes aulam regiam, pervenerunt ad regna coelestia.

℣. Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum. Contemnentes. Gloria Patri. Contemnentes.

Lectio IX. et commem. Ss. Marci et Marcelliani Martyrum, ut in Br.; si tamen hoc festum transferri contigerit, Lectio IX. erit.

Lectio IX.

Aspice Christum loquentem: Haec dicit Dominus omnipotens: Post honorem misit me super gentes, quae depraedaverunt vos: quoniam qui tangit vos, quasi qui tangit pupillam oculi ejus. Quia ecce ego injicio manum meam super eos, qui depraedaverunt vos, et scient, quia Dominus omnipotens misit me. Utique qui dicit: Dominus est omnipotens: Ergo et Patris, et Filii omnipotentia, sed tamen Deus unus omnipotens: quia unitas potestatis est. Atque ut scias, Christum esse, qui locutus est in Prophetis et in Evan-

gelio, tamquam in praedestinatione Evangelii, per Isaiam dicit: Ipse, qui loquebar, adsum: hoc est, adsum in Evangelio, qui loquebar in lege.

Te Deum laudamus.

DIE XIX. JUNII.

In festo

S. Nazarii Episcopi Confess.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis.

Oratio. Da quaesumus, de Communi Conf. Pontif.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente, reliquae vero de Communi Conf. Pontif. primo loco, cum IX. lect. bijuncta et commem. Ss. Gervasii et Protasii Martyrum.

DIE XX. JUNII.

In festo

S. Prothi Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Martyris.

Oratio. Praesta, quaesumus, omnipotens Deus: ut qui, de Communi unius Martyris.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente, reliquae vero de Communi secundo loco, cum IX. lect. bijuncta et commem. S. Silverii Papae Martyris.

DIE XXI. JUNII.

In festo

S. Aloysii Gonzagae Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, praeter sequentia.

Oratio.

Coelestium donorum distributor Deus, qui in Angelico Juvene Aloysio miram vitae innocentiam pari cum poenitentia sociasti: ejus meritis et precibus concede; ut innocentem non secuti, poenitentem imitemur. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Aloysius, Ferdinandi Gonzagae Castellionis Stiverorum Marchionis filius, festinato propter vitae periculum baptismo, prius coelo, quam terris nasci visus; primam illam gratiam tam constanter retinuit, ut in ea confirmatus crederetur. A primo rationis usu, quo se Deo statim obtulit, vitam duxit quotidie sanctiorem. Novennis Florentiae ante aram Beatae Virginis, quam parentis loco semper habuit, perpetuam virginitatem vovit, eamque insigni Dei beneficio, nulla mentis aut corporis pugna tentatam servavit. Reliquas animi perturbationes coepit aetate illa tam

fortiter comprimere, ut ne primo quidem earum motu deinde incitaretur. Sensus etiam, oculos praecipue, ita cohibuit, ut non modo illos numquam in faciem intenderit Mariae Austriacae, quam plures annos inter honorarios Hispaniarum Principis ephebos fere quotidie salutavit; sed a matris etiam vultu contineret. Homo propterea sine carne, aut Angelus in carne merito appellatus.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Adjecit sensuum custodiae corporis cruciatum. Tria singulis hebdomadis jejunia, eaque plerumque modico pane et aqua tolerabat. Quamquam perpetuum fuisse per id tempus ipsius jejunium videri potest, cum ejus prandia ferme vix unciam aequarent. Saepe etiam ter in die se fustibus, aut catenis cruentabat: flagella quandoque canum loris, cilicia equorum calcaribus supplevit. Mollem lectulum clam injectis asserum fragmentis asperabat, eo etiam, ut citius ad orandum excitaretur. Magnam quippe noctis partem, summa etiam hyeme, solo tectus indusio, positis humi genibus, vel prae languore jacens, ac pronus in coelestium contemplatione traducebat. Interdiu quoque tres, quatuor, quinque horas in ea perstabat immotus, donec unam saltem animo nusquam distracto percurrisset. Cujus constantiae praemium fuit stabilitas mentis inter orandum alio non vagantis, imo perpetua velut extasi in Deo defixae. Ei demum ut unice adhaereret, victo post triennale acerrimum certamen patre, et aviti Principatus jure in fratrem translato, Societati Jesu, ad quam coelesti voce Madriti fuerat accitus, Romae se adjunxit.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad.

Lectio VI.

In tyrocinio ipso virtutum omnium magister haberi coepit. Exactissima in eo erat legum etiam minimarum custodia, mundi contemptus singularis, implacabile odium sui; Dei vero amor tam ardens, ut corpus etiam sensim absummeret. Jussus propterea mentem a divinis rebus tantisper avertere, occurrentem sibi ubique Deum irrito conatu fugiebat. Mira etiam proximos charitate amplexus, in publicis, quibus alacriter ministrabat, nosocomiis contagiosam luem traxit. Qua lente consumptus, die, quem

praedixerat, undecimo Kalendas Julii, aetatis anno quarto et vigesimo jam inchoato, cum antea flagellis caedi, atque humi stratus mori postulasset, migravit in coelum. Ibi eum S. Maria Magdalena de Pazzis tanta frui gloria, Deo monstrante, vidit, quantam vix esse in coelo credidisset; ipsumque sanctimonia insignem, et charitate, Martyrem incognitum fuisse praedicavit. Multis etiam, magnisque claruit miraculis. Quibus rite probatis, Benedictus Decimustertius Sanctorum fastis Angelicum Juvenem adscripsit, atque innocentiae et castitatis exemplar, simul et patronum studiosae praesertim juventuti dedit.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 22. v. 29.

Lectio VII.

In illo tempore: Respondens Jesus ait Sadducaeis: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei: in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in coelo. Et reliqua.

Homilia
Sancti Joannis Chrysostomi.
Lib. de Virginitate.

Virginitas est bona: id ego quoque fateor. Atqui nuptiis etiam melior; et istud tibi assentior: ac si libet, illud adjungam, tanto nuptiis eam praestare, quanto coelum terrae, quanto hominibus Angeli antecellunt; ac, si quid praeterea audendum est, etiam magis. Nam si neque nubunt Angeli, neque uxorem ducunt; non etiam carne et sanguine coagmentati sunt: in terris praeterea non commorantur; non cupiditatum, aut libidinum perturbationibus sunt obnoxii, non cibi indigent, aut potus; non sunt ejusmodi, ut eos dulcis sonus, aut cantus mollis, aut praeclara species possit allicere, nulla denique ejus generis illecebra capiuntur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. Ipse.

Lectio VIII.

At humanum genus, cum natura beatis illis mentibus inferius sit, omni vi, studioque contendit, ut, quoad ejus fieri potest, illas assequatur. Quomodo? Non

nubent Angeli; at neque etiam virgo. Assistentes illi semper ad Deum, eidem inserviunt, et istud ipsum virgo. Quod si virgines, quamdiu corporis onere deprimuntur, quemadmodum Angeli in coelum nequeunt ascendere; illud eo vel maximo solatio compensant, quod modo spiritu et corpore sancti sint, coeli Regem recipiunt. Videsne virginitatis praestantiam? quomodo terrarum incolas sic afficiat, ut, qui corpore vestiti sunt, eos incorporeis mentibus exaequet?

℟. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio IX.

Qua enim, quaeso, re differebant ab Angelis Elias, Eliseus, Joannes, veri hi virginitatis amatores? nulla, nisi quod mortali natura constabant. Nam cetera si quis diligenter inquirat, hi nihilominus affecti reperientur, quam beatae illae mentes: et idipsum, quo inferiore conditione videntur esse, in magna est eorum laude ponendum. Ut enim terrarum incolae, et ii, qui essent mortali natura, possent ad illam virtutem vi et contentione pervenire; vide, quanta eos fortitudine, quanta vitae ratione praeditos fuisse oporteat.

Te Deum laudamus.

DIE XXII. JUNII.

In festo

Ss. Achatii et Sociorum Mm.

Duplex.

Omnia de Communi plurimor. Mm. praeter haec propria.

Oratio. Deus, qui nos concedis, de Communi.

Et fit commem. S. Paulini Episcopi Confessoris.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Achatius Hadriano Imperatore adhuc idolorum cultor, vir militari disciplina instructus, quamvis decem millibus militum praeesset, rem tamen minus feliciter gerebat. Quare falsa idolorum ope frustra implorata, ab Angelo admonitus Christianam Religionem amplectitur; qua suscepta, statim de hoste victoriam reportavit.

℟. Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, servientes praeceptis tuis, ut invenirentur illaesi in aquis validis: * Terra apparuit arida, et in mari rubro via sine impedimento.

℣. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquae, et torrentes inundaverunt. Terra.

Lectio V.

Hadrianus autem cum rescisset, Achatium ejusque milites, deorum cultu relicto, Christianae Religioni nomina dedisse, ira percitus, in eum graviter jubet animadverti. Capitur Christi miles, in teterrimam custodiam conjicitur, exquisitis etiam tormentis adhibitis, ad nefariam deorum religionem repetendam modis omnibus urgetur.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut haeredes fierent in domo Domini.

℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut haeredes.

Lectio VI.

Sed inanis tormentorum fuit acerbitas, inanis tyranni et hostium expectatio; generosi enim milites non amplius in humanis castris arma gerentes, sed in coelesti militia pro Fide Christi praelium ineuntes, mortem constantissime oppetunt, et ad Jesu Christi aemulationem in crucem acti, spineis coronis in eorum capita impressis, nec non clavis in latera defixis, ad ipsum viventem in coelis Deum exclamant: Pater coeli et terrae, qui nos e densissimis tenebris eripuisti, et divino Fidei lumine collustrasti, accipe animas nostras, quas tibi in Christo supplices offerimus.

℟. Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum: * Quoniam donum et pax est electis Dei.

℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Descendens, de Communi secundo loco, cum IX. lect. bijuncta et commem. S. Paulini Episc. Conf.

DIE XXIII. JUNII.

In festo

S. Julianae de Falconieri Virginis.

Duplex.

Dies assignata ex 19. hujus. Omnia ut ibi. Vigilia S. Joannis Baptistae.

DIE XXV. JUNII.

In festo

S. Guillelmi Abbatis.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. praeter ea, quae hic assignantur.

Oratio.

Deus, qui infirmitati nostrae ad terendam salutis viam in Sanctis tuis exemplum et praesidium collocasti: da nobis, ita beati Guil-

lelmi Abbatis merita venerari; ut ejusdem excipiamus suffragia, et vestigia prosequamur. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Guillelmus nobilibus parentibus Vercellis in Insubria natus, vix quartumdecimum aetatis annum expleverat, cum miro quodam pietatis ardore flagrans, Compostellanam peregrinationem ad celeberrimum S. Jacobi templum aggressus est. Quod iter una amictus tunica, ac duplici ferreo circulo praecinctus, nudisque pedibus prosecutus, asperrima frigoris et aestus, famis et sitis summo cum vitae discrimine perpessus est incommoda. Reversus in Italiam, novam ad sanctum Domini sepulcrum peregrinationem molitur, sed quo minus propositum exequatur, gravia atque gravissima intercedunt impedimenta, divino Numine ad altiora et sanctiora religiosam juvenis indolem retrahente. Porro in soliculo monte biennium inter assiduas preces, vigilias, chameunias et jejunia commoratus, divina subnixus ope, caeco lumen restituit, cujus miraculi fama percrebrescente, jam Guillelmus latere non poterat: quare iterum Jerosolymam cogitat, et alacris se itineri comittit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Dei autem monitu, qui eidem apparuit, a proposito revocatur, utilior ac fructuosior tam apud Italos, quam apud exteras nationes futurus. Tum monasterium in Virgiliani montis cacumine, quod deinde Virginis est appellatum, loco aspero et inaccesso miranda aedificat celeritate. Socios deinde Viros et Religiosos adsciscit, eosque ad vivendi normam Evangelicis praeceptis et consiliis summopere accommodatam, tum certis legibus ex beati Benedicti institutis magna ex parte desumptis, tum verbo et sanctissimae vitae exemplis informat.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad.

Lectio VI.

Aliis deinde monasteriis erectis, clarior in dies Guillelmi facta sanctitas, multos ad eum undique viros perducit, sanctitatis odore et miraculorum fama al-

lectos. Nam muti loquelam, surdi auditum, aridi vigorem, varioque et immedicabili morbo laborantes, sanitatem ipsius intercessione receperunt. Aquam in vinum convertit, aliaque complura mirabilia patravit: inter quae illud non silendum, quod muliercula ad ejus castitatem tentandam, a Rogerio Neapolis Rege missa, in ardentibus prunis, humi stratis illaesum se volutavit. Qua rei novitate exterrita, Rogerio rem gestam illa refert: inde in summam viri Dei venerationem Rex adducitur. Demum tempore sui obitus Regi, aliisque praenuntiato, innumeris virtutibus et miraculis clarus, obdormivit in Domino anno salutis millesimo centesimo quadragesimo secundo.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: ✻ Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Homilia S. Hieronymi in Evang. Ecce nos reliquimus omnia, de Communi Abbatum.

DIE XXVII. JUNII.

In festo
S. Ladislai Regis Hungar. Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. praeter ea, quae hic sunt propria.

Oratio.

Deus, qui beatum Regem Ladislaum Confessorem tuum, diversis decorasti miraculis: praesta quaesumus; ut ejus suffragantibus meritis, ab omnibus semper muniamur adversis, et gaudiis perfruamur aeternis. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Ladislaus, primus hujus nominis, Hungariae Rex, Bela primo, ex filia Regis Poloniae prognatus, cunctis animi et corporis dotibus fuit ornatissimus, Regale solium invitus conscendit: Salomonem enim praeferri optabat. Cui et postea saepius cedere volens, a Proceribus regni fuit prohibitus. Creatus in Regem omnia boni Principis officia explevit: beneficentia in egentes, comitate, justitia ac liberalitate eminebat. Praesentissimis vitae suae periculis, subditos ab immani barbararum gentium populatione vindicavit, fusis non una vice Cummanorum agminibus, Dalmatiam et Croatiam Regno Hungariae adjunxit; volente id

sorore ipsius, quae rerum potiebatur, marito Regnorum illorum Domino vita functo. Regias virtutes Christianae pietatis opera excellebant. Posteaquam enim Dei monitu, ad Chrysium fluvium Basilicam Dei Genitrici erexisset, oppidoque Varadino adjecto munivisset, totum se deinceps ad cultum religionis amplificandum convertit. Episcopatus amplissimos, monasteria, templaque magnifica construxit, regiaque munificentia dotata, omnibus ornamentis auxit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: ✻ Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Divinarum rerum contemplationi Rex sanctus ita deditus erat, ut interdum in aëra sublimis raperetur, nimioque circumfusus splendore Varadini in templo, a suis quandoque conspiceretur. Adversus Tartaros bellum gerens, cum fugientes barbari, ut milites sancti Regis ab insequendo distinerent, ingentem pecuniae vim dolose sparsissent: Ladislai precibus, pecunia omnis in lapidem commutari visa est. Exercitui suo victus inopia laboranti, fusis ad Deum precibus, cervorum et bubalorum gregem impetravit. Fontes etiam aquae recentis e saxis, ad extinguendam suorum sitim, pari modo a Deo obtinuit. Voverat pius Rex profectionem cum validis copiis ad Terram sanctam, a saevissimis Christiani nominis hostibus vindicandam: sed sancta mors pios conatus antevertit. Eum igitur, anno salutis millesimo nonagesimo quinto, ex hac vita sublatum, universa Hungaria integro triennio veste pulla et squalida luxit; ludis, choreis, omnique musico instrumento per id tempus relegatis.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: ✻ Et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad.

Lectio VI.

Locum sepulturae, in Ecclesia Varadinensi a se constructa, ipse sibi delegerat: quo cum sacrum corpus deveheretur, fessi labore ministri, ut somno vires reficerent, substiterant. Vectoribus igitur dormientibus, currus, in quo collocatum erat sacrum pignus, sine ullius jumenti adminiculo, tam rapidis rotis Varadinum defert corpus, ut ab excitatis vectoribus assequi nequiverit. Ipso sepulturae tempore, cum quidam ejus corpus foetere dixisset, os integrum torqueri repente sensit: sed poenitentia ductus, sancti Regis opem im-

plorans, pristinae sanitati restituitur. Multi praeterea caeci, muti ac morbis fatigati, ad sepulcrum sancti Regis sanitatem receperunt. Quibus rebus permotus Coelestinus Tertius ipsum in Sanctorum numerum adscripsit.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et prevenit ad coelestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Sint lumbi vestri, de Communi Conf. non Pontif.

DIE XXIX. JUNII.

In festo

Ss. Apostol. Petri et Pauli.

Pro Commemoratione omnium Ss. Apostolorum.

IN I. VESPERIS.

Antiph. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ante reges et praesides ducemini propter me in testimonium illis et gentibus.

℣. Annuntiaverunt opera Dei.

℟. Et facta ejus intellexerunt.

AD LAUDES

Antiph. Vos, qui reliquistis omnia, et secuti estis me, centuplum accipietis, et vitam aeternam possidebitis.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum.

℟. Et in fines orbis terrae verba eorum.

IN II. VESPERIS.

Antiph. Estote fortes in bello, et pugnate cum antiquo serpente, et accipietis regnum aeternum, alleluja.

℣. Constitues eos principes super omnem terram.

℟. Memores erunt nominis tui, Domine.

Oratio.

Da, quaesumus, omnipotens Deus, ut beatorum Apostolorum, quorum hodie Commemorationem colimus, veneranda solemnitas, et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

FESTA JULII.

DIE I. JULII.

Octava Nativitatis S. Joannis Bapt.

Duplex.

Omnia ut in Br. hac die, praeter sequentes Lectiones.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 1.

Lectio VII.

Elisabeth impletum est tempus pariendi, et peperit filium. Et audierunt vicini et cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei. Et reliqua.

De Homilia

Sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 2. in Luc. cap. 1. circa fin.

Joannes est, inquit, nomen ejus. Non poterat Elisabeth Domini ignorare praenuntium, quae prophetaverat Christum. Bene additur: Quia nemo in cognatione ejus vocabatur hoc nomine: ut intelligas nomen non generis esse, sed Vatis. Zacharias quoque nutu interrogatur: sed quia incredulitas ei effatum eripuerat et auditum, quod voce non poterat, manu et litteris est locutus.

℟. Praecursor Domini venit, de quo ipse testatur: * Nullus major inter natos mulierum Joanne Baptista.

℣. Hic est enim Propheta, et plus quam Propheta, de quo Salvator ait: Nullus.

Lectio VIII.

Scripsit enim dicens: Joannes est nomen ejus. Et hic nomen non imponitur, sed astruitur: meritoque continuo resoluta est lingua ejus: quia quam vinxerat incredulitas, fides solvit. Credamus et nos igitur, ut loquamur; ut lingua nostra, quae incredulitatis vinculis est ligata, rationis voce solvatur.

℟. Gabriel Angelus apparuit Zachariae, dicens: Nascetur tibi filius, nomen ejus Joannes vocabitur: * Et multi in nativitate ejus gaudebunt.

℣. Erit enim magnus coram Domino, vinum et siceram non bibet. Et multi. Gloria. Et multi.

Lectio IX.

Scribamus spiritu mysteria, si volumus loqui: scribamus praenuntium Christi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Etenim qui Joannem loquitur, Christum prophetat. Loquamur Joannem, loquamur et Christum, ut nostrum quoque os possit aperiri, quod in Sacerdote tanto, irrationabilis modo pecudis, fraena nutantis fidei coërcebant.

Te Deum laudamus.

DIE III. JULII.

In festo
S. Nicetae Episcopi Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. praeter haec propria.

Oratio. Exaudi, de Communi.

In Hymno Iste Confessor, mutatur tertius versus.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Niceas, seu Nicetas Episcopus Civitatis Romatianae, quo nomine Aquilejam, aut non longe dissitum Portum Romatinum significari putant; idem ille perhibetur esse Aquilejensis Niceta, ad quem sancti Leonis Magni extat epistola. Hic cum Episcopatum cepisset, postquam Hunni Attila duce eam regionem vastaverant, vix statu rerum ad meliora converso nonnulli cives a barbaris in captivitatem abducti, liberi ad patriam remearunt, illico deprehendit ex occasione hostilis incursus plura gregi suo illata fuisse vulnera, quae magnam curationis difficultatem videbantur afferre. Aliorum enim, qui interempti putabantur, mulieres novis erant conjugiis irretitae; alii immolatis cibis asserebantur esse polluti; aliis iterato, vel semel quidem, sed ab haereticis fuerat baptisma collatum. Itaque haec omnia per Adeodatum Romanae Ecclesiae Diaconum ad sanctum Leonem Magnum retulit, ut auctoritate nutuque ejus, quid facto opus esset, doceretur: qua in re et eximiae erga populum suum charitatis, et maturi judicii, et debiti in primam Sedem obsequii praeclarum exhibuit argumentum.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: ✻ Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V.

Ad singulas solliciti Praesulis consultationes respondit sanctus Pontifex peculiari epistola Nicetae Aquilejensi inscripta, quam et ad omnes Fratres et comprovinciales Episcopos ejus per ipsum voluit pervenire. Ac de foeminis quidem, quae aliis nupserant viris, legitimarum foedera nuptiarum redintegranda constituit, et idolothitis usos poenitentiae satisfactione purgari; quae tamen non tam temporis longitudine, quam cordis esset compunctione pensanda. Eos autem, qui ad iterandum baptisma vel metu coacti, vel errore traducti fuerant, per poenitentiae itidem remedium, habita moderatione, et judicio Episcopi, communionis voluit recipere unitatem: ac demum vel semel tantum, sed ab

haereticis baptizatos sola invocatione Sancti Spiritus per impositionem manuum statuit confirmandos. Nicetas itaque hac instructus ex veteri more a Romana Sede doctrina, pro suo, quo exarserat, instaurandae disciplinae studio, nec non et pro ea, qua erat affectus, erga Cathedram Petri reverentia, ad praeteritorum errorum maculas abstergendas, quas bellica clades intulerat, totus incubuisse merito creditur, ut Ecclesiae suae faciem ad pristinae observantiae dignitatem restitueret.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

Quae vero magis magisque illius vigilantiam in cura commissi sibi gregis ostendunt, ac simul ipsius cum Evangelicae praedicationis laude doctrinam commendant, ea sunt ingenii monumenta, quae, Gennadio Massiliensi et Honorio Augustodunensi testibus, nitido ac simplici sermone exarata reliquit: quorum tamen vix unum aut alterum non interiit. Ediderat autem Competentibus ad Baptismum instructionis libellos, jam tum plurimi factos, et aliis hujusmodi praestantiorum Patrum lucubrationibus sociatos, in quibus et de Competentium ratione, qui ad baptismi gratiam cupiunt pervenire, et de gentilitatis erroribus, et de fide unicae Majestatis, et contra Genethliologiam, et de Symbolo, et de Agni Paschalis victima disserebat. Libellum insuper ad lapsam Virginem condidit, qui pene omnibus lapsis emendationis incentivum ab iisdem Scriptoribus vocatur. Has inter pastoralis officii sollicitudines cum triginta circiter annos Aquilejensem Episcopatum administrasset, doctrina sanctisque moribus clarus ad Pastorum Principem evolavit anno quadringentesimo octogesimo quinto.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Vigilate, de Communi secundo loco.

DIE IV. JULII.

In festo
S. Udalrici Episcopi Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. praeter haec propria.

Oratio. Exaudi, de Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Udalricus nobili Germanorum genere ortus, a pueritia in Monasterio sancti Galli litteris egregie bonisque moribus informatus, ita se in Ecclesiasticis et civilibus occupationibus industrium praebuit, ut cum caeteros omnes, tum Adalberonem Episcopum Augustanum in sui admirationem traduxerit. Romam deinde Religionis causa se conferens, ibique aliquamdiu commoratus, ita exemplo doctrinae et pietatis eluxit, ut a Martino Pontifice sit in demortui Adalberonis locum designatus, quod Vir sanctus simul atque rescivit, ne suscipere tantum onus cogeretur, clam ex Urbe profugit.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℟. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V.

Elapso quindecim annorum spatio, cum Hilcaneus Adalberonis successor e vita migrasset, summo omnium consensu, et incredibili Cleri populique studio Udalricus licet invitus Ecclesiae Augustanae praeficitur. Eam vero tantae charitatis et prudentiae laude administravit, ut nihil umquam omiserit, quod vel ad Christi fidem civium animis inserendam, vel ad excitandum verae pietatis studium spectare videretur.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

Vidisses in eo sacram eruditionis divinae lucem, castitatis florem, frugalitatis et abstinentiae studium, summam denique in sacris vigiliis, piisque lectionibus et precationibus assiduitatem. His ille praesidiis instructus, Othonem Caesarem et Ludolphum ejus filium, gravissimis inter se dissidentes odiis, reconciliavit: gentem barbaram in Augustanae urbis moenia irruentem orationis vi propulsavit. Othonem maximis bellorum difficultatibus laborantem victoriae praedictione recreavit. Cumque annos quinquaginta Episcopatum sanctissime rexisset, miraculorum laude clarus in coelum evolavit. Hujus Reliquiae Augustae Vindelicorum religiose servantur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Vigilate, de Communi secundo loco.

DIE V. JULII.

In festo

S. Vigilii Episcopi Martyr.

Duplex.

Omnia de Communi unius Martyris, praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui hunc diem beati Vigilii Martyris tui atque Pontificis sanguine consecrasti, da quaesumus, ut ejus meritis ab omnibus muniamur adversis, et aeternae vitae praemia consequamur. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Vigilius genere Romanus, civitate Tridentinus, cum Athenis liberalibus litteris operam dedisset, Tridentum venit annos natus viginti, ubi haud ita multo post invitus defuncto Episcopo suffectus fuit. Quo munere suscepto, primum civitatem, deinde pagos erroribus, qui tum late vigebant, liberavit. Nec intra Dioecesis suae limites potuit se continere. Nam cum in agro quoque Brixiensi et Veronensi profanus daemonum cultus retineretur, illuc Vir sanctus, annuentibus Episcopis illis, accessit, et indigenis persuasit, Sancto Spiritu cooperante, ut nefandos ritus abjicerent.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Descenditque cum illo in foveam: et in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio V.

Ad suos reversus secum duxit Sisinium, Martyrium et Alexandrum, Viros sanctitate et doctrina conspicuos, qui ab eo facti adjutores pastoralis sollicitudinis, vallis Ananiae populos, ad Christi Fidem converterunt. Unus supererat locus rupibus hinc inde perruptis circumseptus in valle Randena, ad quem non facile patebat accessus. Sed sanctus Episcopus, ut ne hanc quoque partem negligeret, eo se conferre non dubitavit: cumque simulacrum Saturni ibi conspexisset, quod incolae prisca superstitione imbuti frequenter venerabantur, plenus Spiritu Sancto idolum percussit, et minutatim confractum projecit in profluentem. Mox ipse, marmorea statuae basi conscensa, fidenter coram circumfuso populo verbi Dei praedicationem est aggressus.

℟. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

Lectio VI.

Sed pagani illi ira inflammati agmine facto in sanctum Virum tum gladios, tum lapides convertunt, ita ut iis capitis effracta compage, et cerebro dejecto, inter crepitantes saxorum ictus obierit. Verum antea ad coelos attollens oculos, et vultum sanguine undique conspersum, non solum gratias Deo egit, sed suis valedixit, tamquam qui ab exilio ad patriam evolaret. Factum id est sexto Kalendas Julii Stilicone Consule sub annum aerae Christianae quadringentesimum. Cujus sanctum Corpus magna populi frequentia Tridentum delatum, et honorifice in Basilica ad ejus honorem erecta conditum est.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: ✻ Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus: et aqua sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Si quis vult, de Communi secundo loco

DIE X. JULII.

In festo

Ss. Septem Fratrum Martyrum.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

DIE XI. JULII.

In festo

S. Pii Primi Papae Mart.

Duplex.

Omnia de Communi unius Martyris praeter haec propria.

Oratio. Infirmitatem, de Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Pius hujus nominis Primus, Rufini filius, Hermetis frater, patria Aquilejensis, ex Presbytero sanctae Romanæ Ecclesiae Summus Pontifex creatus est; seditque annos novem, menses quinque, dies viginti septem, Antonino Pio et Marco Aurelio Imperatoribus Augustis. Quinque ordinationibus mense Decembri Episcopos duodecim, octodecim Presbyteros, Diaconos viginti unum creavit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit

illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio V.

Extant nonnulla ab eo praeclare instituta, praesertim ut Resurrectio Domini nonnisi die Dominico celebraretur, quod postea ab ejus Successoribus Romanis Pontificibus confirmatum est, quibus id maxime curae fuit, ut totius Ecclesiae Episcopi in Paschali celebritate uniformes essent.

℟. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

Lectio VI.

Pudentis domum in Ecclesiam mutavit, eamque titulo Pastoris dicavit, in qua saepius rem sacram fecit, et multos ad fidem conversos, et sacro fonte purgatos in Fidelium numerum adscripsit. Dum vero pii Pastoris munus obiret fuso pro suis ovibus et summo Pastore Christo sanguine, martyrio coronatus est quinto idus Julii anno Domini centesimo sexagesimo septimo, ac sepultus in Vaticano.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus: et aqua sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Si quis venit, de Communi primo loco.

DIE XI. JULII.

Pro Vigilia Ss. Hermagorae et Fortunati Martyrum.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 15.

Lectio IX.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. Et reliqua.

De Homilia

Sancti Augustini Episcopi.

Tract. 80. in Joannem.

Iste locus Evangelicus, fratres, ubi se dicit Dominus vitem, et discipulos suos palmites, secundum hoc dicit, quod est caput Ecclesiae, nosque membra ejus, mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. Unius quippe naturae sunt vitis et palmites. Propter quod cum esset Deus, cujus naturae non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis

humana natura, cujus et nos homines palmites esse possemus.

Te Deum laudamus.

In Laud. fit commem. ejusdem Vig. Antiph. et ℣. de feria occurrente ut in Psalterio.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, da nobis sanctorum Martyrum tuorum Hermagorae et Fortunati precibus adjuvari, ut quorum festa praevenimus, eorum auxilium capiamus. Per Dominum.

DIE XII. JULII.

In festo

Ss. Hermagorae Episcopi et Fortunati Diaconi Martyr.

Dioecesis Labacensis Patron.

Duplex I. Classis cum Octava.

Omnia de Communi plurimor. Mm. praeter ea, quae hic sunt propria.

Oratio.

Deus, qui nos hodierna die beatorum Martyrum tuorum Hermagorae et Fortunati multiplici facis celebritate gaudere: tribue, quaesumus, eorum nos semper piis defensionibus muniri, et orationibus adjuvari. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones: Fratres, Debitores, de Communi.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Hermagoras natione Germanus, civis Aquilejensis, beati Marci Evangelistae, qui primus in eadem Ecclesia Evangelium praedicavit, discipulus, cum eo Romam petiit, ubi a beato Petro Apostolorum Principe baculo Pastorali insignitus fuit. Aquilejam inde repetens, dum creditae sibi Ecclesiae excolendae invigilat, apud Sebastum praesidem accusatur, quod Christum jugiter praedicans, deorum cultum everteret, quamobrem diutissime caesus, cum interea Christo gratias ageret, ac praesidis derideret saevitiam, jubetur in equuleo suspendi, et unguibus pectus dilaniari. Inde admotis pectori laminis candentibus, atque accensis lampadibus ad latera applicatis, quo diriora experiebatur supplicia, eo dulciores Christi laudes fortissimus Martyr efferebat.

℟. Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, servientes praeceptis tuis, ut invenirentur illaesi in aquis validis: * Terra apparuit arida, et in mari rubro via sine impedimento.

℣. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquae, et torrentes inundaverunt. Terra.

Lectio V.

Eo spectaculo commota civitate, Sebastus furorem populi ti-

mens, subtractum tortoribus Hermagoram carceri tetro emancipat. Nox erat, cum eo loco ingens de coelo effulsit lumen, atque persuavis odor replevit carcerem: quibus prodigiis excitatus Pontianus carceris custos, ac illustratus ea coelesti luce, antiquam superstitionis caliginem discutiens, ad pedes sanctissimi Praesulis provolutus, initiari postulat Christianis mysteriis: cujus exemplo excitata civium multitudo ad Hermagoram certatim confluit, ac crucifixi Dei gloriam coelesti spiritu praedicantem attendit, ejusque Religionem veram esse, atque unicam in coelum viam edocta, Christiano gregi per lavacrum regenerationis adjungitur incredibili cum gaudio sancti Pastoris. Fuit ex eo numero Gregorius Patritius Aquilejensis, cujus filium a triennio energumenum, jubente Hermagora, daemon dimisit, perspicientibus cunctis; atque e carcere egressus, Gregorio universaque illius familia propriis in aedibus baptizata, in carcerem ultro revertitur, quem ob crebra miracula Dei Sacrarium reddiderat, ac sibi inter loci illius angustias et squalorem, tamquam in coelo aeternis cum Christo deliciis frui videbatur.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut haeredes fierent in domo Domini.

℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut haeredes.

Lectio VI.

Cum itaque adverterent Presbyteri et Clerici Hermagoram amore Christi Domini ita succensum, ut nihil magis quam martyrium exoptaret, rogabant quid facturi essent eo sublato, et responsum acceperunt, quod Fortunatum suum Archidiaconum in Episcopum eligerent, qui sacris undis matronam viduam Alexandriam nomine abluerat, quae in carcere, praefecto annuente, admissa ad pedes Hermagorae lumen oculorum jam receperat. Quibus ad Sebastum delatis, Fortunatum quoque in eumdem carcerem detrudi jubet, ubi tam multa per ambos edebantur in dies miracula, ut semper magis sibi metuens Sebastus multitudinem populi, quae Christo adhaeserat, spiculatorem de nocte immiserit, qui Christi Athletis cervices abscinderet. Quo peracto, cadavera et sanguis a Pontiano clam collecta, et a pia muliere Alexandria, Gregorio adjutore, aromatibus delibuta, in agro suo juxta urbis moenia perhonorifice condita sunt. Passi sunt sub Nerone Caesare, quarto idus Julii.

℟. Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum: * Quoniam donum et pax est electis Dei.

℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Cum audieritis, de Communi primo loco.

DIE XV. JULII.

In festo

Divisionis Duodecim Apostolorum.

Duplex majus.

Omnia ut in Communi Apostolorum, praeter haec propria.

Oratio.

Deus, qui hodierna die in omnem terram tuorum verba Apostolorum ad gentium vocationem exire fecisti: da nobis, quaesumus, et fide et opere eorum servare vestigia, quorum doctrinis sanctae Ecclesiae constitit origo. Per Dominum.

In primo Nocturno.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Romanos. C. 10. v. 4.

Lectio I.

Finis legis Christus ad justitiam omni credenti: Moyses enim scripsit: quoniam justitiam, quae ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea: quae autem ex fide est justitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: quis ascendet in coelum? id est Christum deducere; aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum a mortuis revocare. Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo: hoc est verbum fidei quod praedicamus. Quia si confitearis in ore tuo Christum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura: Omnis, qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Judaei et Graeci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum. Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum, dicit Dominus: * Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.

℣. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Estote.

Lectio II.

Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante? quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non

audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum. Sed dico: Numquid Israël non cognovit? Primus Moyses dicit: Ego ad aemulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipientem, in iram vos mittam. Isaias autem audet, et dicit: Inventus sum a non quaerentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant. Ad Israël autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem.

℟. Tollite jugum meum super vos, dicit Dominus, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: * Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

℣. Et invenietis requiem animabus vestris. Jugum.

Lectio III. Cap. 11.

Dico ergo: Numquid Deus repulit populum suum? Absit. Nam et ego Israëlita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura: quemadmodum interpellat Deum adversus Israël? Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt: et ego relictus sum solus, et quaerunt animam meam. Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. Sic ergo et in hoc tempore, reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt: si autem gratia jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Quid ergo? quod quaerebat Israël, hoc non est consecutus: electio autem consecuta est, caeteri vero excoecati sunt, sicut scriptum est: Dedit illis Deus spiritum compunctionis.

℟. Dum steteritis ante reges, et praesides, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: * Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.

℣. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Dabitur. Gloria Patri. Dabitur.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

In Encom. Ss. 12. Apostol.

Lectio IV.

Duodecim electi sunt Athletae, et nullus eorum mansit non coronatus: una enim gratia erat omnibus socia certaminis, et cum eis concurrebat et uniuscujusque victoriam reddebat magis probatam. Sed o beatum et praeclarum vestrum, oApostoli, coetum, quod omnibus facti estis omnia Dei gratia, non arundine, sed sermone greges hominum perite capientes. Vos enim estis immobiles columnae rectae Fidei, petrae Ecclesiae, Regni sceptra, et hujus maximi gregis vigiles defensores, morbis humanitatis

gratuiti medici, et nostrae ad Deum poenitentiae susceptores misericordes.

℟. Vidi conjunctos viros habentes splendidas vestes, et Angelus Domini locutus est ad me, dicens: * Isti sunt viri sancti facti amici Dei.

℣. Vidi Angelum Dei fortem, volantem per medium coelum, voce magna clamantem, et dicentem. Isti sunt.

Lectio V.

Cum enim essetis velut animatae quaedam incudes, dum verberaremini, eos, qui verberabant, fabricati estis ad agnitionem. Hinc Petrus Romam accipit in disciplinam, Paulus illinc mundo annuntiat Evangelium, Andreas corrigit Graeciae sapientiam, Simon barbaros Deum docet, Thomas baptismate dealbat Aethiopes, Jacobi cathedram honorat Judaea. Marci thronum, quae est ad Nilum, complectitur Alexandria. Lucas et Matthaeus scribunt Evangelia. Joannes qui vel post finem adhuc tractat Theologiam, tamquam vivus, curat Ephesum. Bartholomaeus erudit Lycaones ad temperantiam, Philippus faciens miracula servat Hierapolim.

℟. Beati estis, cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me: * Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis.

℣. Cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobaverint, et ejecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis. Gaudete.

Lectio VI.

Non cessant omnes omnibus ubique benefacere. Pulverem immortalem reliquerunt in sepulchris, nunc quidem pii cultores, paulo post autem sedentes mundi Judices. Cum huic appropinquasset claudus, reversus est sanus, et integris pedibus. Cum in illum incidisset paralyticus, jussus est ferre grabatum. Alius vocabat mortuos, illi vero ei statim obtemperarunt. Alterius autem umbra sola fugabat mortuos, alterius invocationem exhorrebant daemones, et illorum sudaria stillabant medicinam. Erant enim discipuli illius, cujus fimbria furto surrepta, contactu ejus, quae sanguinis laborabat profluvio exsiccavit rubrum mare sanguinis.

℟. Isti sunt triumphatores, et amici Dei, qui contemnentes jussa principum, meruerunt praemia aeterna: * Modo coronantur, et accipiunt palmam.

℣. Isti sunt, qui venerunt ex magna tribulatione et laverunt stolas suas in sanguine Agni. Modo. Gloria Patri. Modo.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 10.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Et reliqua.

De Homilia

Sancti Ambrosii Episcopi.

Comment. in Luc. lib. 7.

Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Contraria sunt ista sibi animantia, et alia ab aliis devorantur; sed bonus Pastor lupos gregi suo timere non novit, ideoque isti discipuli non in praedam, sed ad gratiam diriguntur. Sollicitudo enim boni pastoris efficit, ut lupi in agnos audere nihil possint. Mittit ergo agnos inter lupos, ut compleretur illud: Tunc lupi et agni simul pascentur. Nolite portare sacculum: quid sit, sacculum non esse portandum, alibi Dominus evidenter expressit: scripsit enim Matthaeus, quoniam ipse dixit ad discipulos: Nolite possidere aurum, neque argentum. Si prohibemur aurum possidere: quid eripere? quid auferre? Si, quod habes, donare praeciperis, quemadmodum congeris? Qui praedicas, non furandum, furaris? Qui dicis, non moechandum, moecharis? Qui execraris idola, sacrilegium facis?

℟. Isti sunt, qui viventes in carne, plantaverunt Ecclesiam sanguine suo: * Calicem Domini biberunt, et amici Dei facti sunt.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum. Calicem Domini.

Lectio VIII.

Non peram, non calceamenta. Quod si quem movet, qua ratione in Aegypto calceati jubentur edere agnum, Apostoli autem sine calceamentis ad praedicandum Evangelium dirigantur, is considerare debet, quia in Aegypto positus debet adhuc morsus cavere serpentis. Multa enim venena in Aegypto, et qui in typo Pascha celebrat, patere potest vulneri, qui autem minister est veritatis, evitat venena, non trepidat. Dominus enim ait: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et supra omnes virtutes inimici, et nihil vobis nocebit. Non virgas in manu jubentur tollere Apostoli; sic enim Matthaeus scribendum putavit. Quid est virga, nisi praeferendae potestatis insigne, et ulciscendi instrumentum doloris? Ergo humilis Domini (in humilitate enim judicium ejus sublimatum est) humilis, inquam, Domini praeceptum, discipuli ejus humilitatis officia exequuntur. Eos enim misit ad seminandam Fidem, qui non cogerent, sed docerent, nec vim potestatis exercerent, sed doctrinam humilitatis attollerent.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, et dedit illis gloriam sempiternam: * Quorum doctrina fulget Ecclesia, ut sole luna.

℣. Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam. Quorum. Gloria Patri. Quorum.

Lectio IX.

Et neminem salutaveritis in via. Fortasse quibusdam hoc durum et superbum, nec mansueti et humilis Domini praecepto convenire videatur, quod ille, qui etiam accubitionis loco praecipit esse cedendum, hoc loco mandet discipulis: neminem salutaveritis in via; cum iste communis sit usus gratiae. Gentiles quoque cum Christianis habent hujusmodi officiorum commercia. Quomodo Dominus hunc usum humanitatis avellit? Sed considera, hoc non esse solum: Neminem salutaveritis; sed non frustra adhibitum: In via; ubi non salutationis officium aufertur sed obstaculum impediendae devotionis aboletur, ut quando divina mandantur paulisper sequestrentur humana.

Te Deum laudamus.

DIE XVII. JULII.

In festo

S. Alexii Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

DIE XVIII. JULII.

In festo

S. Joannis Gualberti Abbatis.

Duplex.

Dies assignata ex 12. hujus. Omnia ut ibi, sed in Hymno Iste Confessor, mutatur tertius versus.

Lectio IX. et commem. Ss. Symphorosae et Filiorum Martyrum, ut in Br.

DIE XIX. JULII.

In Octava

Ss. Hermagorae et Fortunati Martyrum.

Duplex.

Omnia dicantur ut in illorum festo, praeter ea, quae hic adnotantur.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Fulgentii Episcopi.

Serm. 10.

Lectio IV.

Delectat videre campos segetum aureis maturatis calamis aristarum; delectabilius libet attendere campos Ecclesiae Martyrum micantes, plantatos de uno cruore per Agni sanguinem innocentem. Segetes etenim sunt passiones Martyrum, juxta cursus aquarum, rigati fontibus la-

crymarum. Nam sic modo beatus David Martyrum purpurata germina et ante messores gaudiorum tamquam manceps secanti messoria cithara decantabat: Qui seminant, inquit, in lacrymis, in gaudio metent. Ubi seminant in lacrymis, nisi juxta arborem crucis, ubi est fons proximus Salvatoris?

℟. Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, servientes praeceptis tuis, ut invenirentur illaesi in aquis validis: * Terra apparuit arida, et in mari rubro via sine impedimento.

℣. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquae, et torrentes inundaverunt. Terra.

Lectio V.

Inde de latere ejus sanguinis guttae stillarunt, et pluvia cruoris et aquae seminata est tolerantia Confessorum. De ipso ligno virentis crucis juxta fontem sanguinis plantata virginitas floruit castitatis: inde plantata Martyrum tolerantia coepit seminis sui germina colligere purpurata. Nam unde Martyres tolerant, nisi per Dominicam crucem? Unde Martyres, in quorum cordibus lex Dei est, maledictiones non timent hominum, nisi quia Christus Dominus pertulit patienter improperia Judaeorum? Ista ergo seminatio sanguinis Christi fecit semina Martyrum pullulare in campo Matris Ecclesiae, ut dicit David: Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent: euntes ibant et flebant.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut haeredes fierent in domo Domini.

℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut haeredes.

Lectio VI.

Sic perrexerunt: quomodo revertuntur? Non flentes, sed gaudentes: non adhuc seminantes sed manipulos suos laeta cervice portantes. O germina, quae non urit flamma! quia juxta flumen sunt vitreum in Jerusalem, et perpetuo virescunt flore immortalitatis vitae aeternae. Nesciunt marcescere, quia non timuerunt pro justitia flammis ardere: quia Agnus deducet eos ad vitae fontes aquarum, et delebit omnem lacrymam ab oculis eorum, et florebunt sicut lilium in medio Angelorum.

℟. Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum: * Quoniam donum et pax est electis Dei.

℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: et fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 21.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Cum audieritis proelia et seditiones, nolite terreri: oportet primum haec fieri, sed nondum statim finis. Et reliqua.

Homilia
Sancti Augustini Episcopi.

Serm. 14. lib. 50. Homil.

Dominus noster Jesus Christus testibus, id est, Martyribus suis, pro humana fragilitate sollicitis, ne forte eum confitendo atque moriendo perirent, magnam securitatem dedit, dicens: Capillus de capite vestro non peribit. Times ergo, ne pereas, cujus capillus non peribit? Si sic custodiuntur superflua tua, in quanta securitate est anima tua? Non perit capillus, qui cum tondetur, non sentis, et perit anima, per quam sentis? Sane multa dura eos passuros praedixit, ut praedicendo faceret paratiores, dicerentque illi: Paratum cor meum.

℟. Propter testamentum Domini, et leges paternas sancti Dei perstiterunt in amore fraternitatis: * Quia unus fuit semper spiritus in eis, et una fides.

℣. Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum. Quia.

Lectio VIII.

Quid est: Paratum cor meum, nisi parata voluntas mea? Paratam ergo habent Martyres voluntatem in martyrio, sed praeparatur voluntas a Domino. Illis autem, in malis duris atque asperis futuris, commemorans adjecit: In patientia vestra possidebitis animas vestras. In vestra patientia, inquit; non enim esset patientia tua, si non ibi esset et voluntas tua. In vestra patienia: sed unde vestra? Nostrum est, quod a nobis habetur, nostrum est, et quod nobis donatur.

℟. Sancti mei, qui in carne positi, certamen habuistis, * Mercedem laboris ego reddam vobis.

℣. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Mercedem. Gloria Patri. Mercedem.

Lectio IX.

Quomodo enim aliquid donas, nisi ut ejus sit, cui donas? Aperta est enim illa confessio: Nonne Deo subjicietur anima mea? ab ipso enim est patientia mea. Dicit nobis ipse: In vestra patientia; dicamus illi et nos: Patientia mea ab ipso est. Tuum fecit donando, noli ingratus esse tibi assignando. Nonne in oratione Dominica dicimus, et nostrum esse, quod a Deo est? Quotidie dicimus: Panem nostrum quotidianum. Jam dixisti, nostrum; et dicis, da nobis; ecce, nostrum, ecce, da nobis! Illo dante, fit nostrum.

Te Deum laudamus.

DIE XX. JULII.

In festo

S. Hieronymi Aemiliani Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Deus misericordiarum Pater, per merita, et intercessionem beati Hieronymi, quem orphanis adjutorem, et patrem esse voluisti: concede; ut Spiritum adoptionis, quo filii tui nominamur, et sumus, fideliter custodiamus. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Hieronymus e gente patritia Aemiliana Venetiis ortus, a prima adolescentia militiae addictus, difficillimis reipublicae temporibus, Castro novo ad Quarum in montibus Tarvisinis praeficitur. Arce ab hostibus capta, ipse in teterrimum carcerem detruditur, manibus ac pedibus vinctus, cui, omni humana ope destituto beatissima Virgo, ejus precibus exorata, clemens adest, vincula solvit, et per medios hostes, qui vias omnes obsederant, in Tarvisii conspectum incolumem ducit. Urbem ingressus ad Deiparae aram, cui se voverat, manicas, compedes, catenas, quas secum detulerat, in accepti beneficii testimonium suspendit. Reversus Venetias coepit pietatis studia impensius colere, in pauperes mire effusus, sed puerorum praesertim misertus, qui parentibus orbati, egeni et sordidi per urbem vagabantur, quos in aedes a se conductas recepit de suo alendos, et christianis moribus imbuendos.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Per eos dies Venetias appulerant beatus Cajetanus, et Petrus Carafa postmodum Paulus Quartus, qui Hieronymi spiritu, novoque instituto colligendi orphanos, probato, illum in Incurabilium hospitale adduxerunt, in quo orphanos simul educaret, atque aegrotis pari charitate inserviret. Mox eorumdem hortatu in proximam continentem profectus, Brixiae primum, deinde Bergomi atque Novocomi orphanotrophia erexit, Bergomi praesertim, ubi praeter duo, pro pueris unum, et pro puellis alterum, domum excipiendis, novo

in illis regionibus exemplo, mulieribus a turpi vita ad poenitentiam conversis, aperuit. Somaschae demum subsistens, in humili pago agri Bergomensis ad Venetae ditionis fines, sibi ac suis ibi sedem constituit, formamque induxit congregationis, cui propterea a Somascha nomen factum, quam subinde auctam, et propagatam, nedum orphanorum regimini, et Ecclesiarum cultui, sed ad majorem Christianae reipublicae utilitatem, adolescentium in litteris, et bonis moribus institutioni, in collegiis, academiis, seminariis addictam, sanctus Pius Quintus inter Religiosos Ordines adscripsit, caeterique Pontifices privilegiis ornarunt.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: ✻ Et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad.

Lectio VI.

Orphanis colligendis intentus Mediolanum proficiscitur, atque Ticinum, et utrobique collectis agminibus puerorum, tectum, victum, vestem, magistros, nobilibus viris faventibus, provide constituit. Inde Somascham redux, omnibus omnia factus, a nullo abhorrebat opere, quod in proximi bonum cedere praevideret. Agricolis immixtus per agros sparsis, dum se illis adjutorem in metendis frugibus praebet, mysteria fidei explicabat, puerorum capita porrigine foeda abstergens, et patienter tractans curabat, putridis rusticorum vulneribus medebatur eo successu, ut gratia curationum donatus censeretur. In monte, qui Somaschae imminet, reperta specu, in illam se abdidit, ubi se flagellis caedens dies integros jejunus transigens, oratione in plurimam noctem protracta super nudo saxo brevem somnum carpens, sui, aliorumque noxarum poenas luebat. In hujus specus interiori recessu ex arido silice extillat aqua precibus servi Dei, ut constans traditio est, impetrata, quae usque in hodiernam diem jugiter manans, et in varias regiones delata, aegris sanitatem plerumque conciliat. Tandem ex contagione, quae per omnem vallem serpebat, dum aegrotantibus inservit, et vita functos propriis humeris ad sepulturam defert, contracto morbo annos natus sex et quinquaginta, quam paulo ante praedixerat, pretiosam mortem obiit anno millesimo quingentesimo trigesimo septimo: quem pluribus in vita, et post mortem miraculis illustrem Benedictus decimus quartus Beatorum, Clemens vero decimus tertius Sanctorum fastis solemniter adscripsit.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem

meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 19.

Lectio VII.

In illo tempore oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret. Et reliqua.

Homilia

Sancti Joannis Chrysostomi.

Homil. 62. in Matth.

Cur discipuli pueros abigebant? Dignitatis causa. Quid ergo ille? Ut doceat illos modeste sapere, fastumque mundanum conculcare, et suscipit, et ulnis complectitur, talibusque regnum coelorum pollicetur; id, quod etiam dixit superius. Et nos igitur, si volumus haeredes esse coelorum, hanc virtutem cum diligentia magna sectemur. Hoc est enim philosophiae culmen, simplicem esse cum prudentia. Haec vita est angelica. Anima enim pueruli omnibus animi morbis vacua est: non memoriam retinet injuriarum, sed eas inferentes adit ut amicos, ac si nihil factum esset. Et quamvis a matre verberibus caedatur, eam semper quaerit, et omnibus anteponit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. Ipse.

Lectio VIII.

Si reginam ipsi ostendas diademate ornatam, non praefert eam matri pannis detritis vestitae, malletque illam incultam videre, quam reginam mirifice amictam. Nam quod suum, quod alienum est, non ex paupertate, vel divitiis, sed ex amore existimare solet, et nihil plus requirit, quam necessaria, atque ut lacte repletus est, statim a mamma abscedit. Non eisdem, quibus nos, aerumnis premitur, nec pecuniarum jactura, rebusque similibus; nec iisdem, quibus nos, fluxis rebus laetatur; neque corporum pulchritudinem miratur. Ideo dicebat: Talium est enim regnum coelorum, ut ex proposito voluntatis illa operemur, quae natura sua pueri faciunt.

℟. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester

venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio IX.

Quia enim Pharisaei non aliunde, quam a nequitia, et arrogantia ad agendum ferebantur; ideo ubique discipulos suos simplices esse jubet, illosque subindicat, dum hos instituit. Nihil enim ita superbiam parit, ut principatus, et primi consessus. Quoniam igitur discipuli per totum terrarum orbem multum honoris consecuturi erant, ipsorum animos praevenit, sinit eos humanum quid pati, nec honorem a vulgo expetere, vel ante alios se efferre. Nam etiamsi haec parva videntur esse, at malis ingentibus causam praebent. Sic enim instituti Pharisaei in malorum culmen ascenderunt, salutationes, primos consessus, et medios requirentes, hinc in ardentem gloriae cupiditatem, inde vero in impietatem lapsi sunt.

Te Deum laudamus.

DIE XXI. JULII.

In festo
S. Camilli de Lellis Conf.

Duplex.

Dies assignata ex 18. hujus.

Omnia de Communi Confess. non Pontif. praeter ea, quae sequuntur.

In Hymno Iste Confessor, mutatur tertius versus.

Oratio.

Deus, qui beatum Camillum ad animarum in extremo agone luctantium subsidium singulari charitatis praerogativa decorasti: ejus, quaesumus, meritis Spiritum nobis tuae dilectionis infunde; ut in hora exitus nostri hostem vincere, et ad coelestem mereamur coronam pervenire. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Et fit commem. S. Praxedis Virginis.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Camillus Bucclanici, Theatinae dioecesis oppido, ex nobili Lelliorum familia natus est, matre sexagenaria, cui gravidae visum est per quietem, puerulum crucis signo in pectore munitum, et agmini puerorum idem signum gestantium praeeuntem, se peperisse. Adolescens rem militarem secutus saeculi vitiis aliquamdiu indulsit, donec vigesimum quintum agens aetatis annum, tanto supernae gratiae lumine, divinaeque offensae dolore correptus fuit, ut uberrimo lacrymarum imbre illico perfusus, anteactae vitae sordes indesinenter abstergere, novumque induere homi-

nem firmiter decreverit. Quare ipso, quo id contigit, Purificationis Beatissimae Virginis festo die, ad Fratres Minores, quos Capucinos vocant, convolans, ut eorum numero adscriberetur, summis precibus exoravit. Voti semel, atque iterum compos factus est; sed foedo ulcere, quo aliquando laboraverat, in ejus tibia iterato recrudescente, Divinae providentiae majora de eo disponentis, consilio humiliter se subjecit, suique victor, illius religionis bis expetitum, et susceptum habitum bis dimisit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: ✻ Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Romam profectus in nosocomium, quod Insanabilium dicitur, receptus est; cujus etiam administrationem, ob perspectas ejus virtutes sibi demandatam, summa integritate, ac sollicitudine vere paterna peregit. Omnium aegrorum servum se reputans, eorum sternere lectulos, sordes tergere, ulceribus mederi, agonique extremo piis precibus et cohortationibus opem ferre, solemne habuit; quibus in muneribus praeclara praebuit admirabilis patientiae, invictae fortitudinis, et heroicae charitatis exempla. Verum cum animarum in extremis periclitantium, quod unice intendebat, levamini subsidium litterarum plurimum conferre intelligeret, triginta duos annos natus, in primis grammaticae elementis tyrocinium inter pueros iterum subire non erubuit. Sacerdotio postea rite initiatus, nonnullis sibi adjunctis sociis, prima jecit congregationis clericorum Regularium infirmis ministrantium fundamenta, irrito conatu obnitente humani generis hoste. Nam Camillus, colesti svoce Christi crucifixi, manus etiam de ligno avulsas admirando prodigio protendentis simulacro emissa, mirabiliter confirmatus, Ordinem suum a Sede Apostolica approbari obtinuit, sodalibus quarto obstrictis maxime arduo voto, infirmis, quos etiam pestis infecerit, ministrandi. Quod institutum, quam foret Deo acceptum, et animarum saluti proficuum, sanctus Philippus Nerius, qui Camillo a sacris confessionibus erat, comprobavit, dum ejus alumnis decedentium agoni opem ferentibus Angelos suggerentes verba saepius se vidisse testatus est.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: ✻ Et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad.

Lectio VI.

Arctioribus hisce vinculis aegrotantium ministerio mancipatus, mirum est, qua alacritate, nullis fractus laboribus, nullis deterritus vitae periculis, diu, noctuque ad supremum usque spiritum, eorum commodis vigilaverit. Omnibus omnia factus, vilissima quaeque officia demississimo obsequio, flexisque plerumque genibus, veluti Christum ipsum cerneret in infirmis, hilari, promptoque animo arripiebat; utque omnium indigentiis praesto esset, generalem Ordinis praefecturam, coëlique delicias, quibus in contemplatione defixus affluebat, sponte dimisit. Paternus vero illius erga miseros amor tum maxime effulsit, cum urbs contagioso morbo primum, deinde extrema annonae laboraret inopia, et Nolae in Campania dira pestis grassaretur. Tanta denique in Deum, et proximum charitate exarsit, ut Angelus nuncupari, et Angelorum opem in vario itinerum discrimine experiri promereretur. Prophetiae dono, et gratia sanitatum praeditus, arcana quoque cordium inspexit; ejusque precibus nunc cibaria multiplicata sunt, nunc aqua in vinum conversa. Tandem vigiliis, jejuniis, et assiduis attritus laboribus, cum pelle tantum et ossibus constare videretur, quinque molestis aeque ac diutinis morbis, quos Misericordias Domini appellabat, fortiter toleratis, sacramentis munitus, Romae inter suavissima Jesu et Mariae nomina, ad ea verba: Mitis, atque festivus Christi Jesu tibi aspectus appareat, qua praedixerat hora, obdormivit in Domino, pridie Idus Julii, anno salutis millesimo sexcentesimo decimo quarto, aetatis suae sexagesimo quinto, quem pluribus illustrem miraculis Benedictus decimus quartus primo Beatis, Sanctis postmodum, solemni ritu adscripsit.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 15.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Et reliqua.

Homilia

Sancti Augustini Episcopi.

Tract. 83. in Joan. Evang.

Quid putamus, fratres mei!

numquid solum ejus de ista dilectione mandatum est, qua diligimus invicem? Nonne est et aliud majus, ut diligamus Deum? Aut vero de sola Deus nobis dilectione mandavit, ut alia non requiramus? Tria certe commendat Apostolus, dicens: Manent autem fides, spes, charitas; tria haec, major autem horum est charitas. Et si in charitate, hoc est, in dilectione, concluduntur duo illa praecepta, major tamen dicta est esse, non sola. De fide igitur nobis quam multa mandata sunt, quam multa de spe. Quis potest cuncta colligere, quis enumerando sufficere? Sed intueamur, quod ait idem Apostolus: Plenitudo legis charitas.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum.* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. Ipse intercedat.

Lectio VIII.

Ubi ergo charitas est, quid est, quod possit deesse? Ubi autem non est, quid est quod possit prodesse? Daemon credit, nec diligit: nemo diligit, qui non credit. Frustra quidem, sed tamen potest sperare veniam, qui non diligit, nemo autem potest desperare, qui diligit. Itaque ubi dilectio est, ibi necessario fides, et spes; et ubi dilectio proximi, ibi necessario etiam dilectio Dei. Qui enim non diligit Deum, quomodo diligit proximum tamquam se ipsum? Quandoquidem non diligit et se ipsum; est quippe impius, et iniquus: qui autem diligit iniquitatem, non plane diligit, sed odit animam suam.

℟. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio IX. et commem. S. Praxedis Virginis; quando autem hoc festum transferetur, Lectio IX. erit.

Lectio IX.

Hoc ergo praeceptum Domini teneamus, ut nos invicem diligamus, et quidquid aliud praecepit, faciamus: quoniam quidquid est aliud, hic habemus. Discernitur quippe ista dilectio ab illa dilectione, qua se invicem diligunt homines; nam ut discerneretur, adjunctum est: Sicut dilexi vos. Ut quid enim diligit nos Christus, nisi ut regnare possimus cum Christo? Ad hoc ergo et nos invicem diligamus, ut dilectionem nostram discernamus a caeteris, qui non

ad hoc se invicem diligunt, quia nec diligunt. Qui autem se propter habendum Deum diligunt, ipsi se diligunt; ergo ut se diligant, Deum diligunt. Non est haec dilectio in omnibus hominibus; pauci se propterea diligunt, ut sit Deus omnia in omnibus.

Te Deum laudamus.

DIE XXIV. JULII.

In festo
S. Christinae Virginis Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi Virginis Mart. praeter haec propria.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quaeque confundas: concede propitius, ut qui beatae Christinae Virginis et Martyris tuae solemnia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Christina nobilis Virgo Tyri in Hetruria apud lacum Vulsinum ethnicis parentibus nata, a teneris annis Christianam Fidem suscepit. Ad Domini sui amorem, falsorumque deorum odium adeo exarsit, ut annum agens undecimum, idola aurea atque argentea, quae Urbanus pater domi colebat, comminuerit, fragminaque pauperibus erogaverit. Qua re commotus Urbanus, qui et praeses erat, filiae constantiam, ut ad superstitionem suam illam pertraheret, primo blanditiis et precibus aggressus est. Mox cum id frustra foret, ad suum tribunal adduci, atque alapis primum percuti, deinde verberibus caedi, postremo ferro et catenis onustam in tetrum carcerem detrudi jussit. A quo rursus ad tormenta evocata, in equuleo acerbissime contorquetur. Tum ungulis et scorpionibus adeo crudeliter lacerata est, ut concisae in frusta carnes ad terram dilaberentur.

℟. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: ✱ Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna. Et deducet.

Lectio V.

His tormentis nihil proficiens immanis pater rotam parari jubet, eique alligatum Virginis corpus subjecto igne torreri. Sed cum flamma, coorto vento in multitudinem paganorum, quae circumdederat, ageretur, eorumque plurimos mirabiliter consumpsisset, Christina in carcerem rursus conjicitur, ibique ab Angelo

visitata, pristinae sanitati restituitur. Urbanus vero inhumanius ob haec miracula ad caedem saeviens, ut filia ingenti praegravata saxo in lacum mergeretur, imperavit. In eum cum fuisset demersa, ab Angelo, cui Virginis custodiam demandaverat Deus, ex aquarum profundo mirabiliter educta est. Cumque nova tormenta et atrociora ad filiae constantiam labefactandam impius pater meditaretur, repentina morte correptus, vivendi finem et saeviendi fecit.

℟. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: ✻ Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae.

℣. Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam. Propterea.

Lectio VI.

Urbano praesidi mortuo successit Dion, qui multis iterum exquisitis tormentis Virginem aggressus, in crates ferreas subjecto igne candentes, atque oleo, pice et resina liquatis plenas eam immisit, diuque infantis vitam morari fecit. In eo supplicio illaesae caput abraditur, quod in capillis maleficia latere praeses putaret, cujus jussu ad simulacrum Apollinis, ut illi thus offerret, pertracta est. Quod tamen, Christina orante, subito concidens in cineres est redactum. Hoc miraculo tria circiter hominum millia ad Christi Fidem conversa sunt, praesesque horrore correptus expiravit. Hujus successor Julianus in fornacem ardentem illam conjecit, ubi quinque diebus parente flamma, permansit. Tandem post superatos maleficorum serpentes, post abscissam linguam, sagittasque toto corpore infixas, Diocletiano Imperatore, martyrii cursum gloriosissime confecit, ac de tribus tyrannis undecim annorum adolescentula felicissime triumphavit.

℟. Afferentur Regi virgines post eam, proximae ejus ✻ Afferentur tibi in laetitia et exultatione.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Afferentur. Gloria Patri. Afferentur.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia in Evang. Simile erit regnum coelorum decem virginibus, de Communi primo loco, cum IX. lect. et commem. Vig. S. Jacobi Apostoli.

DIE XXVII. JULII.

In festo
S. Pantaleonis Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. praeter ea, quae hic sunt propria.

In primis Vesperis, ad Magnificat, Antiph. Gloriosus Pantaleon coelestem medicum toto dilexit corde, et moriens pro Christo vivit in coelo coronatus.

Oratio.

Deus, qui beatum Pantaleonem Martyrem tuum varia tormenta superare fecisti, et pro persecutoribus exorare: concede propitius, ut, qui ejus imploramus auxilium, misericordiae tuae sentiamus effectum. Per Dominum.

In primo Nocturno.

De libro Ecclesiastici.

Cap. 51.

Lectio I.

Confitebor tibi, Domine Rex, et collaudabo te Deum Salvatorem meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adjutor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum a perditione: a laqueo linguae iniquae, et a labiis operantium mendacium, et in conspectu astantium factus es mihi adjutor. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiae nominis tui a rugientibus, praeparatis ad escam, de manibus quaerentium animam meam, et de portis tribulationum, quae circumdederunt me: a pressura flammae, quae circumdedit me, et in medio ignis non sum aestuatus: de altitudine ventris inferi, et a lingua coinquinata, et a verbo mendacii, a rege iniquo, et a lingua injusta.

℟. Iste Sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit: ✱ Fundatus enim erat supra firmam petram.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Fundatus.

Lectio II.

Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, et vita mea appropinquans erat in inferno deorsum. Circumdederunt me undique, et non erat, qui adjuvaret. Respiciens eram ad adjutorium hominum, et non erat. Memoratus sum misericordiae tuae, Domine, et operationis tuae, quae a saeculo sunt: quoniam eruis sustinentes te, Domine, et liberas eos de manibus gentium. Exaltasti super terram habitationem meam et pro morte defluente deprecatus sum.

℟. Justus germinabit sicut lilium: ✱ Et florebit in aeternum ante Dominum.

℣. Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Et florebit.

Lectio III.

Invocavi Dominum Patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meae, et in tempore superborum sine adjutorio. Laudabo nomen tuum assidue, et collaudabo illud in confessione, et exaudita est oratio mea. Et liberasti me de perditione, et eripuisti me de tempore iniquo. Propterea confitebor, et laudem dicam tibi, et benedicam nomini Domini.

℟. Iste cognovit justitiam, et

vidit mirabilia magna, et exoravit Altissimum: * Et inventus est in numero sanctorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Et inventus. Gloria Patri. Et inventus.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Pantaleon Nicomediensis, filius Eustorgii gentilis, et Eubulae Christianae, medicam artem ab Euphrosyno didicit; cum autem Hermolaus Presbyter ex modestia vultus, incessu, et serenitate oculorum alte de illo judicasset, illum accersivit, et coepit in cor fluenta divinae fidei infundere. Crede mihi, dixit, Aesculapii et Hippocratis medicamenta parva sunt, et parum prodesse possunt, quinimmo ipsi dii, quos colit Maximianus, sunt vana omnino fabula; unus autem solus verus Deus est Christus, in quem si credideris, ejus sola invocatione omnes morbos fugabis. Quae verba servabat in corde, jugiter meditabatur, et suaviter allectus, ad Hermolaum ut ad magistrum hilaris quotidie ventitabat. Cum autem quadam die videret puerum mortuum, et prope eum viperam quasi ostendentem, quod ei mortem intulisset, intra se dixit: Si vera sunt dicta Hermolai, invocato nomine Christi, puer iste vivet, et bellua morietur; quod, uti cogitaverat, accidit: et statim infusa luce securitatis, omnis caligo discessit, et benedicens Deum, aestuansque desiderio sacri baptismi, ab Hermolao gaudens illum suscepit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Descenditque cum illo in foveam: et in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio V.

Non multo post coeco visum restituit, et patri Eustorgio tenebras impietatis solvit, qui idola calcans, et verum Deum confessus baptizatur. Mortuo patre, egenis opem, et languentibus sanitatem largiebatur; quare ad Maximianum defertur, qui primum honore eum et blanditiis attrahere studet, deinde minatur mortem, et dura supplicia, si diis non offerat sacrificium. Sed cum omnia invicto animo respueret, in ligno suspenditur, ferreis laniatur ungulis, et lampades ignis lateribus ejus admoventur: at illi oranti apparuit Christus dulcibus verbis recreans, et illico laxatae sunt manus lictorum, extinctae lampades, et plumbum liquatum, in quod postmodum tyranno jubente injectus fuit, in naturalem mutatur frigiditatem. Sed quid non tentat ingeniosa crudelitas! Mandat ingentem lapidem collo alligari, sicque in mare demitti;

sed lapis, non secus ac folium leve, supernatat, et Pantaleon firmiter super undas graditur. Non cessit tantis prodigiis tyranni obcaecata mens sed feris insanior, jubet eum ad feras produci. Crudele spectaculum! sed spectabili coelo confluxit tota civitas. Congrediuntur cum Athleta ferae; sed illae tamquam ratione utentes, et indutae humanitatem, quam exuerat Imperator, reverenter ad Martyrem accedunt, blandiuntur, pedesque illius lingua tangentes veluti contendebant, quaenam prima ad eum accederet, et non prius recederet, quam Martyr ei manum imposuisset, ac benedixisset.

℟. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine, ✻ Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

Lectio VI.

Quo viso clamabant multi: Dimittatur justus, magnus est Deus Christianorum, qui quidem solus et verus est. Sed Maximianus nec edoctus a feris pietatem, nec tanto lumini cedens, imperat Pantaleonem in locum editum ferri, et rotae alligatum in praeceps per declive demitti; at rota ultrice, et plures deorum opprimente cultores, illaesus evasit; quare eum gladio occidi jussit. Accessit lictor, oleae plantae illum alligat, sed cum exequeretur ictum, conversa fuit ferri acies cerae similis; quo miraculo stupefacti lictores, ad pedes Martyris provoluti, veniam precantur, Christum aperte confitentes. Sed tandem ne periret gloria martyrii, caput abscinditur, et statim lac pro sanguine fluxit, et planta oleae, cui alligatus fuerat, fructibus onusta apparuit. Cum autem quidam fideles convenissent, sacrum corpus in suburbano cujusdam Scholastici reverenter reponunt, et quem in vita tantis prodigiis Dominus illustraverat, post obitum innumeris decoravit: inter quae praeclarum illud, quod sacer ejus cruor, qui in ampulla servatur Ravelli in Regno Neapolitano, et Romae, a primis Vesperis festi usque ad diem sequentem, in quo Ecclesia celebrat ejus martyrium, cum coagulatus antea existat, mirum in modum liquefieri, et undequaque fluidum moveri cunctis cernentibus quotannis conspicitur: quod etiam accidit in portione sanguinis, qui in Monasterio Regali Incarnationis Monialium sancti Augustini Matriti inter pretiosiora pignora asservatur.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: ✻ Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus: et aqua sapientiae salutaris potavit illum.

Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 10.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nihil est opertum, quod non revelabitur; et occultum, quod non scietur. Et reliqua.

Homilia

Sancti Hilarii Episcopi.

Comment. in Matth. cap. 10. post medium.

Dominus diem judicii ostendit, quae abstrusam voluntatis nostrae conscientiam prodet: et ea, quae nunc occulta existimantur, luce cognitionis publicae deteget. Igitur non minas, non consilia, non potestates insectantium monet esse metuendas: quia dies judicii nulla haec fuisse, atque inania revelabit. Et quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, prædicate super tecta. Non legimus, Dominum solitum fuisse noctibus sermocinari, et doctrinam in tenebris tradidisse; sed quia omnis sermo ejus carnalibus tenebrae sunt, et verbum ejus infidelibus nox est.

℟. Corona aurea super caput ejus: * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa.

Lectio VIII.

Itaque id, quod a se dictum est, cum libertate fidei, et confessionis vult esse loquendum. Idcirco, quae in tenebris dicta sunt, praedicari jussit in lumine: ut, quae secreto aurium commissa sunt, super tecta, id est, excelso loquentium praeconio audiantur. Constanter enim Dei in gerenda cognitio est, et profundum doctrinae Evangelicae secretum in lumine praedicationis apostolicae revelandum, non timentes eos, quibus cum sit licentia in corpora, tamen in animam jus nullum est; sed timentes potius Deum, cui perdendae in gehenna et animae et corporis sit potestas.

℟. Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit. * Qui minas judicum non timuit, nec terrenae dignitatis gloriam quaesivit, sed ad coelestia regna pervenit.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Qui minas. Gloria Patri. Qui minas.

Lectio IX.

Nolite timere eos, qui occidunt corpus. Nullus igitur corporum nostrorum casus est pertimescendus, neque ullus interimendae carnis admittendus est dolor; quando pro naturae suae, atque originis

conditione resoluta, in substantiam spiritualis animae refundatur. Et quia doctrinis talibus confirmatos, oportet liberam confitendi Dei habere constantiam, etiam conditionem, qua teneremur, adjecit: negaturum se eum Patri in coelis, qui se hominibus in terra negasset: eum porro, qui confessus coram hominibus se fuisset, a se in coelis confitendum: qualesque nos nominis sui testes hominibus fuissemus, tali nos apud Deum Patrem testimonio ejus usuros.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES

et per Horas Antiphona.

In tormentis apparuit Christus, Pantaleonem mira dulcedine perfundens.

Psal. Dominus regnavit, cum reliquis de Laudibus Dominicae.

Antiph. Ego enim (ait Christus in habitu Hermolai) tecum sum in omnibus, quae propter me pateris.

Antiph. Cum pro lictoribus exoraret, audivit de coelo: Ultra non vocaberis Pantaleon, sed Pantaleemon, id est misericors, quia multi per te misericordiam consequentur.

Antiph. Lacte et cruore Martyris collum fluit, pro quo cruorem et aquam Christus fuderat.

Antiph. Pantaleon varie cruciatus jugiter canebat: Saepe expugnaverunt me a juventute mea; etenim non potuerunt mihi.

Capitulum, Hymnus et V. ut in Laudibus de Communi unius Martyris.

Ad Benedictus, Antiphona. Dixit Maximianus Pantaleoni: Quaenam est ars praestigiarum, quae tibi extinxit lampades, et satellitibus vires abstulit? Ad quae respondit: Meae praestigiae Christus est.

Oratio ut supra in primis Vesperis.

Ad Horas, Antiphonae sumuntur ex Laudibus ut supra. Reliqua omnia de eodem Communi.

In secundis Vesperis, Antiph. In tormentis, cum reliquis de Laudibus ut supra.

Psal. Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica, et loco ultimi, Psal. Credidi.

Ad Magnificat, Antiphona. Recordatus fuit misericordiae Domini, et in conspectu astantium factus est illi adjutor.

Oratio ut supra.

DIE XXX. JULII.

In festo

S. Henrici Imperator. Conf.

Duplex.

Dies assignata ex 15. Julii. Omnia ut ibi. In Hymno Iste Confessor, mutatur tertius versus.

Commem. Ss. Abdon et Sennen Martyrum cum eorum IX. Lectione.

FESTA AUGUSTI.

DIE II. AUGUSTI.

In festo

S. Vincentii a Paulo Conf.

Duplex.

Dies assignata ex 19. Julii. Omnia ut ibi.

Commem. S. Stephani Papae Martyris cum ejus IX. Lectione ex duabus unita.

DIE IX. AUGUSTI.

In festo

S. Alphonsi Mariae de Ligorio Episcopi Confess.

Duplex.

Dies assignata ex 2. Augusti. Omnia de Communi Conf. Pontif. praeter haec propria.

In Hymno Iste Confessor, mutatur tertius versus.

Oratio.

Deus, qui per beatum Alphonsum Mariam Confessorem tuum atque Pontificem animarum zelo succensum Ecclesiam tuam nova prole foecundasti: quaesumus, ut ejus salutaribus monitis edocti, et exemplis roborati ad te pervenire feliciter valeamus. Per Dominum.

Et fit Commem. S. Romani Martyris.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Alphonsus Maria de Ligorio Neapoli nobilibus parentibus natus, ab ineunte aetate non obscura praebuit sanctitatis indicia. Eum adhuc infantem cum parentes obtulissent sancto Francisco de Hieronymo e Societate Jesu, is bene precatus edixit, eumdem ad nonagesimum usque annum perventurum, ad Episcopalem dignitatem evectum iri, maximoque Ecclesiae bono futurum. Jam tum a pueritia a ludis abhorrens, nobiles ephebos ad christianam modestiam verbo et exemplo componebat. Adolescens dato piis Sodalitatibus nomine, in publicis nosocomiis aegrotis inservire, jugi in templis orationi vacare, et sacra Mysteria frequenter obire in deliciis habebat. Pietatem litterarum studiis adeo conjunxit, ut sexdecim vix annos natus utriusque juris lauream in patria universitate fuerit assecutus. Patri obtemperans causarum patrocinia suscepit, in quo munere obeundo, etsi magnam sibi laudem comparasset, fori tamen pericula expertus, ejusmodi vitae institutum ultro dimisit. Spreto igitur praeclaro conjugio sibi a patre proposito, avita primogenitura abdicata, et ad aram Virginis de Mercede ense

suspenso, divinis ministeriis se mancipavit. Sacerdos factus, tanto zelo irruit in vitia, ut Apostolico munere fungens, huc illuc pervolans ingentes perditorum hominum conversiones perageret. Pauperum praesertim et ruricolarum miseratus, Congregationem Presbyterorum instituit sanctissimi Redemptoris, qui ipsum Redemptorem secuti, per agros, pagos et castella pauperibus evangelizarent.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: ✱ Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V.

Ne autem a proposito umquam diverteret, perpetuo se voto obstrinxit nullam temporis jacturam faciendi. Hinc animarum zelo succensus, tum divini verbi praedicatione, tum scriptis sacra eruditione et pietate refertis animas Christo lucrifacere, et ad perfectiorem vitam adducere studuit. Mirum sane quot odia extinxerit, quot devios ad rectum salutis iter revocaverit. Dei Genitricis cultor eximius, de illius Laudibus librum edidit, ac de iis dum ferventius concionando disserit, a Virginis Imagine in eum immisso miro splendore, totus facie coruscare, et in extasim rapi coram universo populo non semel visus est. Dominicae Passionis et sacrae Eucharistiae contemplator assiduus, ejus cultum mirifice propagavit. Dum vero ad ejus aram oraret, vel Sacrum faceret, quod numquam omisit, prae amoris vehementia vel seraphicis liquescebat ardoribus, vel insolitis quatiebatur motibus, vel abstrahebatur a sensibus. Miram vitae innocentiam, quam nulla umquam labe foedavit, pari cum poenitentia socians, corpus suum inedia, ferreis catenulis, ciliciis, cruentaque flagellatione castigabat. Inter haec prophetiae, scrutationis cordium, bilocationis et miraculorum donis inclaruit.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: ✱ Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

Ab Ecclesiasticis dignitatibus sibi oblatis constantissime abhorruit. At Clementis Decimitertii Pontificis auctoritate coactus, Sanctae Agathae Gothorum Ecclesiam gubernandam suscepit. Episcopus externum dumtaxat habitum, non autem severam vivendi rationem immutavit. Eadem frugalitas, summus Christianae disciplinae zelus, impensum in vitiis coërcendis, arcendisque erroribus, et in reliquis pastoralibus muneribus obeundis studium. Liberalis in

pauperes, omnes Ecclesiae proventus iisdem distribuebat, ac urgente annonae caritate ipsam domesticam supellectilem in alendis famelicis erogavit. Omnibus omnia factus, Sanctimoniales ad perfectiorem vivendi formam redegit, suaeque Congregationis Monialium Monasterium constituendum curavit. Episcopatu ob graves habitualesque morbos dimisso, ad alumnos suos, a quibus pauper discesserat revertitur pauper. Demum quamvis senio, laboribus, diuturna arthritide, aliisque gravissimis morbis fractus corpore, spiritu tamen alacrior de coelestibus rebus disserendi aut scribendi finem numquam adhibuit: donec nonagenarius Kalendis Augusti anno millesimo septingentesimo octogesimo septimo Nuceriae Paganorum inter suorum alumnorum lacrymas placidissime exspiravit. Eum inde virtutibus et miraculis clarum Pius Septimus Pontifex Maximus anno millesimo octingentesimo decimo sexto Beatorum fastis, novisque fulgentem signis Gregorius Decimus sextus in festo sanctissimae Trinitatis anno millesimo octingentensimo trigesimo nono solemni ritu Sanctorum catalogo accensuit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Designavit Dominus, de Communi Evangelistarum, cum ℟℟. de Communi Confessor. Pont.

Lectio IX. et commem. Vigiliae S. Laurentii Martyris ac S. Romani Martyris.

DIE XI. AUGUSTI.

In festo

S. Christophori Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. praeter haec propria.

Oratio.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, ut qui beati Martyris tui Christophori natalitiis gloriamur, nec minis injuste persequentium, nec ullis perturbemur adversis. Per Dominum.

Deinde fit commem. Ss. Tiburtii et Susannae Martyrum, ut in Br.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Petri Chrysologi.

Serm. 129.

Lectio. IV.

Quoniam hodie Deo in natali sancti Christophori Martyris convenimus, in quo miro certamine de diabolo triumphavit, et quia nobis

virtutum suarum gloriosum reliquit exemplum, ideo exultare nos convenit, et laetari. Natalem ergo Sanctorum cum auditis, charissimi, nolite putare illum dici, quo nascuntur in terram de carne, sed de terra in coelum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias non fluxas, sed fortes, et stabiles, et aeternas, de mundanis risibus ad coronam et gloriam. Tales natales digne Martyrum celebrantur.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Descenditque cum illo in foveam: et in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio V.

Cum ergo hujusmodi festivitas agitur, noli existimare, charissime, quod in solis prandiis et profusioribus epulis natales Martyrum celebrentur, sed imitandum tibi proponitur, quod in memoria Martyris celebras. Aspice ergo, charissime, alacritatem populi circumstantis: in hac enim die aliquando turba astitit impiorum, cum sanctus Christophorus jussu tyranni feriretur: turbae erant malorum expectantium chori: nunc multitudo fidelium ad collætandum devota confluxit: tunc turba saevientium, nunc exultantium: tunc desperatorum, nunc sperantium.

℟. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

Lectio VI.

Idcirco ergo natales Martyrum annua laetitia celebrantur, ut quod semel actum est, per omne aevum in memoria maneat devotorum. Gesta res est, charissime, ne te diceres ignorare: celebrantur annua, ne dicas: Oblitus sum. Ad haec ergo imitanda vos animate, charissimi: hanc magnanimitatis gratiam concupiscite: hoc petite dari vobis, quod ille meruit adipisci.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus: et aqua sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Si quis vult post me venire, de Communi secundo loco, cum IX. lect. et commem. Ss. Tiburtii et Susannae Mm. ut in Brev., sed prius Octavae S. Laurentii.

DIE XIV. AUGUSTI.

In festo S. Margaritae Virginis Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi Virg. Mart. praeter sequentia.

Oratio. Indulgentiam, de Communi.

Et fit commem. Octavae ac S. Eusebii Confessoris, ut in Br.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Margarita, quae et Marina, Antiochiae Pisidiae patre Aedesio idolorum sacerdote nata, a teneris annis Christianae Religioni addicta, baptizata est. Quae cum eximiae esset pulchritudinis a praefecto Olybrio adamatur. Cumque eam sibi sisti juberet, ita illam alloquitur: Tuum nobis, puella, et nomen et religionem edicito. Tum illa, Margarita, inquit, vocor; genere sum nobilis, Religione Christiana.

℟. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: ✻ Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Et deducet.

Lectio V.

At praeses: Duo prima convenientia sunt: tertium vero absurdum est. Nam quid stultius, quam ut Deum sibi quis faciat crucifixum? Ad haec Virgo: Unde, dic, oro, didicisti, Dominum Jesum fuisse crucifixum? Tum praeses: Ex libris Christianorum. Cui Margarita: Quaenam vecordia est, ut, cum in iisdem libris legatur et poena Christi et gloria, alterum credatis, alterum respuatis!

℟. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: ✻ Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae.

℣. Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam. Propterea.

Lectio VI.

His vehementer ira accensus praefectus varia tormentorum genera in sancto illo corpusculo consumpsit. Primum enim virgis caesam, deinde ungulis fossam in carcerem trudi jubet, ubi et spectro daemonis appetitur; sed ad signum Crucis tota vis diaboli prosternitur. Producitur iterum Virgo, et cum in confessione Fidei constantior perseveraret, ardentibus facibus latera ejus exuruntur. Denique multis superatis tormentis, truncato capite, victorem per tot coronas spiritum coelum excepit.

℟. Afferentur Regi virgines post eam, proximae ejus ✻ Afferentur tibi in laetitia et exultatione.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Afferentur. Gloria Patri. Afferentur.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Simile est

regnum coelorum thesauro, de Communi nec Virg. nec Mart.

Lectio IX. et commem. Vigiliae, sed prius Octavae et postremo S. Eusebii Confessoris, ut in Br.

DOMINICA

infra Octavam Assumptionis Beatae Mariae Virginis.

In festo

S. Joachimi Conf. Patris

Beatae Mariae Virginis.

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario.

DIE XVI. AUGUSTI.

In festo

S. Rochi Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. praeter sequentia.

Oratio.

Populum tuum, quaesumus, Domine, continua pietate custodi, et beati Rochi suffragantibus meritis, ab omni fac animae et corporis contagione securum. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Rochus in monte Pessulano natus, quanta in proximum charitate flagraret, tum maxime ostendit, cum, saevissima peste longe lateque per Italiam grassante, patria relicta Italicam peregrinationem suscepit, urbesque et oppida peragrans, seipsum in aegrotantium obsequium impendere, animamque suam pro fratribus ponere non dubitavit. Quod beati Viri studium quam gratum Deo fuerit miris sanationibus declaratum est: complures enim pestilentia affectos e mortis periculo signo Crucis eripuit, et integrae sanitati restituit. In patriam reversus, virtutibus et meritis dives, sanctissime obiit, ejusque obitum statim subsecuta est veneratio fidelium, quae in Constantiensi deinde Concilio magnum recepisse dicitur incrementum, cum ad propulsandam ingruentem luem, Rochi imago solemni pompa, omni comitante populo, per eamdem civitatem, Episcopis approbantibus est delata. Itaque ejus cultus mirifice propagatus est in universo terrarum orbe, qui eumdem sibi apud Deum adversus contagiosam luem Patronum religioso studio adoptavit. Quibus accurate perpensis, Urbanus Octavus Pontifex Maximus, ut ejus dies festus, iis in locis, in quibus forent Ecclesiae sancti Rochi nomine Deo dicatae, Officio Ecclesiastico celebraretur, indulsit, quod et alii Pontifices in posterum confirmarunt.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit

illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Descenditque cum illo in foveam: et in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Ex Tractatu

S. Augustini Episcopi in Epistolam Joannis.

Tract. 5. in cap. 3.

Lectio V.

Perfecta ista charitas est, ut paratus sis mori pro fratre. Hanc ipse Dominus in se exhibuit, mortuus pro omnibus, orans pro eis, a quibus crucifigebatur, et dicens: Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Sed si solus hoc fecit, non erat magister, si discipulos non habebat. Si quis tantam habuerit charitatem, ut paratus sit pro fratribus etiam mori, perfecta est in illo charitas. Sed numquid mox ut nascitur, jam prorsus perfecta est? Ut perficiatur, nascitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, corroboratur; cum fuerit roborata perficitur; cum ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Optabam dissolvi, et esse cum Christo. Multo enim magis optimum, manere in carne necessarium propter vos. Propter eos volebat vivere, pro quibus paratus erat mori.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad.

Lectio VI. Ex Tr. 6.

Haec est perfectio charitatis, et major omnino non potest inveniri: sed quia non in omnibus perfecta est, et desperare non debet, in quo perfecta non est, si jam nata est, quae perficiatur: et utique si nata est, nutrienda est, et quibusdam suis nutrimentis ad perfectionem propriam perducenda. Quaesivimus inchoationem charitatis, unde incipiat, et ibi continuo invenimus: Si quis habet facultates mundi, et viderit fratrem suum egentem, et clauserit viscera sua adversus eum, quomodo dilectio Patris manet in illo? Ergo hic incipit ista charitas, fratres, ut de suis superfluis tribuat egenti in angustiis aliquibus constituto, ex eo quod sibi abundat secundum tempus a tribulatione temporali liberet fratrem. Hinc exordium est charitatis. Hanc ita coeptam, si verbo Dei, et spe futurae vitae nutrieris, pervenies ad illam perfectionem, ut paratus sis animam tuam ponere pro fratribus tuis.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iste est, qui contempsit vi-

tam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Nolite timere, de Communi secundo loco.

DIE XVIII. AUGUSTI.

In festo

S. Agapiti Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris, praeter haec propria.

Oratio.

Laetetur Ecclesia tua, Deus, beati Agapiti Martyris tui confisa suffragiis, atque ejus precibus gloriosis et devota permaneat, et secura consistat. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Agapitus Praenestinus nobili genere natus, Christiana Fide nobilior, passus est Praeneste Aureliano Imperatore anno reparatae salutis ducentesimo septuagesimo quarto. Ingravescente enim eo tempore Imperatoris in Christianos persecutione, Agapitus annum vix quintum supra decimum agens, Imperatoris impietatem detestatus, ejusque minas nihil faciens, Spiritus Sancti instinctu, se pro Christi Fide mori paratum esse, fortitudine plusquam virili professus est. Virtute enim indutus ex alto, non solum se holocaustum Deo obtulit, sed suo exemplo in Fide alios confirmavit, atque ad cruciatus fortiter perferendos animavit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Miratus Adolescentis audaciam Aurelianus, tormenta et horrendam caedem, nisi resipiscat, et Jovi sacrificet, comminatur; cumque strenuus Athleta perstaret, nec a sancto proposito dimoveretur, eum crudelissimis nervis diutissime caedi jussit; tum praefecto traditus quatriduano jejunio maceratur. Verum animadvertens praefectus, animum pueri non tormentis frangi, sed ad martyrium acrius incendi ad callida conversus consilia, eum blanditiis in suam sententiam allicere aggreditur, et nobili quodam viro, qui a Fide impie defecerat, ad Agapitum misso, frustra Martyris constantiam labefactare nititur. Quare tyrannus cum se a puero contemni arbitraretur, prae rabie ac furore impotens majoribus cruciatibus in eum grassari constituit, et ardentes prunas in caput imponi imperat.

℟. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

Lectio VI.

Sed Agapitus prunas capiti suo impositas diadematis loco habuit, immania flagella, quibus iterum a ternis quaternionibus concisus est, pro deliciis, et pro dulci aura teterrimum fumum, quo verso in terram capite pendens quatriduo affectus fuit. Tum fervens aqua in ejus ventrem effusa est, maxillaeque confractae. Quo tempore judex e tribunali lapsus, paulo post mortuus est. Ea re incensus Imperator fortissimum Adolescentem leonibus e cavea emissis in amphitheatrum, in quo ludi et munera gladiatoria edebantur, spectante populo, objici jubet, quem cum illi non auderent laedere, sed advoluti sancti pueri pedibus, eos lamberent, gladio tandem percussus, emeritam animam Praeneste Deo reddidit.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus: et aqua sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 10.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. Et reliqua.

Homilia

Sancti Hieronymi Presbyteri.

Lib. 1. in Matth. 10.

Ad Fidem Christi totus orbis contra se divisus est: unaquaeque domus et infideles et credentes habuit, et propterea bellum missum est bonum, ut rumperetur pax mala. Qui autem antea praemiserat: Non veni pacem mittere, sed gladium, et dividere homines adversus patrem et matrem, nurum et socrum, ne quis pietatem Religioni anteferret, subjecit, dicens: Qui amat patrem aut matrem plus quam me. Et in Cantico Canticorum legimus: Ordinate in me charitatem. Hic ordo in omni affectu necessarius est. Ama post Deum patrem, ama matrem ac filios.

℟. Corona aurea super caput ejus: * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: po-

suisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa.

Lectio VIII.

Si autem necessitas venerit, ut amor parentum ac filiorum Dei amori comparetur, et non possit utrumque servari, odium in suos, pietas in Deum sit. Non ergo prohibuit amare patrem aut matrem, sed signanter addidit: Qui amat patrem aut matrem plus quam me. Et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. In alio Evangelio legitur: Qui non recipit crucem suam quotidie. Ne semel putemus ardorem fidei posse sufficere: semper crux portanda est, ut semper nos Christum amare doceamus.

℟. Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit. ℣ Qui minas judicum non timuit, nec terrenae dignitatis gloriam quaesivit, sed ad coelestia regna pervenit.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Qui minas. Gloria Patri. Qui minas.

Lectio IX.

Qui recipit vos, me recipit. Ordo pulcherrimus. Ad praedicationem mittit, docet pericula non timenda, affectum subjicit Religioni. Aurum supra tulerat, aes de zona excusserat. Dura Evangelistarum conditio. Unde ergo sumptus, unde victus necessaria? Austeritatem mandatorum spe temperat promissorum. Qui recipit, inquiens, vos, me recipit, ut in suscipiendis Apostolis unusquisque credentium se suscepisse arbitretur: dicit enim non personas suscipiendas esse, sed nomina; et mercedem non perdere suscipientes, licet indignus fuerit, qui susceptus sit.

Te Deum laudamus.

DIE XIX. AUGUSTI.

In festo

S. Ludovici Tolos. Episc. Confessoris.

Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Deus, qui beatum Ludovicum Confessorem tuum, atque Pontificem coeleste regnum terreno praeponere docuisti, ac puritate illibata, et eximia in pauperes charitate mirabilem efficere dignatus es: concede nobis famulis tuis imitari, quem colimus, ut ejusdem virtutes aemulantes in terris, coronari cum ipso mereamur in coelis. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Ludovicus nobilissimo genere

natus, patrem habuit Carolum secundum Siciliae Regem, matrem vero Mariam Hungariae Regis filiam. Adhuc puer in sortem Domini vocatus, aetatis illius posthabitis oblectamentis, divino cultui sese totum mancipavit. Decimum quartum agens annum, una cum duobus fratribus, pro genitoris libertate in bello navali a Rege Aragoniae capti, obses ductus in Catalauniam, Barcinone apud Minores sancti Francisci fere septennio est commoratus, sub eorumque disciplina in scientiarum studiis, ac sacrae paginae adipiscenda eruditione eo progressus est, ut constans fuerit opinio, ipsi potius fuisse divinitus infusas, quam humanitus acquisitas. Verum majori conatu coelestis Magistri doctrina spiritum instruere anhelans, ciliciis, jejuniis, ferreis flagellis carnem afflixit: assidua interim Evangelicae veritatis meditatione contemptibilia mundi spernere edoctus, regalis solii fastum calcare deliberavit, ac de Seraphico amplectendo Instituto, raro humilitatis exemplo, votum emisit.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: ✻ Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V.

Ecclesiasticae militiae adscriptus, et ad sacros Ordines deinde promotus, ut quod mente statuerat, opere firmaret, juri primogeniturae renuntiavit et regno: cumque votum, quod Barcinone voverat, in monte Pessulano frustra adimplere satageret, illius coenobii fratribus timore Regis patris eum recipere non audentibus, solemniter renovavit. Mox ad Ecclesiam Tolosanam a Bonifacio Octavo, quamvis invitus, assumptus, Romamque accersitus, et ab eodem honorifice exceptus, electioni de se factae nullatenus se assensurum declaravit, donec votum, quo se obstrinxerat, Deo reddidisset. Quare annuente Pontifice, habitu Ordinis Minorum, quem semper postea retinuit, rite suscepto, in manibus Episcopi Portuensis, tunc ejusdem Ordinis Generalis Ministri, professionem emisit, hisque peractis, Apostolicis mandatis humiliter obtemperans, Episcopus Tolosanus passus est consecrari.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: ✻ Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

Tolosam ad illius Ecclesiae regimen profectus, spirituali animarum lucro totus incubuit: utque ministerium Apostolicum integre ac diligenter impleret, salutari-

bus monitis, illibataeque vitae exemplo peccatores ad poenitentiam revocavit, pluresque Judaeos atque Gentiles assidua verbi Dei praedicatione ad orthodoxam fidem convertit. Ecclesiasticam disciplinam ubique in commissa sibi Dioecesi promovit ac restauravit. Liberalis in pauperes, vigintiquinque ex eis quotidie domi aluit. Puritatem usque ad obitum a pueritia nitidissime custodivit. Humilitatis tandem, charitatis atque omnium virtutum ornamento decorus, annum trigesimum tertium aetatis agens, Brincolae Provinciae arce, ardenti febre correptus, ad Domini sui amplexum, quem in votis semper habuerat, emigravit. Magnis deinde in Ecclesia meritis clarum, et miraculis illustrem, inter quae plures mortui ejus intercessione ad vitam revocati numerantur, Joannes Vigesimus secundus in Sanctorum numerum retulit. Sancti Viri corpus Valentiae in Ecclesia Metropolitana repositum, ibi non intermisso pietatis cultu a fidelibus devote veneratur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: ℣ Ipse intercedat, pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Vigilate, de Communi secundo loco.

DIE XX. AUGUSTI.

In festo

S. Bernardi Abbatis et Ecclesiae Doctoris.

Duplex.

In utrisque Vesperis Antiphona. O Doctor optime.

Oratio. Deus, qui populo tuo, de Communi Doctorum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente, secundi Nocturni propriae in Breviario, sed in fine VI. lect. addantur sequentia:

Pius vero Octavus Pontifex Maximus ex sacrorum Rituum Congregationis consilio sanctum Bernardum universalis Ecclesiae Doctorem declaravit et confirmavit, nec non Missam et Officium de Doctoribus ab omnibus recitari jussit, atque Indulgentias plenarias quotannis in perpetuum Ordinis Cisterciensium Ecclesias visitantibus die hujus Sancti festo concessit.

Lectiones in tertio Nocturno de Communi Doctorum.

In Martyrologio addatur:

Quem Pius Octavus Pontifex Maximus universalis Ecclesiae Doctorem declaravit.

DIE XXI. AUGUSTI.

In festo

Ss. Donati et Sociorum Martyrum.

Duplex.

Omnia de Communi plur. Martyrum.

Oratio. **Deus, qui nos concedis,** de eodem Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente, reliquae vero de Communi secundo loco.

DIE XXVI. AUGUSTI.

In festo

S. Hyacinthi Confessoris.

Duplex.

Dies assignata ex 16. Augusti. Omnia ut ibi.

In Hymno **Iste Confessor,** mutatur tertius versus.

Commem. S. Zephyrini Papae et Martyris cum ejus IX. Lectione.

DIE XXVII. AUGUSTI.

In translat. Corporum

Ss. Hermagorae et Fortunati

Martyrum.

Duplex.

Omnia de Communi plurimor. Mart. praeter Orationem.

Oratio.

Deus, qui gloriosa beatorum Martyrum tuorum Hermagorae et Fortunati membra nobis famulis tuis revelare dignatus es: concede propitius, ut qui eorum Corporum Translationem hodie venerando colimus, ipsorum beatitudini, te concedente, adjungi mereamur. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo et in tertio Nocturno, de Communi primo loco.

FESTA SEPTEMBRIS.

DOMINICA

proxima Kalendis Septembris.

In festo

Ss. Angelorum Custodum.

Duplex II. Classis cum Octava.

Officium fit ut in Breviario die 2. Octobris, cum nona Lectione Dominicae; cujus fit commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus.

DOMINICA

secunda Septembris.

Dies Octava

Ss. Angelorum Custodum.

Duplex.

Omnia ut in festo praeter sequentia.

In primo Nocturno.

De Libro Genesis. Cap. 28.

Lectio I.

Vidit Jacob in somnis scalam stantem super terram et cacumen illius tangens coelum, Angelos quoque Dei ascendentes per eam, et Dominum innixum scalae dicentem sibi: Ego sum Deus Abraham, patris tui, et Deus Isaac: terram, in qua dormis, tibi dabo, et semini tuo, eritque semen tuum, quasi pulvis terrae; dilataberis ad Orientem et Occidentem, et Septemtrionem, et Meridiem, et benedicentur in te et in semine tuo cunctae tribus terrae, et ero custos tuus, quocumque perrexeris, et reducam te in terram hanc, nec dimittam, nisi complevero universa, quae dixi. Cumque evigilasset Jacob de somno, ait: Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam; pavensque, quam terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud, nisi Domus Dei, et porta coeli.

℟. Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: ✻ In manibus portabunt te, ne umquam offendas ad lapidem pedem tuum.

℣. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. In manibus.

De libro Exodi. Cap. 14.

Lectio II.

Tollens se Angelus Domini, qui praecedebat castra Israël, abiit post eos, et cum eo pariter columna nubis, priora dimittens post tergum stetit inter castra Aegyptiorum et castra Israël: et erat nubes tenebrosa et illuminans noctem, ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent. Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, et urente tota nocte, et vertit in siccum: divisaque est aqua et ingressi sunt filii Israël per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus a dextera eorum et laeva. Persequentesque Aegyptii ingressi sunt post eos, et omnis equitatus Pharaonis, currus ejus, et equites per medium maris. Jamque advenerat vigilia matutina, et ecce, respiciens Dominus super castra Aegyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum: et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Aegyptii: Fugiamus Israëlem: Dominus enim pugnat pro eo contra nos.

℟. Respondit Angelus Domini et dixit: Domine exercituum, ✻ Usquequo tu non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es?

℣. Iste enim septuagesimus annus est. Usquequo.

De libro Regum. III. Reg. c. 19. v. 4.

Lectio III.

Cum venisset in desertum Elias, et sederet subter unam juniperum, petivit animae suae, ut morere-

tur, et ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum, quam patres mei. Projecitque se, et obdormivit in umbra juniperi: et ecce, Angelus Domini tetigit eum, et dixit illi: Surge et comede! Respexit, et ecce ad caput suum subcinericius panis et vas aquae: comedit ergo, et bibit, et rursum obdormivit. Reversusque est Angelus Domini secundo, et tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede, grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb.

℟. In conspectu Gentium nolite timere: vos enim in cordibus vestris adorate, et timete Dominum: ✻ Angelus enim ejus vobiscum est.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua. Angelus. Gloria Patri. Angelus.

In secundo Nocturno.

De Sermone Sancti Gregorii Papae.

Lectio IV.

Sed quid prodest nobis de Angelicis spiritibus ista perstringere, si non studeamus haec etiam ad nostros profectus congrua consideratione derivare? Quia enim superna illa civitas ex Angelis et hominibus constat, ad quam tantum credimus humanum genus ascendere, quantos illic contigit electos Angelos remansisse, sicut scriptum est: Statuit terminos gentium secundum numerum Angelorum Dei: debemus et nos aliquid ex illis distinctionibus supernorum civium ad usum nostrae conversationis trahere, nosque ipsos ad incrementa virtutum bonis studiis inflammare.

℟. Vivit ipse Dominus, ✻ Quoniam custodivit me Angelus ejus, et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem.

℣. Et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari. Quoniam.

Lectio V.

Quia enim illuc tanta ascensura creditur multitudo hominum, quanta multitudo remansit Angelorum; superest, ut ipsi quoque homines, qui ad coelestem patriam redeunt, ex ejus agminibus aliquid illuc revertentes imitentur. Distincte namque conversationes hominum, singulorum agminum ordinibus congruunt, ut in eorum sortem per conversationis similitudinem deputentur. Nam sunt plerique, qui parva capiunt, sed tamen haec eadem parva pie annuntiare fratribus non desistunt. Isti itaque in Angelorum numerum current.

℟. Angelus Domini descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem, et excussit flammam ignis

de fornace: * Et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit.

℣. Benedictus Deus eorum, qui misit Angelum suum, et eruit servos suos, qui crediderunt in eum. Et non.

Lectio VI.

Et sunt nonnulli, qui divinae largitatis munere refecti, secretorum coelestium summa et capere praevalent, et nuntiare. Quo ergo isti, nisi inter Angelorum numerum deputantur? Et sunt alii, qui mira faciunt, signa valenter operantur. Quo ergo isti, nisi ad supernarum virtutum sortem et numerum congruunt? Et sunt nonnulli, qui etiam de obsessis corporibus malignos spiritus fugant, eosque virtute orationis, et vi acceptae potestatis ejiciunt. Quo itaque isti meritum suum, nisi inter potestatum coelestium numerum sortiuntur.

℟. In omni tribulatione eorum non est tribulatus, * Et Angelus faciei ejus salvavit eos.

℣. In dilectione sua, et indulgentia sua ipse redemit eos, et portavit eos et elevavit eos cunctis diebus saeculi. Et Angelus. Gloria Patri. Et Angelus.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 18.

Lectio VII.

In illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno coelorum? Et reliqua.

Homilia

Sancti Hieronymi Presbyteri.

Libr. 3. Comment. in c. 18. Matth.

Post inventum staterem, post tributa reddita, quid sibi vult Apostolorum repentina interrogatio: Quis, putas, major est in regno coelorum? Quia viderant pro Petro et Domino idem tributum redditum, ex aequalitate pretii arbitrati sunt, Petrum omnibus Apostolis esse praelatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus: ideo interrogant, quis major sit in regno coelorum? Videnque Jesus cogitationes eorum, et causas erroris intelligens, vult desiderium gloriae humilitatis contentione sanare.

℟. Machabaeus, et qui cum eo erant, cognoverunt expugnari praesidia: * Cum fletu et lacrymis rogabant Dominum, et omnis turba simul, ut bonum Angelum mitteret ad salutem Israël.

℣. Cum pariter prompto animo procederent Jerosolymis, apparuit praecedens eos eques in veste candida. Cum fletu.

Lectio VIII.

Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et projice abs te. Necesse est quidem venire scandala: vae tamen ei est homini, qui, quod ne-

cesse est, ut fiat in mundo, vitio suo facit, ut per se fiat. Igitur omnis truncatur affectus, et universa propinquitas amputatur, ne per occasionem pietatis unusquisque credentium scandalis pateat. Si, inquit, ita est, quis tibi conjunctus, ut manus, pes, oculus, et est utilis atque sollicitus, et acutus ad perspiciendum, scandalum autem tibi facit, et propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam: melius est, ut et propinquitate ejus, et emolumentis carnalibus careas, ne dum vis lucrifacere cognatos et necessarios, causam habeas ruinarum.

℟. Tu Domine, qui misisti Angelum tuum sub Ezechia rege Juda, et interfecisti de castris Senacherib centum octoginta quinque millia: * Et nunc Dominator coelorum mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timore et tremore magnitudinis brachii tui.

℣. Ut metuant, qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum. Et nunc. Gloria Patri. Et nunc.

Lectio IX. de Homilia in Evangelium Dominicae occurrentis, de qua etiam commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus facienda est.

Si dies octava Ss. Angelorum Custodum inciderit in festum Nativitatis Beatae Mariae Virginis, fit Officium de B. M. V. cum commemoratione diei octavae Ss. Angelorum Custodum, quae commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus ante omnes alias facienda est.

DOMINICA

infra Octavam Nativitatis B.M.V.

In festo

Ss. Nominis Beatae Mariae Virginis.

Duplex II. Classis.

Pro Germania et Provinciis Sacr. Caes. Majest. cum Indulgentiis plenariis perpetuis pro Statibus Hereditariis.

Omnia dicuntur ut in Breviario sub hac Dominica.

DOMINICA III.

a Kalendis Septembris.

In festo

Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis.

Duplex majus.

(Si non est impedita Officio I. vel II. Classis, aut alio festo ejusdem Beatae Mariae Virginis sub eodem ritu duplicis majoris. Quodsi tali Officio impedita fuerit, transferatur festum VII Dolorum in primam ex sequentibus Dominicis, quae non sit impedita Officio ritus I. vel II. Classis &c. Decret. Ss. D. Pii VII. Pont. Max. die 18. Septembris 1814.)

IN I. VESPERIS.

Antiph. Quo abiit, cum reli-

quis de Laudibus. Psal. Dixit Dominus, cum reliquis ut in Officio parvo B. M. V.

Capitulum. Thren. 2.

Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, Filia Jerusalem? cui exaequabo te, et consolabor te, Virgo Filia Sion? Magna est velut mare contritio tua.

Hymnus.

O quot undis lacrymarum,
Quo dolore volvitur,
Luctuosa de cruento
Dum revulsum stipite
Cernit ulnis incubantem
Virgo Mater Filium!
Os suave, mite pectus,
Et latus dulcissimum;
Dexteramque vulneratam,
Et sinistram sauciam;
Et rubras cruore plantas
Aegra tingit lacrymis.
Centiesque, milliesque
Stringit arctis nexibus
Pectus illud et lacertos,
Illa figit vulnera;
Sicque tota colliquescit
In doloris osculis.
Eja, mater, obsecramus
Per tuas has lacrymas,
Filiique triste funus,
Vulnerumque purpuram,
Hunc tui cordis dolorem
Conde nostris cordibus.
Esto Patri, Filioque,
Et coaevo Flamini,
Esto summae Trinitati
Sempiterna gloria;
Et perennis laus honorque
Hoc et omni saeculo. Amen.

℣. Regina Martyrum, ora pro nobis.

℟. Quae juxta Crucem Jesu constitisti.

Ad Magnificat, Antiphona. Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol. Filii matris meae pugnaverunt contra me.

Oratio.

Deus, in cujus passione, secundum Simeonis prophetiam, dulcissimam animam gloriosae Virginis et Matris Mariae doloris gladius pertransivit: concede propitius, ut qui Dolores ejus venerando recolimus, passionis tuae effectum felicem consequamur. Qui vivis et regnas.

Deinde fit commem. Dominicae occurrentis.

Hymni Completorii et aliarum Horarum terminantur sic:

Jesu tibi sit gloria,
Qui passus es pro servulis,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Stemus juxta Crucem cum Maria Matre Jesu, * Cujus animam doloris gladius pertransivit.

Psal. Venite, exultemus.

Hymnus.

Jam toto subitus vesper eat polo,

Et sol attonitum praecipitet diem,
Dum saevae recolo ludibrium necis
Divinamque catastrophen.
Spectatrix aderas supplicio, Parens,
Malis uda, gerens cor adamantinum;
Natus funerea pendulus in cruce
Altos cum gemitus dabat.
Pendens ante oculos Natus, atrocibus
Sectus verberibus; Natus hiantibus
Fossus vulneribus, quot penetrantibus
Te conficit aculeis!
Heu! sputa, alapae, verbera, vulnera,
Clavi, fel, aloë, spongia, lancea,
Sitis, spina, cruor, quam varia pium
Cor pressere tyrannide!
Cunctis interea stat generosior
Virgo Martyribus: prodigio novo
In tantis moriens non moreris, Parens,
Diris fixa doloribus.
Sit summae Triadi gloria, laus, honor,
A qua suppliciter, sollicita prece,
Posco Virginei roboris aemulas
Vires rebus in asperis.
Amen.

In primo Nocturno.

Antiph. Multiplicati sunt, qui tribulant me; multi insurgunt adversum me.

Psalmus 3.

Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es, * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi et soporatus sum: * et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * et super populum tuum benedictio tua.

Antiph. Multiplicati sunt, qui tribulant me; multi insurgunt adversum me.

Antiph. Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.

Psalmus 10.

In Domino confido; quomodo dicitis animae meae: * Transmigra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, * ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam, quae perfecisti, destruxerunt: * justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo: * Dominus in coelo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: * palpebrae ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum et impium: * qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos: * ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit: * aequitatem vidit vultus ejus.

Antiph. Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.

Antiph. Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus.

Psalmus 30.

In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum: * in justitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam: * accelera, ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, * ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu: * et propter nomen tuum deduces me, et enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: * quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum: * redemisti me, Domine, Deus veritatis.

Odisti observantes vanitates, * supervacue.

Ego autem in Domino speravi: * exultabo et laetabor in misericordia tua.

Quoniam respexisti humilitatem meam: * salvasti de necessitatibus animam meam.

Nec conclusisti me in manibus inimici: * statuisti in loco spatioso pedes meos.

Miserere mei, Domine, quoniam tribulor: * conturbatus est in ira oculus meus, anima mea et venter meus.

Quoniam defecit in dolore vita mea: * et anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate virtus mea: * et ossa mea conturbata sunt.

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium et vicinis meis valde, * et timor notis meis.

Qui videbant me, foras fugerunt a me: * oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde.

Factus sum tamquam vas perditum: * quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu:

In eo dum convenirent simul adversum me, * accipere animam meam consiliati sunt.

Ego autem in te speravi, Do-

mine; * dixi: Deus meus es tu; in manibus tuis sortes meae.

Eripe me de manu inimicorum meorum, * et a persequentibus me.

Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua: * Domine, non confundar, quoniam invocavi te.

Erubescant impii, et deducantur in infernum: * muta fiant labia dolosa:

Quae loquuntur adversus justum iniquitatem, * in superbia et in abusione.

Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, * quam abscondisti timentibus te!

Perfecisti eis, qui sperant in te, * in conspectu filiorum hominum.

Abscondes eos in abscondito faciei tuae * a conturbatione hominum.

Proteges eos in tabernaculo tuo * a contradictione linguarum.

Benedictus Dominus: * quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.

Ego autem dixi in excessu mentis meae: * Projectus sum a facie oculorum tuorum.

Ideo exaudisti vocem orationis meae, * dum clamarem ad te.

Diligite Dominum, omnes Sancti ejus: * quoniam veritatem requiret Dominus, et retribuet abundanter facientibus superbiam.

Viriliter agite et confortetur cor vestrum, * omnes qui speratis in Domino.

Antiph. Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus.

℣. Regina Martyrum ora pro nobis.

Quae juxta crucem Jesu constitisti.

Ex Jeremia Propheta.

Lectio I. Thren. 1.

Plorans ploravit in nocte et lacrymae ejus in maxillis ejus: non est, qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. Omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici. Vide, Domine, quoniam tribulor; conturbatus est venter meus, subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum. Foris interficit gladius, et domi mors similis est. Audierunt, quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me.

℟. Simeon, vir justus et timoratus, dixit ad Mariam: * Tuam ipsius animam pertransibit gladius.

℣. Ne vocetis me Pulchram, sed Amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. Tuam ipsius.

Lectio II. Thren. 2.

Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, Filia Jerusalem? cui exaequabo te, et consolabor te, virgo filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui? Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per

viam; sibilaverunt, et moverunt caput suum super filiam Jerusalem: Haeccine est, urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universae terrae? Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt, et fremuerunt dentibus, et dixerunt: Devorabimus.

℟. Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Aegyptum: * Et esto ibi usque dum dicam tibi.

℣. Vocavi Filium meum ex Aegypto, ut veniat salus in Israël. Et esto.

Lectio III.

Fecit Dominus, quae cogitavit, complevit sermonem suum, quem praeceperat a diebus antiquis: destruxit et non pepercit, et laetificavit super te inimicum, et exaltavit cornu hostium tuorum. Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiae Sion. Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

℟. Fili, quid fecisti nobis sic? * Ego et pater tuus * Dolentes quaerebamus te.

℣. Quid est, quod me quaerebatis? In his, quae Patris mei sunt, oportet me esse. Ego. Gloria Patri. Dolentes.

In secundo Nocturno.

Antiph. Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

Psalmus 21.

Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? * longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies: * et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, * laus Israël.

In te speraverunt patres nostri: * speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: * in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis et non homo: * opprobrium hominum, et abjectio plebis.

Omnes videntes me deriserunt me: * locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum: * salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: * spes mea ab uberibus matris meae. In te projectus sum ex utero:

De ventre matris meae Deus meus es tu, * ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est: * quoniam non est, qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi: * tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum, * sicut leo rapiens et rugiens.

Sicut aqua effusus sum, * et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquescens * in medio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis: * et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: * concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas et pedes meos: * dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me: * diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me, * ad defensionem meam conspice.

Erue a framea, Deus, animam meam: * et de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis: * et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: * in medio ecclesiae laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum: * universum semen Jacob, glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel: * quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis:

Nec avertit faciem suam a me: * et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in ecclesia magna: * vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum: * vivent corda eorum in saeculum saeculi.

Reminiscentur et convertentur ad Dominum * universi fines terrae.

Et adorabunt in conspectu ejus * universae familiae gentium.

Quoniam Domini est regnum; * et ipse dominabitur gentium.

Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terrae: * in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet: * et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura: * et annuntiabunt coeli justitiam ejus populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.

Antiph. Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

Antiph. Deus, vitam meam annuntiavi tibi; posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Psalmus 55.

Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo: * tota die impugnans tribulavit me.

Conculcaverunt me inimici mei tota die: * quoniam multi bellantes adversum me.

Ab altitudine diei timebo: * ego vero in te sperabo.

In Deo laudabo sermones me-

os, in Deo speravi: * non timebo, quid faciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabantur: * adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

Inhabitabunt et abscondent: * ipsi calcaneum meum observabunt.

Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos: * in ira populos confringes.

Deus, vitam meam annuntiavi tibi, * posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Sicut et in promissione tua: * tunc convertentur inimici mei retrorsum.

In quacumque die invocavero te: * ecce cognovi, quoniam Deus meus es.

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: * in Deo speravi, non timebo, quid faciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua, * quae reddam, laudationes tibi.

Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu: * ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Antiph. Deus, vitam meam annuntiavi tibi; posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Antiph. Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte.

Psalmus 41.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: * ita desiderat anima mea ad te, Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: * Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, * dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?

Haec recordatus sum, et effudi in me animam meam: * quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

In voce exultationis et confessionis, * sonus epulantis.

Quare tristis es, anima mea, * et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, et Deus meus.

Ad me ipsum anima mea conturbata est: * propterea memor ero tui de terra Jordanis et Hermoniim a monte modico.

Abyssus abyssum invocat * in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, et fluctus tui * super me transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam, * et nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitae meae; * dicam Deo: Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? * et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea, * exprobraverunt mihi, qui tribulant me, inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus? * quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc

confitebor illi: * salutare vultus mei, et Deus meus.

Antiph. Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte.

℣. Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi.

℟. Inter ubera mea commorabitur.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Ex Sermone de 12 stellis.

Lectio IV.

Martyrium Virginis tam in Simeonis prophetia, quam in ipsa Dominicae passionis historia commendatur. Positus est hic (ait sanctus senex de puero Jesu) in signum, cui contradicetur: et tuam ipsius animam (ad Mariam autem picebat) pertransibit gladius. Vere tuam, o beata Mater, animam pertransivit: alioquin nonnisi eam pertransiens, carnem Filii tui penetraret. Et quidem posteaquam emisit spiritum tuus ille Jesus, ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, quae ipsius aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirum anima jam ibi non erat, sed tua plane inde nequibat avelli.

℟. Jesum bajulantem sibi crucem * Sequebatur turba mulierum, quae plangebant et lamentabantur eum.

℣. Filiae Jerusalem, super vos ipsas flete, et super filios vestros. Sequebatur.

Lectio V.

Tuam ergo pertransivit animam vis doloris, ut plusquam martyrem non immerito praedicemus, in qua nimirum corporeae sensum passionis excesserit compassionis affectus. An non tibi plusquam gladius fuit sermo ille revera pertransiens animam, et pertingens usque ad divisionem animae et spiritus: Mulier, ecce filius tuus? O commutationem! Joannes tibi pro Jesu traditur, servus pro Domino, discipulus pro Magistro, filius Zebedaei pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret haec auditio, quando et nostra, licet saxea, licet ferrea pectora, sola recordatio scindit?

℟. Postquam venerunt in locum, qui dicitur Calvariae, ibi crucifixerunt eum: * Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.

℣. Tunc beatam illius animam doloris gladius pertransivit. Stabat.

Lectio VI.

Non miremini, fratres, quod Maria martyr in anima fuisse dicatur. Miretur, qui non meminerit, se audivisse Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quod sine affectione fuissent. Longe id fuit a Mariae visceribus, longe sit a servulis ejus. Sed forte quis dicat: Numquid non eum praescierat moritu-

rum? Et indubitanter. Numquid non sperabat continuo resurrecturum? Et fideliter. Super haec doluit crucifixum? Et vehementer. Alioquin quisnam tu, frater, aut unde tibi haec sapientia, ut mireris plus Mariam compatientem, quam Mariae Filium patientem? Ille enim mori corpore potuit, ista commori corde non potuit? Fecit illud charitas, qua majorem nemo habuit; fecit et hoc charitas, cui post illam similis altera non fuit.

℟. Joseph ab Arimathaea * Petiit corpus Jesu, quod de cruce depositum, * Suo complexu Mater excepit.

℣. Dolens Sunamitis sinu et genibus suis sustinuit mortuum Filium. Petiit. Gloria Patri. Suo complexu.

In tertio Nocturno.

Antiph. Intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Psalmus 63.

Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor: * a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium, * a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas: * intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, et non timebunt: * firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt, ut absconderent laqueos: * dixerunt: Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates: * defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum: * et exaltabitur Deus.

Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum: * et infirmatae sunt contra eos linguae eorum.

Conturbati sunt omnes, qui videbant eos: * et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei, * et facta ejus intellexerunt.

Laetabitur justus in Domino, et sperabit in eo: * et laudabuntur omnes recti corde.

Antiph. Intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Antiph. Anima mea turbata est valde: sed tu, Domine, usquequo?

Psalmus 6.

Domine, ne in furore tuo arguas me, * neque in ira tua corripias me.

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: * sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: * sed tu, Domine, usquequo?

Convertere, Domine, et eripe animam meam: * salvum me fac propter misericordiam tuam?

Quoniam non est in morte,

qui memor sit tui: * in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: * lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: * inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: * quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: * Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei: * convertantur et erubescant valde velociter.

Antiph. Anima mea turbata est valde: sed tu, Domine, usquequo?

Antiph. Deus adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.

Psalmus 45.

Deus noster refugium et virtus: * adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, * et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatae sunt aquae eorum: * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus laetificat civitatem Dei: * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus, non commovebitur: * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatae sunt gentes, et inclinata sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Venite, et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram: * auferens bella usque ad finem terrae.

Arcum conteret, et confringet arma: * et scuta comburet igni.

Vacate et videte, quoniam ego sum Deus: * exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Antiph. Deus adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.

℣. Per te salutem hauriamus, Virgo Maria.

℟. Ex vulneribus Christi.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 19.

Lectio VII.

In illo tempore: Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophae, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia

Sancti Ambrosii Episcopi.

De Instit. Virg. Cap. 7.

Stabat juxta crucem Mater, et, fugientibus viris, stabat intrepida. Videte, utrum pudorem mutare potuerit Mater Jesu, quae ani-

mum non mutavit. Spectabat piis oculis Filii vulnera, per quae sciebat omnibus futuram redemptionem. Spectabat non degeneri Mater spectaculo, quae non metueret peremptorem. Pendebat in cruce Filius, Mater se persecutoribus offerebat.

℟. Quis tibi sensus fuit, o Mater dolorum, * Dum Joseph sindone Filium tuum involvit, et posuit eum in monumento?

℣. Considerate et videte, si est dolor, sicut dolor meus. Dum Joseph.

Ex ejusdem Epist. 25. ad Eccl. Vercell. prope finem.

Lectio VIII.

Maria Mater Domini ante crucem Filii stabat. Nullus me hoc docuit, nisi sanctus Joannes Evangelista. Mundum alii concussum in passione Domini conscripserunt, coelum tenebris obductum, refugisse solem, in paradisum latronem, sed post piam confessionem, receptum. Joannes docuit, quod alii non docuerunt, quemadmodum in cruce positus Matrem appellaverit. Pluris putatur, quod victor suppliciorum, pietatis officia Matri exhibebat, quam quod regnum coeleste donabat. Nam si religiosum est, quod latroni donatur venia, multo uberioris pietatis est, quod a Filio Mater tanto affectu honoratur.

℟. In toto corde tuo gemitus Matris tuae ne obliviscaris: * Ut perficiatur propitiatio et benedictio.

℣. Ave, Princeps generosa Martyrumque prima rosa, Virginumque lilium. Ut perficiatur. Gloria Patri. Ut perficiatur.

Lectio IX. de Homilia Dominicae occurrentis.

AD LAUDES

et per Horas Antiphona.

Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? Quo declinavit dilectus tuus, et quaeremus eum tecum?

Psal. Dominus regnavit, cum reliquis de Laudibus Dominicae.

Antiph. Recedite a me, amare flebo; nolite incumbere, ut consolemini me.

Antiph. Non est ei species neque decor: et vidimus eum, et non erat aspectus.

Antiph. A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.

Antiph. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

Capitulum. Thren. 2.

Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, Filia Jerusalem? cui exaequabo te, et consolabor te, Virgo Filia Sion? Magna est velut mare contritio tua.

Hymnus.

Summae Deus clementiae,
Septem Dolores Virginis,

Plagasque Jesu Filii
Fac rite nos revolvere.
Nobis salutem conferant
Deiparae tot lacrymae,
Quibus lavare sufficis
Totius orbis crimina.
Sit quinque Jesu vulnerum
Amara contemplatio,
Sint et Dolores Virginis
Aeterna cunctis gaudia.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui passus es pro servulis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula. Amen.

℣. Maria Virgo, per virtutem tot dolorum.

℟. Fac nos gaudere in regno coelorum.

Ad Benedictus, Antiphona. Venite, ascendamus ad montem Domini: et videte, si est dolor, sicut dolor meus.

Oratio.

Deus, in cujus passione, secundum Simeonis prophetiam, dulcissimam animam gloriosae Virginis et Matris Mariae doloris gladius pertransivit: concede propitius, ut qui Dolores ejus venerando recolimus, passionis tuae effectum felicem consequamur. Qui vivis et regnas.

Deinde fit commem. Dominicae occurrentis.

Ad Primam in ℟. br. dicitur ℣. Qui passus es propter nostram salutem.

AD TERTIAM.

Antiph. Recedite a me.

Capit. Cui comparabo te, ut supra.

℟. br. O vos omnes, * Qui transitis per viam. O vos.

℣. Attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus. Qui transitis.

Gloria Patri. O vos.

℣. Defecerunt prae lacrymis oculi mei.

℟. Conturbata sunt omnia viscera mea.

AD SEXTAM.

Antiph. Non est ei species.

Capitulum. Thren. 1.

Plorans ploravit in nocte, et lacrymae ejus in maxillis ejus: non est, qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.

℟. br. Defecerunt * Prae lacrymis oculi mei. Defecerunt.

℣. Conturbata sunt omnia viscera mea. Prae lacrymis.

Gloria Patri. Defecerunt.

℣. Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi.

℟. Inter ubera mea commorabitur.

AD NONAM.

Antiph. Fulcite me.

Capitulum Thren. 2.

Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

℟. br. Fasciculus myrrhae * Dilectus meus mihi. Fasciculus.

℣. Inter ubera mea commorabitur. Dilectus.

Gloria Patri. Fasciculus.

℣. Anima mea liquefacta est.

℟. Ut Dilectus locutus est.

IN II. VESPERIS.

Omnia dicuntur ut in primis.

Ad Magnificat, Antiphona. Oppressit me dolor, et facies mea intumuit a fletu, et palpebrae meae caligaverunt.

Oratio ut supra.

Et fit commem. Dominicae.

DIE I. SEPTEMBRIS.

In festo

S. Aegidii Abbatis.

Semiduplex.

Omnia de Communi Abbatum, praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beatum Aegidium Abbatem, erogatis in pauperes divitiis, ad eremum mira providentia traduxisti: fac nos ejus exemplo et intercessione caduca despicere et sola coelestia desiderare. Per Dominum.

Et fit commem. Ss. duodecim Fratrum Martyrum, ut in Br.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Aegidius Atheniensis nobilissimo genere ortus a prima aetate divinis litteris operam dedit, et sanctis christianae charitatis officiis ita deditus fuit, ut nihil praeter ea curare videretur. Itaque parentibus mortuis, totum patrimonium vendidit, et pecuniam inde acceptam in pauperes liberali manu erogavit; quin etiam ut nudum Christum sequeretur, tunicam exuit, et ea aegrotum egentem texit, qua ille indutus statim convaluit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: ✻ Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Multis deinde miraculis clarus timens sui nominis celebritatem, conscensa navi, in provinciam Narbonensem descendit, et Arelatem ad beatum Caesarium se contulit, ibique tectus et incognitus integro biennio remansit. Sed cum charitatis impulsu aegrum curasset, ut auram et concursum populi fugeret, inde etiam discedens, in eremum secessit.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: ✻ Et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad.

Lectio VI.

Ubi diu herbarum radicibus, et cervae lacte, quae statis ad eum horis veniebat, admirabili sanctitate vixit. Quae cerva insequentibus aliquando canibus regiis, cum in antrum Aegidii se recepisset, hac occasione Vir Dei a Rege Galliae inventus est, qui summis precibus ab eo petiit, tandemque obtinuit, ut in loco speluncae Monasterium extrui pateretur, cujus administrationem flagitante Rege invitus suscepit, eoque munere aliquot annis prudenter pieque gesto, migravit in coelum.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: ✻ Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Ecce nos reliquimus omnia, de Communi Abbatum.

In Laudibus commem. Ss. duodecim Fratrum Martyr. ut in Br.

DIE III. SEPTEMBRIS.

In festo

Ss. Euphemiae, Dorotheae, Theclae et Erasmae Virg. Martyrum.

Duplex.

Omnia de Communi Virg. Mart. praeter seq.

In utrisque Vesperis, et Laudibus. ℣. Adducentur.

Ad Magnificat et ad Benedictus, Antiphona. Prudentes Virgines, ut in Communi.

Oratio.

Da nobis, misericors Deus, sanctis Virginibus et Martyribus tuis Euphemia, Dorothea, Thecla et Erasma intercedentibus, coelestis gratiae abundantiam: ut earum passio celebrata praesentis vitae subsidium conferat et aeternae. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Euphemia, Dorothea, Thecla et Erasma Virgines Aquilejenses nobiliter progenitae, quarum priores Valentii filiae hominis idololatriae addicti, sequentes vero Valentiniani ejusdem fratris, Christi nomen profitentis, cujus studio omnes in Christiana Fide erudiebantur. Quadam vero die cum suppliciter efflagitarent, ut Natisi fluminis lustralibus undis, baptismatis desiderio, abluerentur, precibus Deo oblatis, insigni prodigio flumen divinitus cursum remoratur, ac tamdiu constitit, donec eadem hora adveniente Valentiniano ac beato Hermagora

Episcopo, continuo baptizantur, et Virgines Deo consecrantur. Cum interim Valentius Euphemiam et Dorotheam nubendas destinasset, respuunt illae terrenas nuptias, coelesti Sponso dicatae. His genitor auditis, insaniens, arrepto gladio, utramque aggreditur: at illae furentis patris e manibus elapsae, ad Valentinianum patruum confugiunt, quas ipse cum filiabus in suae domus latebris abdidit. Verum fraude servi detectae, qui statim a daemone arreptus, in Natisum fluvium se praecipitem dedit, ab ipso Valentio insequente orantes deprehensae, Servasto praesidi pro Christiano nomine puniendae traduntur.

℟. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: ✻ Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna. Et deducet.

Lectio V.

Delatas sibi Virgines praeses, ut eas vidit blanditiis ad apostasiam attrahere non potuisse, imperat primum nudas flagellis caedi, inverso mox corpore suspendi, et malleis capita eousque contundi, quo sanguis e naribus copiose diffluereret: sed omnibus cruciatibus fortiores, carceri mancipandas deseruit. Sequenti mane, quia a vulneribus incolumes cernebantur, hortatur Servastus pro accepto beneficio diis litare, quorum pietati salutem debere suadebat; at illae solum Jesum Dei Filium coelestem medicum confitentur et praedicant. Jubet interea praeses easdem equuleo suspendi, latera lampadibus aduri, ac tandem mamillas crudeliter amputari, quae canibus devorandae projectae, singulari ab ipsis custodia venerantur. Iterum igitur carceribus occluduntur, et altera die nudae circumducuntur per urbem; sed orante sancta Euphemia, Angelus Domini singulas candida stola superinduit, ac pristinae incolumitati restituit, quin et novum contulit decorem, cum in earum corporibus nec plagarum vestigia apparerent, et vultus earum solis instar enitescerent.

℟. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: ✻ Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae.

℣. Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam. Propterea.

Lectio VI.

Tantis prodigiis, Virginumque constantia nil commotus praeses, ut audivit irridentes inania deorum simulacra, capite plectendas mandavit, quam impiam sententiam in filias et neptes Valentius ipse sese obtulit executurum. Adiit ergo altissimam turrim, ubi filias eximiae pulchritudinis anteacto tempore aliquandiu custodierat,

ibique propriis manibus omnium capita obtruncavit, et in praeterfluentem Natisum dejecit. Divinam tamen ultionem immanis adeo facinoris vindicem sensit, ingenti illico terraemotu turri concussa, igneque coelitus obruente, qui Valentium ejus comites, et turrim ipsam a fundamentis incendit. Cum autem noctu Valentinianus cum sancto Hermagora beatarum Virginum corpora et capita inquisiturus descenderet prope flumen, ecce navicula apparuit sacris pignoribus onusta, quae a duobus juvenibus ingentis speciei et luminis, navem ducentibus, sancto Antistiti oblata, ab eo honorifico sepulchro, religioso Cleri comitatu, domi ejusdem Valentiniani in Ecclesiam consecratae, condita sunt.

℟. Afferentur Regi virgines post eam, proximae ejus ℣ Afferentur tibi in laetitia et exultatione.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Afferentur. Gloria Patri. Afferentur.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Accesserunt ad Jesum, de Communi secundo loco.

DIE IV. SEPTEMBRIS.

In festo S. Rosaliae Virginis.

Duplex majus.

Omnia de Communi Virg. praeter sequentia.

Oratio.

Exaudi nos, Deus salutaris noster: ut sicut de beatae Rosaliae Virginis tuae festivitate gaudemus; ita piae devotionis erudiamur affectu, et ejus intercessione ab iracundiae tuae flagellis misericorditer liberemur. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones: De Virginibus, ut in Comm. Virg.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Rosalia Virgo, orta Panormi ex nobili genere, suam originem trahens a Carolo Magno, in Quisquinae montem quadraginta circiter mille passibus distantem sola secedens, paternae domus opes, delicias ac spem majoris amplitudinis ob propinquitatem et benevolentiam Regum Siciliae contemnens, cum tetricae rupis horrore et asperitate commutavit: inque antrum, cui tunc unicus, et quidem angustus aditus e superiori loco patebat, intrepide descendit ea mente, quam characteribus saxo insculptis adhuc patentibus expressit: Ego Rosalia Sinibaldi Quisquinae et Rosarum domini filia, amore Domini mei Jesu Christi in hoc antro habitare decrevi. Qua inscriptione oculis obversante, susceptae vitae propositum altius cordi infigere, ac divinae benevolentiae signa ad castissimae mentis blandimenta vicissim provocare consuevit.

℟. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Et deducet.

Lectio V.

In hac specu subterranea sibi et mundo emortua, consepultaque Jesu Christo, ut soli Deo viveret, diu noctuque latuit, cavens praecipue in montibus paterni Principatus, ne forte agnita in domum urbemque patriam abduceretur invita. Callidas daemonum insidias, quae asperae vitae taedium, et solitudinis horrorem animo ingerebant, acriter saeviendo in se ferrea catena, vigiliis, et humi cubatione forti animo superasse, antiquae icones significant. Cumque, humanis destituta praesidiis, nihil solatii aliunde hauriret, quam e coelo, Dominus, qui consolatur et coronat Sanctos suos, Angelicis deliciis illam saepius recreabat.

℟. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae.

℣. Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam. Propterea.

Lectio VI.

Coelesti deinde consilio ex antro Quisquinensi in horridiorem speluncam peregrini montis tribus fere mille passibus procul Panormo Rosalia se transtulit, ut, quo difficiliorem pugnam secum ipsa committeret e conspectu domus paternae, eo laudabilius de contemptis mundi illecebris triumpharet. Latebat ibi ad partem laevam angustus concavus, quem eadem post repertas ejus reliquias illuc venanti, cui se videndam praebuit, dixit esse suam cellam peregrinam, ubi multum aetatis exegisset. Hic tamquam columba in foraminibus petrae gemens, in coelestium rerum contemplatione defixa, ad perfectissimam divini amoris normam in solitudine vitam traduxit, et sanctissime perennibus charitatis rosis et virginitatis liliis coronata deposuit pridie nonas Septembris. Cujus corpus Urbano Octavo Pontifice Maximo divinitus anno Jubilaei totius Siciliae plausu repertum, illam a peste liberavit.

℟. Afferentur Regi virgines post eam, proximae ejus * Afferentur tibi in laetitia et exultatione.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Afferentur. Gloria Patri. Afferentur.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Simile erit regnum coelorum decem Virginibus, de Communi primo loco.

DIE VI. SEPTEMBRIS.

In festo

S. Joannae Franciscae Fremiot de Chantal,

Viduae, Fundatricis Ordinis Monialium de Visitatione S. Mariae.

Duplex.

Dies assignata ex 21. Augusti. Omnia de Communi nec Virg. nec Martyr. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Omnipotens et misericors Deus, qui beatam Joannam Franciscam tuo amore succensam admirabili spiritus fortitudine per omnes vitae semitas in via perfectionis donasti, quique per illam illustrare ecclesiam tuam nova prole voluisti: ejus meritis et precibus concede; ut qui infirmitatis nostrae conscii de tua virtute confidimus, coelestis gratiae auxilio cuncta nobis adversantia vincamus. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente cum ℟℟. de Communi nec Virg. nec Martyris.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Joanna Francisca Fremiot a Chantal, Divione in Burgundia clarissimis orta natalibus ab ineunte aetate eximiae sanctitatis non obscuras edidit significationes. Eam enim vix quinquennem nobilem quemdam Calvinistam solida supra aetatem argumentatione perstrinxisse ferunt, collatumque ab eo munusculum flammis illico tradidisse in haec verba: En quomodo haeretici apud inferos eomburentur, qui loquenti Christo fidem detrectant. Matre orbata Deiparae Virginis tutelae se commendavit, et famulam, quae ad mundi amorem eam alliciebat, ab se rejecit. Nihil puerile in moribus exprimens, a saeculi deliciis abhorrens, martyriumque anhelans, religioni ac pietati impense studebat. Baroni de Chantal nuptui a patre tradita, virtutibus omnibus excolendis operam dedit, liberos, famulos, aliosque sibi subjectos in fidei doctrina, bonisque moribus imbuere satagens, profusa liberalitate pauperum inopiam sublevabat, annona divinitus non raro multiplicata; quo factum est, ut nemini se umquam Christi nomine roganti stipem abnegaturam spoponderit.

℟. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: ✻ Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Et deducet.

Lectio V.

Viro in venatione interempto, perfectioris vitae consilium iniens, continentiae voto se obstrinxit. Viri necem non solum aequo animo tulit, sed in publicum indultae veniae testimonium occisoris filium e sacro fonte suscipere sui victrix elegit. Modica familia, tenui victu, atque vestitu contenta, pretiosas vestes in pios

usus convertit. Quidquid a domesticis curis supererat temporis, precibus, piis lectionibus, laborique impendebat. Numquam adduci potuit, ut alteras nuptias, quamvis utiles et honorificas iniret. Ne autem a proposito castimoniae observandae in posterum dimoveretur, illius voto innovato, sanctissimum Jesu Christi nomen candenti ferro pectori insculpsit. Ardentius indies charitate fervescens, pauperes, derelictos, aegros, teterrimisque morbis infectos ad se adducendos curabat; eosque non hospitio tantum excipiebat, solabatur, fovebat; verum etiam sordidas eorumdem vestes depurgabat, laceras reficiebat, et manantibus foetido pure ulceribus labia admovere non exhorrebat.

℟. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: ✻ Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae.

℣. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Propterea.

Lectio VI.

A sancto Francisco Salesio, quo spiritus moderatore usa fuit, divinam voluntatem edocta, proprium parentem, socerum, filium denique ipsum, quem etiam vocationi obsistentem sua e domo egrediens pedibus calcare non dubitavit, invicta constantia deseruit, et sacri instituti Visitationis Sanctae Mariae fundamenta jecit. Ejus instituti leges integerrime custodivit; et adeo paupertatis fuit amans, ut vel necessaria sibi deesse gauderet. Christianae vero animi demissionis, et obedientiae, virtutum denique omnium perfectissimum exemplar se praebuit. Altiores in corde suo ascensiones disponens, arduissimo efficiendi semper id, quod perfectius esse intelligeret, voto se obstrinxit. Denique sacro Visitationis instituto ejus potissimum opera longe lateque diffuso, verbo, exemplo, et scriptis etiam divina sapientia refertis ad pietatem, et charitatem sororibus excitatis, meritis referta, et Sacramentis rite susceptis, Molini anno millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, die decima tertia Decembris migravit ad Dominum, ejusque animam occurrente sancto Francisco Salesio in coelos deferri sanctus Vincentius a Paulo procul distans aspexit. Ejus corpus postea Annecium translatum fuit; eamque miraculis ante et post obitum claram Benedictus Decimusquartus Beatorum, Clemens Decimustertius albo Sanctorum adjecit. Festum autem ejusdem diem duodecimo Calendas Septembris ab universa Ecclesia Clemens Decimusquartus Pontifex maximus celebrari praecepit.

℟. Fallax gratia, et vana est pulchritudo: ✻ Mulier timens Deum, ipsa laudabitur.

℣. Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis

opera ejus. Mulier. Gloria Patri. Mulier.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Simile est regnum coelorum thesauro, ut in Communi non Virginum.

DIE VII. SEPTEMBRIS.

In festo

S. Anastasii Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Martyris.

Oratio. Praesta, quaesumus, omnipotens Deus: ut qui, de Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente, reliquae vero de Communi secundo loco.

DIE IX. SEPTEMBRIS.

In festo

Ss. Hermogenis et Fortunati Martyrum.

Duplex.

Omnia de Communi plur. Mart.

Oratio. Deus, qui nos concedis, de eodem Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno, de Communi primo, in tertio Nocturno de Communi secundo loco.

Commem. S. Gorgonii Martyris cum ejus IX. Lectione, ut in Br.

DIE XI. SEPTEMBRIS.

In festo

S. Danielis Proph. Confess.

Duplex.

Oratio. Deus, qui nos, de Communi Conf. non Pontif.

In primo et secundo Nocturno Lectiones ex Dominica tertia Novembris.

In tertio Nocturno ex Dominica ultima post Pentecost. Reliqua de Communi Conf. non Pontif.

Commem. Ss. Prothi et Hyacinthi Martyrum cum eorum IX. Lectione, ut in Br.

DIE XII. SEPTEMBRIS.

In festo

S. Pelagii Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Martyris.

Oratio. Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui, de eodem Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo et tertio Nocturno de eodem Communi primo loco.

DIE XIII. SEPTEMBRIS.

In festo

Ss. Septem Dormientium Martyrum.

Semiduplex.

Omnia de Communi plur. Martyrum.

Oratio. Deus, qui nos concedis, de eodem Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo et tertio Nocturno de eodem Communi secundo loco.

DIE XVIII. SEPTEMBRIS.

In festo

S. Josephi a Cupertino Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. praeter ea, quae sequuntur.

In primis Vesperis ad Magnificat, Antiphona. Mortuus sum, et vita mea est abscondita cum Christo in Deo.

Oratio.

Deus, qui ad unigenitum Filium tuum exaltatum a terra, omnia trahere disposuisti: perfice propitius; ut meritis, et exemplo Seraphici Confessoris tui Josephi; supra terrenas omnes cupiditates elevati ad eum pervenire mereamur; Qui tecum vivit, et regnat.

In primo Nocturno.

De Epistola secunda beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

Lectio I. Cap. 4. v. 6.

Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Jesu. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus: ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur; sed non angustiamur: aporiamur; sed non destituimur: persecutionem patimur; sed non derelinquimur: dejicimur; sed non perimus; semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum: ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali.

℟. Euge serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: * Intra in gaudium Domini tui.

℣. Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Intra.

Lectio II. Cap. 5.

Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis. Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quae de coelo est, superindui cupientes: si tamen vestiti, non nudi inveniamur. Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati; eo quod no-

lumus expoliari, sed supervestiri; ut absorbeatur, quod mortale est, a vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. Audentes igitur semper, scientes, quoniam, dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino: (per fidem enim ambulamus, et non per speciem). Audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum.

℟. Justus germinabit sicut lilium: * Et florebit in aeternum ante Dominum.

℣. Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Et florebit.

Lectio III. Cap. 12.

Si gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad visiones, et revelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium coelum. Et scio hujusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) quoniam raptus est in Paradisum, et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui. Pro hujusmodi gloriabor, pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. Nam et si voluero gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicam: parco autem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae angelus Satanae, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me: et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.

℟. Iste cognovit justitiam, et vidit mirabilia magna, et exoravit Altissimum: * Et inventus est in numero sanctorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Et inventus. Gloria Patri. Et inventus.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Josephus a Cupertino, oppido in Salentinis dioecesis Neritonensis, anno reparatae salutis millesimo sexcentesimo tertio, piis ibidem parentibus ortus, Deique amore praeventus, pueritiam, atque adolescentiam, summa cum simplicitate morumque innocentia transegit. A diuturno, molestoque morbo patientissime tolerato Deiparae Virginis ope liberatus, se totum pietatis operibus, ac excolendis virtutibus dedit: utque Deo ad majora vocanti se intimius conjungeret, Ordini Seraphico nomen dare constituit. Post varios eventus voti tandem compos factus, apud Minores con-

ventuales in coenobio Cryptulae, inter laicos primum ob litterarum imperitiam, deinde inter clericos divina dispositione connumeratus est. Sacerdotio post solemnia vota initiatus, perfectius sibi vitae institutum proposuit. Quamobrem mundanis quibuscumque affectibus, terrenisque rebus pene ad vitam necessariis illico a se abdicatis, ciliciis, flagellis, catenis, omni demum asperitatum, ac poenarum genere corpus afflixit; spiritum vero sanctae orationis, altissimaeque contemplationis assiduitate dulciter enutrivit. Hinc factum est, ut charitas Dei, quae jam erat in ejus corde a prima aetate diffusa, miro, planeque singulari modo indies coruscaverit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: ✻ Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Eluxit praecipue ardentissima ejus charitas in ecstasibus ad Deum suavissimis, stupendisque raptibus, quibus frequenter afficiebatur. Mirum autem, quod alienato a sensibus animo statim ab ecstasi eum revocabat sola obedientia. Hanc quippe virtutem eximio studio prosequebatur, dicere solitus, se ab ea veluti caecum circumduci, et mori potius velle, quam non obedire. Paupertatem vero Seraphici Patriarchae ita aemulatus est, ut morti proximus Praelato suo asserere vere potuerit, se nihil habere, quod more Religiosorum resignaret. Itaque mundo, sibique mortuus, vitam Jesu manifestabat in carne sua, quae, dum in aliquibus ex turpitudine obscoenum flagitium sentiebat, prodigiosum de se efflabat odorem, indicium nitidissimae illius puritatis, quam immundo spiritu vehementissimis tentationibus frustra obnubilare diu conante, servavit illaesam, tum arcta sensuum custodia, tum jugi corporis maceratione, tum denique speciali protectione purissimae Virginis Mariae, quam matrem suam appellare consuevit, ac veluti matrem dulcissimam intimo cordis affectu venerabatur, eamque ab aliis venerari exoptabat, ut ejusdem patrocinio, sicut ipse ajebat, omnia bona consequerentur.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: ✻ Et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad.

Lectio VI.

Haec beati Josephi solicitudo, a sua erga proximos charitate prodibat; tanto enim animarum zelo exardebat, ut omnium salutem modis omnibus instantis-

sime procuraret. Extendens pariter charitatem suam in proximum sive pauperem, sive infirmum, sive quacumque alia tribulatione vexatum, quantum in ipso erat, illum recreabat. Nec alieni erant ab ejus charitate, qui objurgationibus, probris, omnisque generis injuriis ipsum appeterent: nam eadem patientia, mansuetudine, vultusque hilaritate talia excipiebat, qua tot inter, ac tantas vicissitudines resplenduit, dum vel moderatorum Ordinis, vel sacrae Inquisitionis jussu, hac illac errare, versarique coactus est. Quamquam vero populi non solum, sed viri principes eximiam ejus sanctitatem, et superna charismata admirarentur; ea nihilominus erat humilitate, ut magnum se peccatorem reputans, Deum enixe deprecaretur, ut sua ab eo illustria dona removeret; homines vero exoraret, ut in eum locum mortuum ejus corpus injicerent, ubi memoria sui esset prorsus obliterata. At Deus, qui ponit humiles in sublime, quique servum suum, dum viveret, coelesti sapientia, prophetia, cordium perscrutatione, curationum gratia, caeterisque donis cumulatissime exornaverat, ejus quoque mortem iis, quibus ipse antea praedixerat, loco, ac tempore, anno aetatis suae sexagesimo primo, Auximi in Piceno, pretiosam reddidit, sepulchrumque gloriosum. Illum denique etiam post obitum miraculis coruscantem, Benedictus Decimusquartus Beatorum, Clemens Decimustertius Sanctorum fastis adscripsit; ejus autem Officium, et Missam, Clemens Decimusquartus ejusdem Ordinis, ad universam Ecclesiam extendit.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 22.

Lectio VII.

In illo tempore loquebatur Jesus principibus Sacerdotum, et Pharisaeis in parabolis dicens: Simile factum est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et reliqua.

Homilia

Sancti Gregorii Papae.

Lib. 2. Homiliar. Homil. 38. circa medium.

Quia jam largiente Domino nuptiarum domum, id est, sanctam Ecclesiam, intrastis; solerter, fratres aspicite, ne aliquid de mentis vestrae habitu rex ingrediens reprehendat. Cum ma-

gno enim cordis timore pensandum est, quod protinus subditur: Intravit autem rex, ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem, non vestitum veste nuptiali. Quid, fratres charissimi, exprimi per nuptialem vestem putamus? Si enim vestem nuptialem baptisma, vel fidem dicimus, quis sine baptismate, et fide has nuptias intravit? Eo enim ipso foris est, qui necdum credidit. Quid ergo debemus intelligere nuptialem vestem nisi charitatem? Intrat enim ad nuptias, sed cum nuptiali veste non intrat, qui in sancta Ecclesia assistens fidem habet, sed charitatem non habet. Recte enim charitas nuptialis vestis vocatur, quia hanc in se Conditor noster habuit, dum ad sociandae sibi Ecclesiae nuptias venit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. Ipse.

Lectio VIII.

Sola quippe dilectione Dei actum est, ut ejus Unigenitus mentes sibi electorum hominum uniret. Unde et Joannes dicit: Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret pro nobis. Quia ergo per charitatem venit ad homines, eamdem charitatem innotuit vestem esse nuptialem. Omnis ergo vestrum, qui in Ecclesia positus Deo credidit, jam ad nuptias intravit, sed cum nuptiali veste non venit, si charitatis gratiam non custodit. Et certe, fratres, si quis ad carnales nuptias esset invitatus, vestem mutaret, congaudere se sponso, et sponsae ex ipso sui habitus decore ostenderet, inter gaudentes, et festa celebrantes despectis vestibus apparere erubesceret. Nos ad Dei nuptias venimus, et cordis vestem mutare dissimulamus. Congaudent Angeli, cum ad coelum assummuntur electi. Qua ergo mente haec spiritualia festa conspicimus, qui nuptialem vestem, id est, charitatem, quae sola nos speciosos exhibet, non habemus?

℟. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio IX.

Sciendum vero est, quia sicut in duobus lignis, superiore videlicet, et inferiore, vestis texitur, ita in duobus praeceptis charitas habetur, in dilectione scilicet Dei, et proximi. Scriptum quippe est: Diliges Dominum Deum tuum

ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua, et proximum tuum sicut te ipsum. Qua in re notandum est, quia in dilectione proximi mensura amoris ponitur, cum dicitur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dei autem dilectio nulla mensura constringitur, cum dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota virtute tua. Non enim jubetur quisque quantum diligat, sed ex quanto, cum dicitur. Ex toto: quia ille veraciter Deum diligit, qui sibi de se nihil relinquit. Duo ergo necesse est, ut charitatis praecepta custodiat, quisquis habere in nuptiis vestem nuptialem curat.

Te Deum laudamus.

Ad Benedictus, Antiphona. Ostendit mihi Dominus fluvium aquae vivae, splendidum tamquam crystallum procedentem de sede Dei, et Agni.

In secundis Vesperis ad Magnificat, Antiph. Existimo, omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei.

DIE XXII. SEPTEMBRIS.

In festo

S. Thomae de Villa Nova Episcopi Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Breviario sub hac die, vel 18. Septembris.

DIE XXV. SEPTEMBRIS.

In festo

Beatae Mariae de Socos, dictae de Cervellione, Virginis.

Duplex.

Omnia de Communi Virgin. praeter ea, quae sequuntur.

In primis Vesperis ad Magnificat, Antiph. Flagellis et catena Maria corpus domabat, silentio et abstinentia animam custodiebat, orationibus incessanter instabat, docens Christi sponsas vas corruptibile in sanctificatione et honore possidere.

Oratio.

Deus, qui nos conspicis in tot periculis constitutos pro nostra fragilitate non posse subsistere: concede propitius, ut intercedente beata Maria famula tua, de praesentis vitae fluctibus educti, ad aeternae salutis portum pervenire valeamus. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones: De Virginibus, de Communi.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Maria nobili familia de Cervellione Barcinone in Hispania nata, et a parentibus in Dei timore primis ab annis enutrita, virginitatem suam, cum decem et octo esset annorum, illi devovit. Ejus vivendi ratio erat, in publicum rarius prodire, ae-

grotantibus domesticis sedulo adesse, et in nosocomio ter in hebdomada pauperibus ministrare. Annum trigesimum agens, defuncto patre habitum Ordinis sanctae Mariae de Mercede prima ex foeminis suscipiens, Sanctimonialibus ejusdem Ordinis ducem, magistram et exemplar se praebuit, ac distributo patrimonio in redemptionem captivorum, professionem in eodem Ordine, una cum voto de laborando pro redimendis captivis, emisit.

℟. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: ✻ Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Et deducet.

Lectio V.

Matre e vivis sublata, cum aliquot honestis foeminis ejusdem instituti piam sanctamque vitam peregit, solita quotidie mulierum a suis fratribus redemptarum, ac Barcinonem advenientium pedes in hospitali domo lavare; quinquies in hebdomada sacra Eucharistia refici, terque jejunare, solo pane et aqua contenta; quotidianis flagellis insuper et ferrea catena corpus suum affligens. Silentium, quod mira observantia colebat, inanibus verbis numquam infregit, ac parcius indulgens somno, expetebat ab hujusmodi necessitate liberari, ut illo solo frueretur incessanter, quo jucundantur coeli, et Angeli laetantur. Quod diurni temporis supererat ab oratione ac pietatis exercitiis, in pauperes juvandos impendebat, nullum officii genus praetermittens, quo afflictos consolaretur, oppressos liberaret, et vinctos educeret de carceribus.

℟. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: ✻ Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae.

℣. Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam. Propterea.

Lectio VI.

Futuras maris tempestates prænuntiabat, illasque saepe suis orationibus sedavit, visa aliquoties super undas incedere, quo Fratres captivorum Redemptores, aliosque in mari periclitantes servaret incolumes, unde ei Mariae de Subsidio, vulgo de Socos nomen est inditum. Denique post multa virtutum insignia, Barcinone migravit ad Dominum, decimo tertio Kalendas Octobris, anno salutis millesimo ducentesimo nonagesimo. Ejus corpus, ex quo suavissimus odor manabat, sepultum est in Ecclesia Fratrum Ordinis sui; quod nonagesimo post anno, Episcopo Barcinonensi, Petro Aragoniae Rege, caeterisque aulae et civitatis primatibus adstantibus, solemni pompa elevatum, incorruptum repertum fuit, ac decentiori loco, ubi religiose colitur, asservatum.

℟. Afferentur Regi virgines post eam, proximae ejus * Afferentur tibi in laetitia et exultatione.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Afferentur. Gloria Patri. Afferentur.

In tertio Nocturno.

Lectiones de Homil. in Evang. Simile erit regnum coelorum decem virginibus, de Communi Virg. primo loco.

In Laudibus ad Benedictus, Antiphona. Adducentur in laetitia et exultatione Regi Domino virgines post Mariam, ut in sanctitate et justitia serviant illi, et quocumque ierit, ipsum Agnum sequantur.

In secundis Vesperis ad Magnificat, Antiph. Mare et venti Mariae obediunt, angelici candoris virtute pollenti: aquae multae cesserunt ardori charitatis ejus.

DIE XXVI. SEPTEMBRIS.

In festo
S. Gerardi Episc. et Mart.

Duplex.

Omnia de Communi unius Martyris, praeter sequentia.

Oratio. Infirmitatem, de Communi.

Et fit Commem. Ss. Cypriani et Justinae Martyrum, ut in Br.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Gerardus, Venetiis ex Sagreda patritia familia natus, ab ineunte aetate divino cultui deditus, monasticum amplexus est institutum sub regula sancti Benedicti in Monasterio sancti Georgii Majoris Venetiarum, in quo divinis contemplationibus vacans, flagranti animo concupivit Dominicum sepulchrum invisere. Cum igitur in Palaestinam tenderet, pervenit in Pannoniae partes, ubi tunc piissimus Rex Stephanus regnabat, a quo benigne exceptus, primum eremiticam vitam duxit. Mox Episcopus creatus, commissas sibi oves verbo et exemplo pascere numquam destitit, donec in persecutione Christianorum, quae in Pannonia, ut ipse praedixerat, post sanctissimi Regis obitum secuta est, lapidibus obrutus, martyrii palmam obtinuit, atque sanctitate, doctrina et miraculis clarus, Hungarorum Apostolus meruit nuncupari.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Descenditque cum illo in foveam: et in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 44. de Sanctis.

Lectio V.

Triumphalis beati Martyris Gerardi dies hodie nobis anniversaria celebritate recurrit: cujus glorificationi sicut congaudet Ecclesia, sic ejus proponit sequenda vestigia. Si enim compatimur, et conglorificabimur. In cujus glorioso agone duo nobis praecipue consideranda sunt: indurata videlicet tortoris saevitia, et Martyris invicta patientia. Saevitia tortoris, ut eam detestemur: patientia Martyris, ut eam imitemur. Audi Psalmistam adversus malitiam increpantem: Noli aemulari in malignantibus: quoniam tamquam foenum velociter arescent. Quod autem adversus malignantes patientia exhibenda sit, audi Apostolum suadentem: Patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissiones.

℟. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine, ✻ Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

Lectio VI.

Coronata itaque est beati Martyris patientia; mancipata est aeternis cruciatibus tortoris incorrecta malitia. Hoc attendens in agone suo gloriosus Christi athleta, non exhorruit carcerem. Ad imitationem capitis sui toleravit probra, sustinuit irrisiones, flagella non timuit: et quot ante mortem pro Christo pertulit supplicia, tot ei de se obtulit sacrificia. Quod enim propinante Apostolo biberat, alte retinebat: Quia non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Et quia momentaneum hoc et leve nostrae tribulationis, aeternum gloriae pondus operatur in coelis. Hujus promissionis amore a terrenis suspensus, et praegustata supernae suavitatis dulcedine ineffabiliter affectus, dicebat cum Psalmista: Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: ✻ Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus: et aqua sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Si quis venit ad me, ut in Communi primo loco, cum IX. Lectione ex duabus unita et commem. Ss. Cypriani et Justinae Martyrum, ut in Br.

DIE XXVII. SEPTEMBRIS.

In festo
Ss. Cosmae et Damiani
Martyrum.

Duplex.

Omnia ut in Breviario.

FESTA OCTOBRIS.

DOMINICA

in Kalendis vel I. post Kalendas Octobris.

In Solemnitate

Ss. Rosarii B. Mariae Virg.

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario sub hac Dominica.

DOMINICA III.

post Kalendas Octobris.

In Anniversario

Dedicationis omnium Ecclesiarum totius Dioecesis.

Duplex I. Classis cum Octava.

Omnia de Communi Dedicationis Ecclesiae, ut in Breviario.

Lectio IX. et comm. Dominicae in utrisque Vesperis et Laudibus.

DOMINICA IV.

post Kalendas Octobris.

Octava

Dedicationis omnium Ecclesiarum consecratarum.

Duplex.

Omnia de Communi Dedicationis Ecclesiae.

In primo Nocturno, Lectiones ut in Festo, in secundo Nocturno, ut in die octava, in tertio Nocturno, ex die secunda infra Octavam, nona Lectio Dominicae et commemoratio ejusdem in utrisque Vesperis et Laudibus.

DIE I. OCTOBRIS.

In festo

S. Remigii Episc. et Conf.

Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. praeter sequentia.

In Hymno. Iste Confessor, mutatur tertius versus.

Oratio. Da quaesumus, de Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Remigius Lauduni in Gallia natus est parentibus Aemilio et Celinia, jam aetate provectis: cujus ortum solitarius quidam caecus, Montanus nomine praedixisse fertur. Piissimorum parentum cura divinis praeceptis ac liberalibus disciplinis optime institutus, omnium oculos in sui admirationem ita convertit, ut annos natus duos et viginti praeter aetatem ac voluntatem ad Episcopatum Rhemensem eligeretur. Cum Rex Francorum Clodoveus Alemannos, invocato Christi nomine, ad Tolbiacum debellasset, ipsum ad Rhemorum urbem regressum Remigius adhortatus est, ut Fidem Christi profiteretur. Cum respondisset Rex, vereri se, ut per subditos sibi illud liceret, hi statim

acclamarunt: Mortales deos abigimus, et Deum immortalem, quem Remigius praedicat, sequi parati sumus.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: ✻ Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V.

Tum Remigius Clodoveum, quem sanctus Vedastus Fidei documentis imbuerat, ipso die Natalis Domini baptizavit, et sacro Chrismate inunxit cum signaculo Crucis Christi; de exercitu autem ejus ter mille et amplius salutari lavacro initiati sunt. Hoc faustissimo eventu paganorum ingens multitudo per Galliarum provincias, quibus adnumeratur Belgium, Christi jugo submissa est, magno Fidei incremento. Clodoveum deinde bellum adversus Gothos parantem Remigius utilissimis administrando regno consiliis per litteras instruxit, eique auctor fuit, ut Concilium Aurelianense, aliaeque Synodi ad extinguendam Arianorum haeresim celebrarentur.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: ✻ Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

Beati Remigii eximiam scientiam, summamque pietatem testatur sanctus Gregorius Turonensis. Singulari erat clementia in poenitentes, atque ad Salvatoris exemplum mitis, et humilis corde, strenuus quoque in vinea Domini operarius, plurimos Episcopatus per Galliam instituit. Varia quoque monasteria ad divinum cultum adaugendum in Dioecesi sua excitavit, et assiduus verbi Dei praedicator fidelium numerum plurimum adauxit, donec plenus dierum ac meritorum obiit anno quingentesimo trigesimo tertio. Corpus ejus in aedicula sancti Christophori mox sepultum, sed varias deinde in urbes bellorum causa delatum, denique in Basilicam Rhemis ejus nomine appellatam a Leone Papa Nono hac die translatum est.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: ✻ Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Homo peregre, de Communi primo loco.

DIE II. OCTOBRIS.

In festo

S. Juliani Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Martyris.

Oratio. Praesta, quaesumus, omnipotens Deus: ut intercedente, de eodem Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno de Communi primo loco.

In tertio Nocturno de Communi secundo loco.

DIE III. OCTOBRIS.

In festo

S. Josephi Calasanctii a Matre Dei Confessoris.

Duplex.

Dies assignata ex 27. Augusti.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. praeter sequentia.

In Hymno Iste Confessor, mutatur tertius versus.

Oratio.

Deus, qui per sanctum Josephum Confessorem tuum ad erudiendam spiritu intelligentiae, ac pietatis juventutem, novum Ecclesiae tuae subsidium providere dignatus es: praesta, quaesumus; nos ejus exemplo, et intercessione ita facere, et docere, ut praemia consequamur aeterna. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Josephus Calasanctius a Matre Dei, Petraltae in Aragonia nobili genere natus, a teneris annis futurae in pueros charitatis, et eorum institutionis indicia praebuit. Nam adhuc parvulus, eos ad se convocatos, in mysteriis fidei, et sacris precibus erudiebat. Humanis divinisque litteris egregie doctus, cum studiis theologicis Valentiae operam daret, nobilis potentisque foeminae illecebris fortiter superatis, virginitatem, quam Deo voverat, inoffensam insigni victoria servavit. Sacerdos ex voto factus, a compluribus Episcopis in Castellae Novae Aragoniae, et Catalauniae regnis in partem laboris adscitus expectationem omnium vicit, pravis ubique moribus emendatis, ecclesiastica disciplina restituta, inimicitiis, cruentisque factionibus mirifice extinctis. At coelesti visione, et Dei voce frequenter admonitus Romam profectus est.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

In Urbe summa vitae asperita-

te, vigiliis et jejuniis corpus affligens, in orationibus et coelestium rerum contemplatione dies noctesque versabatur; septem ejusdem Urbis Ecclesias, singulis fere noctibus obire solitus: quem inde morem complures annos servavit. Dato piis sodalitatibus nomine, mirum, quanto ardore pauperes, infirmos, potissimum autem carceribus detentos, eleemosynis, omnique pietatis officio sublevaret. Lue Urbem depopulante, unacum sancto Camillo, tanto fuit actus impetu charitatis, ut praeter subsidia aegrotis pauperibus large collata, ipsa etiam defunctorum cadavera suis humeris tumulanda transferret. Verum cum divinitus accepisset, se ad informandos intelligentiae, ac pietatis spiritu adolescentulos, praecipue pauperes, destinari, Ordinem clericorum Regularium pauperum Matris Dei scholarum Piarum fundavit, qui peculiarem curam circa puerorum eruditionem ex proprio instituto profiterentur; ipsumque Ordinem Clementi Octavo, Paulo Quinto, aliisque summis Pontificibus magnopere probatum, brevi tempore per plurimas Europae provincias, et Regna mirabiliter propagavit. In hoc autem tot labores perpessus est, ac tot aerumnas invicto animo toleravit, ut omnium voce miraculum fortitudinis, et sancti Jobi exemplum diceretur.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad.

Lectio VI.

Quamvis Ordini universo praeesset, totisque viribus ad animarum salutem incumberet, numquam tamen intermisit pueros, praesertim pauperiores, erudire, quorum scholas verrere, eosque domum comitari consuevit. In eo summae patientiae, et humilitatis munere, valetudine etiam infirma, duos et quinquaginta annos perseveravit: dignus propterea, quem crebris Deus miraculis coram discipulis illustraret, et cui beatissima Virgo cum puero Jesu illis orantibus benedicente appareret. Amplissimis interim dignitatibus repudiatis, prophetia, abdita cordium et absentia cognoscendi donis, et miraculis clarus, Deiparae Virginis, quam singulari pietate et ipse ab infantia coluit, et suis maxime commendavit, aliorumque coelitum frequenti apparitione dignatus, cum obitus sui diem, et Ordinis tunc prope eversi restitutionem, atque incrementum praenuntiasset, secundum et nonagesimum annum agens, Romae obdormivit in Domino octavo Kalendas Septembris anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo. Ejus cor et lingua post saeculum integra et incorrupta

reperta sunt. Ipse vero, multis post obitum quoque signis a Deo illustratus primum a Benedicto Decimoquarto Beatorum cultu decoratus fuit, ac deinde a Clemente Decimotertio inter Sanctos solemniter est relatus.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 18.

Lectio VII.

In illo tempore accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Quis putas major est in regno coelorum? Et reliqua.

Homilia

Sancti Joannis Chrysostomi.

In Cap. 18. Matth. Homilia 60.

Videte, ne aliquem istorum contempseritis parvulorum, quia eorum Angeli Patris mei faciem semper aspiciunt, et quia ego propter eos veni, et haec Patris mei voluntas est. Ad tuendos, conservandosque pusillos diligentiores nos reddit. Perspicis, quam ingentia in tutelam tenuium moenia erexerit; et quantum studium, curamque habeat, ne perdantur; tum quia supremas decipientibus eos poenas statuit, tum quia summam pollicetur mercedem his, qui curam eorum suscipiunt: idque tam suo, quam Patris exemplo corroborat.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. Ipse.

Lectio VIII.

Dominum igitur etiam nos imitemur, et nihil pro fratribus omittamus etiam eorum, quae humilia, viliaque nimium videntur: sed si administratione nostra etiam opus fuerit, quamvis tenuis, atque abjectus quidem, cui administrandum sit, fuerit, quamvis ardua nobis res, atque laboris plena esse videatur; omnia haec pro fratris salute tolerabiliora, facilioraque, oro, videantur. Tanto enim studio, tantaque cura Deus dignam esse animam ostendit, ut neque Filio suo pepercerit.

℟. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

℣. Vigilate ergo, quia nesci-

tis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio IX.

Si non est nobis satis ad salutem, quod virtuose ipsi vivamus, sed oportet aliorum salutem re ipsa desiderare; cum neque nos recte vivamus, neque alios hortemur, quid respondebimus? quae nobis spes salutis reliqua erit? quid majus, quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? Omni certe pictore, omni certe statuario, caeterisque hujusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui juvenum animos fingere non ignoret.

Te Deum laudamus.

DIE X. OCTOBRIS.

In festo Ss. Gereonis et Sociorum Martyrum.

Duplex.

Omnia de Communi plurimor. Mart. praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nos concedis sanctorum Martyrum tuorum Gereonis et Sociorum ejus solemnitate gaudere: concede propitius, ut quorum merita celebramus, accendamur exemplis. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Quo tempore Diocletianus et Maximianus Cæsares in excidium Christiani nominis tota Romani Imperii mole proruere videbantur, selectissimam Thebaeorum militum aciem opposuit Deus hostibus efferatissimis, ut admirabili certamine, et glorioso tantorum Martyrum sanguine sancta Ecclesia splendidius coruscaret. In ea vero legione post beatum Mauritium tribunum, duces Victor, Florentius ac Gereon Christiana virtute non minus, quam bellica fortitudine praecellebant. Hi primo cum Sociis ab Hierosolymitano Episcopo baptizati, ac deinde Romae, cum ex Aegypto in Gallias bellaturi proficiscerentur, a beato Marcellino Pontifice in sanctae virtutis proposito egregie confirmati, quomodo sub armis Romanae militiae, Christianae Religionis conservanda esset innocentia didicerunt. Itaque studio servandae verae Fidei vehementer incensi, in unam simul omnes convenere sententiam, ut contra hostes publicos edictis Imperatoris obedirent, contra susceptae Fidei religionem Imperatorem nullum agnoscerent; rati nimirum se longe nobilius pro coelestis Regni gloria, quam pro Romani Imperii salute decertaturos.

℟. Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, servientes praeceptis tuis, ut inveniren-

tur illaesi in aquis validis: * Terra apparuit arida, et in mari rubro via sine impedimento.

℣. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquae, et torrentes inundaverunt. Terra.

Lectio V.

Postquam ergo apud Agaunum Vallesiae oppidum sanctus Mauritius et Socii nefarium Imperatoris praeceptum de thure idolis adolendo strenue detrectantes crudeliter caesi sunt, omnis ethnicorum rabies in Victorem, Florentium, Gereonem et caeteros, qui de Thebaea legione supererant, versa est. Illi autem fortissimorum audita commilitonum nece, meliorum aemulatione charismatum excitati, eo amplius in oblatae sibi martyrii coronae desiderium exarserunt. Ac primo quidem Florentius una cum Cassio ac septem aliis Christianam Fidem fortiter asserens apud aram Ubiorum ad Rheni fluminis ripam gladio caesus est. Progressi vero scelesti milites ac tortores, Gereonem ejusque Socios tercentos decem et octo scuto fidei et galea divinae charitatis armatos sanctum Jesu Christi nomen constantissime confitentes, seque ad mortem pro eo fortiter obeundam invicem cohortantes, in Coloniae Agrippinae campis obtruncant. Demum Victor aliique tercenti triginta milites, quos ducebat, apud Trojam Francorum oppidum pro ejusdem Fidei confessione martyrium pariter subierunt.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut haeredes fierent in domo Domini.

℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut haeredes.

Lectio VI.

Sancti vero Gereonis et Sociorum Martyrum veneranda corpora ab insanis lictoribus raptata per agros, in puteum projecta sunt, qui locus ad Martyres ab incolis appellatur. Ibi postmodum Helena Constantini Imperatoris mater amplissimam Ecclesiam et Monasterium extruxit, eumdemque locum plurimis omnipotens Deus virtutibus et miraculis illustravit. Illud autem in primis celebre, quod Evergistus Coloniensis Episcopus, cum acerbissimo capitis dolore torqueretur, ad tumulum sanctorum Martyrum orans, incipiensque versiculum illum: Exultabunt Sancti in gloria: protinus voce ex aditu venerabilium cinerum mirabiliter erumpente, responsum audivit: Laetabuntur in cubilibus suis. Quare stupefactus Antistes, omni populo in loci laudibus exultante, pulverem tumulo circumjacentem capiti suo imposuit, statimque ex dolore convaluit. Porro sancti Martyris Gereonis ossa aliquot ex Aquilejensi Basilica translata, in Utinensi Cathedrali Ecclesia religiose asservantur.

℟. Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum: ✻ Quoniam donum et pax est electis Dei.

℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: et fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Cum persequentur vos in civitate ista, ut in Festo S. Blasii die 3. Februarii, pag. 44.

DIE XI. OCTOBRIS.

In festo
S. Justinae Virginis et Mart.

Duplex.

Omnia de Communi Virg. Mart. praeter sequentia.

Oratio. Deus qui inter caetera, de Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Justina Virgo et Martyr orta Patavii, nobilissimos habuit genitores, Vitalianum urbis praesidem, et Praepedignam. Hos miraculis erga illos exhibitis in Christiana Fide, quoad vixerunt, sancte confirmatos, Prosdocimus Episcopus, tamquam Apostolici sui ministerii primitias, Deo consecravit. Vitalianum lethifero morbo laborantem pristinae restituit incolumitati, et Praepedignae omni prolis habendae destitutae spe, filiam a Domino suis precibus obtinuit. Hanc baptismali lavacro ablutam piissimi parentes sanctissimo Viro erudiendam tradiderunt. Quantum vero sub tanto magistro in omni Christianarum virtutum genere profecerit Justina, satis ab ipsa infantia ostendit eximium, quod dedit, laudabilis ac integerrimae vitae specimen. Parentibus orbata, praecipuas sui praeceptoris virtutes ad imitandum sibi proponens, coaetaneas adolescentes continentia, temperantia et charitate superabat. Cumque secum saepissime cogitaret, Deum tota mente diligendum esse, ab omni rerum humanarum studio illam abducere satagebat. Quare in coelestibus meditationibus quotidie occupata, Sponso suo Christo perpetuam virginitatem obtulit, vovitque potius mori, quam se ullo carnis inquinamento foedare.

℟. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: ✻ Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Et deducet.

Lectio V.

Per haec tempora in Ecclesia Patavina facta est maxima Christianorum persecutio, cum quidam, Maximianus nomine, Mediolano

digressus Patavium cum praesidis auctoritate, defuncto Vitaliano, advenisset. Crudelis homo multa Christifidelium cruentabatur caede, dum saevissimi Neronis jussa executurus omnes ad idola veneranda compelleret, et praesertim Justinam, cujus pulchritudini et divitiis inhiabat, in eorum cultum traducere conaretur. Interea Virgini nulla transibat dies a Christianae pietatis exercitiis vacua: his, qui carceribus inclusi, qui in ergastulis erant, suis facultatibus succurrebat, singulosque ad Fidei constantiam, atque ad tolleranda pro Christi amore quaevis tormenta sedulo hortabatur. Sed cum quadam die ab hisce charitatis officiis in suburbanum suum praedium curru vecta rediret, vidit insequentes se Maximiani satellites, de cujus procaci nequitia dubitans, sollicita fuga ab eorum manibus elabi studuit, sed frustra. Itaque in perangusto marmorei pontis transitu deprehensa, jussa est descendere; quae impiae turbae statim obtemperans exiliens, genibusque super durum saxum positis, enixe Deum deprecata est, ne suum corpus ab impurissimo homine violari permitteret. Exauditae precis fuere testes impressa utriusque genu vestigia, quae in silicis duritie, quavis cera molliore relicta, ad hoc tempus conspiciuntur Venetiis in Templo eidem Virgini et Martyri sacro.

℟. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae.

℣. Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam. Propterea.

Lectio VI.

Maximianus Justinae coram se productae modo placidus, modo minax, prospera cuncta promittere, objicere de Religione, quam illa profitebatur, insaniam, irasci et succensere, quod claro progenita sanguine plebejam Christianorum vitam ageret, non desistebat. Quare aut deos coleret, aut se perituram certo sciret tamquam immortalium numinum contemptricem. Porro Virgo nec blanditiis delinita, nec minis territa, respondit, se humilem Christianorum vitam pluris aestimare, quam regum genus et opulentiam, veraeque Fidei mancipatam uni Deo vivo servire velle, non surdis famulari stipitibus hominumque figmentis, quae diabolus ad perdendas animas excogitavit. Exardescens in iram Maximianus, subitoque furore percitus, quia se delusum, speque sua lapsum vidit. Virginem a conspectu amotam imperat pugione transfodi. Damnata nece Justina gratias Deo coepit agere, quod Christiana Fide ab incunabulis erudita, constans in eadem usque ad exoptatam mortem perseverasset. Haec et alia orantis carnifex per pectus pugionem capulo tenus adegit, stupentibus qui aderant sexdecim

annorum Juvenem tam forti animo mortem oppetere. Corpus a Christianis elatum, Prosdocimus Episcopus offerens Deo virginitatis et patientiae fructus, quos in Justina seminaverat, in urna seorsum ab ea, in qua parentes ejus tumulaverat, prope Deiparae Sacellum ad pratum Vallis reposuit. Martyrium consummavit beata Justina nonis Octobris ultimo Neronis anno.

℟. Afferentur Regi virgines post eam, proximae ejus * Afferentur tibi in laetitia et exultatione.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Afferentur. Gloria Patri. Afferentur.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Simile erit regnum coelorum decem virginibus, de Communi primo loco.

DIE XII. OCTOBRIS.

In festo

S. Maximiliani Episcopi et Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nos beati Maximiliani Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate laetificas: concede propitius, ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Maximilianus Celejae in Pannonia Christianis ac claris parentibus natus, ab ineunte aetate in timore Dei, litterarumque studiis honeste educatus, praeclarae semper indolis et specialis pietatis specimen praesetulit. Annis adolescentiae cum magna vitae innocentia et integritate exactis, cum multis praecelleret virtutibus, tamen benignitas in pauperes maxime in eo enituit, quorum egestati et miseriis sublevandis sic studuit, ut opes etiam amplas a parentibus sibi relictas in egentium usus Christi nomine erogarit. Quod benefaciendi studium per omnem vitam insigni laude coluit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Nec latuit virtutum ejus splendor; vacante enim Episcopatu Laureacensi, communi totius Cleri populique voto Episcopus Lau-

reacensis, ipso plurimum, sed frustra reluctante, designatur. Quo in munere talem se charitatis affectu, humilitate profunda, patientia, omnique virtutum exercitio exhibuit, qualem dignitatis sanctitudo postulabat. Ad limina Apostolorum Romam profectus, accepta a Xysto Secundo benedictione, ad suos revertitur, ubi colendo Domini agro in magno desudans, laboribus, sanctissimo vitae exemplo, et salutaribus monitis multos ad salutis viam perduxit.

℟. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

Lectio VI.

Cum jam per Episcopatum suum disseminatae Fidei plantas, incrementum dante Domino, succrescere cerneret, patriae in infidelitatis errore adhuc detentae misertus, in Pannoniam ejus juvandae zelo revertitur. Ubi cum in umbra mortis sedentes praedicando ad lumen veritatis dirigere conaretur, ab Ejulasio praeside comprehensus, ob constantissimam Christianae Fidei confessionem capitis obtruncatione martyrii gloriam adeptus est. Ejus sacra ossa Passavii in Basilica sancti Stephani extra chorum debito honore asservantur.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus: et aqua sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Si quis venit ad me, de Communi primo loco.

DIE XIV. OCTOBRIS.

In festo

S. Callisti Papae et Martyr.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nos conspicis ex nostra infirmitate deficere: ad amorem tuum nos misericorditer per Sanctorum tuorum exempla restaura. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Callistus Romanus, praefuit Ecclesiae Antonino Heliogabalo Imperatore. Constituit quatuor anni tempora, quibus jejunium ex Apostolica traditione acceptum ab omnibus servaretur. Aedificavit Basilicam sanctae Mariae Transtyberim; et in via Appia vetus

coemeterium ampliavit, in quo multi sancti Sacerdotes et Martyres sepulti sunt; unde ab eo Callisti coemeterium appellatur.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Descenditque cum illo in foveam: et in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio V.

Ejusdem pietatis fuit, quod beati Calepodii Presbyteri et Martyris corpus jactatum in Tyberim conquiri diligenter curavit, et inventum honorifice sepelivit. Palmatium consulari, Simplicium senatoria dignitate illustres, Felicem ac Blandam, qui deinde omnes martyrium subiere, cum baptismo lustrasset, missus est in carcerem, ubi Privatum militem ulceribus plenum admirabiliter sanitati restitutum, Christo adjunxit; pro quo idem, recens adhuc a Fide suscepta, plumbatis usque ad mortem caesus occubuit.

℟. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

Lectio VI.

Sedit Callistus annos quinque, mensem unum, dies duodecim. Ordinationibus quinque mense Decembri creavit Presbyteros sexdecim, Diaconos quatuor, Episcopos octo. Post longam famem, crebrasque verberationes praeceps jactus in puteum, atque ita martyrio coronatus sub Alexandro Imperatore, illatus est in coemeterium Calepodii via Aurelia, tertio ab Urbe lapide, pridie Idus Octobris. Ejus postmodum corpus in Basilicam sanctae Mariae Transtyberim ab ipso aedificatam delatum sub ara majori maxima veneratione colitur.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus: et aqua sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Nihil est opertum, ut in Brev. sub hac die.

DIE XVI. OCTOBRIS.

In festo

S. Francisci Borgia Conf.

Semiduplex.

Dies assignata ex 10. Octobris. Omnia ut ibi.

DIE XX. OCTOBRIS.

In festo

S. Joannis Kantii Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. praeter sequentia.

AD I. VESPERAS.

Capitulum. Eccli. 31.

Beatus vir, qui inventus est sine macula: et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.

Hymnus.

Gentis Polonae gloria,
Clerique splendor nobilis,
Decus lycaei, et patriae
Pater, Joannes inclyte;
Legem superni Numinis
Doces magister, et facis:
Nil scire prodest; sedulo
Legem nitamur exequi.
Apostolorum limina
Pedes viator visitas;
Ad patriam, quam tendimus,
Gressus viamque dirige.
Urbem petis Jerusalem,
Signata sacro sanguine
Christi colis vestigia,
Rigasque fusis fletibus.
Acerba Christi vulnera
Haerete nostris cordibus,
Ut cogitemus consequi
Redemptionis pretium.
Te prona mundi machina
Clemens adoret Trinitas,
Et nos novi per gratiam
Novum canamus canticum.
Amen.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum.

℟. Stolam gloriae induit eum.

Ad Magnificat. Antiphona.

Similabo eum viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram.

Oratio.

Da, quaesumus omnipotens Deus: ut sancti Joannis Confessoris exemplo in scientia Sanctorum proficientes, atque aliis misericordiam exhibentes, ejus meritis indulgentiam apud te consequamur. Per Dominum nostrum.

Commem. praecedentis, ut in Brev.

AD MATUTINUM.

Hymnus.

Corpus domas jejuniis,
Caedis cruento verbere,
Ut castra poenitentium
Miles sequaris innocens.
Sequamur et nos sedulo
Gressus parentis optimi;
Sequamur, ut licentiam
Carnis refrenet spiritus.
Rigente bruma providum
Praebes amictum pauperi,
Sitim famemque egentium
Esca potuque sublevas.
O qui negasti nemini
Opem roganti, patrium
Regnum tuere, postulant
Cives Poloni, et exteri.
Sit laus Patri, sit Filio,
Tibique sancte Spiritus:

Preces Joannis impetrent
Beata nobis gaudia. Amen.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio. IV.

Joannes in oppido Kenty Cracoviensis Dioecesis, a quo Kantii cognomen duxit, Stanislao et Anna, piis et honestis parentibus natus, morum suavitate, innocentia, gravitate ab ipsa infantia spem fecit maximae virtutis. In universitate Cracoviensi philosophiae ac theologiae primum auditor, tum per omnes academiae gradus ascendendo professor ac doctor, sacra, quam annis multis tradidit, doctrina mentes audientium non illustrabat modo, sed et ad omnem pietatem inflammabat, simul docens scilicet, et faciens. Sacerdos factus, nihil de litterarum studio remittens, studium auxit christianae perfectionis. Utque passim offendi Deum maxime dolebat, sic eum sibi et populo placare oblato quotidie non sine multis lacrymis incruento Sacrificio satagebat. Ilkusiensem parochiam annis aliquot egregie administravit; sed animarum periculo commotus postea dimisit, ac postulante academia ad pristinum docendi officium rediit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum, * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit illi.

Lectio V.

Quidquid temporis a studio supererat, partim saluti proximorum sacris praesertim concionibus curandae, partim orationi dabat, in qua coelestibus quandoque visionibus et colloquiis dignatus fertur. Christi vero passione sic afficiebatur, ut in ea contemplanda totas interdum noctes duceret insomnes, ejusque causa melius recolendae Jerosolymam peregrinatus sit: ubi et martyrii desiderio flagrans, Turcis ipsis Christum crucifixum praedicare non dubitavit. Quater etiam ad Apostolorum limina pedes, atque viaria onustus sarcina Romam venit, tum ut Sedem Apostolicam, cui maxime addictus fuit, honoraret, tum ut sui (sic enim ajebat) purgatorii poenas, exposita illic quotidie peccatorum venia, redimeret. Quo in itinere a latronibus olim spoliatus, et numquid haberet praeterea, interrogatus, cum negasset, aureos deinde aliquot suo insutos pallio recordatus, fugientibus hos etiam clamans obtulit latronibus: qui viri sancti candorem simul, et largitatem admirati etiam ablata ultro reddidere. Alienae famae ne quis detraheret, descriptis beati Augustini exemplo in pariete versiculis,

se atque alios perpetuo voluit admonitos. Famelicos de suo etiam obsonio satiabat. Nudos autem non emptis modo, detractis quoque sibi vestibus et calceis operiebat, demisso ipso interim usque ad terram pallio, ne domum nudipes redire videretur.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad portas.

Lectio VI.

Brevis illi somnus, atque humi; vestis, quae nuditatem, cibus, qui mortem dumtaxat arceret; virginalem pudicitiam velut lilium inter spinas aspero cilicio, flagellis atque jejuniis custodivit. Quin et per annos ante obitum triginta circiter et quinque ab esu carnium perpetuo abstinuit. Tandem dierum juxta, ac meritorum plenus, cum vicinae, quam praesensit, morti se diu, diligenterque praeparasset, ne qua re amplius teneretur, si quid domi supererat, id omnino pauperibus distribuit. Tum Ecclesiae sacramentis rite munitus, dissolvi jam cupiens, et esse cum Christo, pridie Nativitatis ejus in coelum evolavit, miraculis ante et post mortem clarus. Mortuus ad proximam academiae Ecclesiam sanctae Annae delatus est, ibique honorifice sepultus, auctaque indies populi veneratione ac frequentia, inter primarios Poloniae, ac Lythuaniae patronos religiosissime colitur. Novisque coruscans miraculis a Clemente Decimo tertio Pontifice maximo, decimo septimo Kalendas Augusti, anno millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, solemni ritu Sanctorum fastis adscriptus est.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coràm me ex omnibus gentibus.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia te vidi. Gloria Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Sint lumbi vestri praecincti, ut in Communi Conf. non Pontif. primo loco.

AD LAUDES

Hymnus.

Te deprecante corporum
Lues recedit, improbi
Morbi fugantur, pristina
Redeunt salutis munera.
Phthisi, febrique, et ulcere
Diram redactos ad necem,
Sacratas mortis victimas
Ejus rapis e faucibus.
Te deprecante, tumido
Merces abactae flumine,
Tractae Dei potentia
Sursum fluunt retrogradae.

Cum tanta possis sedibus
Coeli locatus, poscimus,
Responde votis supplicum,
Et invocatus subveni.
O una semper Trinitas!
O Trina semper unitas!
Da supplicante Kantio
Aeterna nobis praemia. Amen.

Si contingeret, dici secundas Vesperas S. Kantii integras, tunc dicitur praecedens Hymnus Te deprecante, in secundis Vesperis, ad Laudes vero sumitur ex primis Vesperis.

DIE XXI. OCTOBRIS.

In festo

Ss. Ursulae et Sociar. Virg. Martyrum.

Duplex.

Omnia de Communi praeter sequentia.

In utrisque Vesperis et Laudibus.

℣. Adducentur Regi Virgines post eam.

℟. Proximæ ejus afferentur tibi.

Antiph. Prudentes Virgines, aptate vestras lampades: ecce sponsus venit, exite obviam ei.

Oratio.

Da nobis, quaesumus Domine Deus noster, sanctarum Virginum et Martyrum tuarum Ursulae et Sociarum ejus palmas incessabili devotione venerari: ut quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum.

Et fit commem. S. Hilarionis Abbatis.

Oratio. Intercessio nos.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Ursula Dionoci Cornubiae Christiani regis filia adeo Christo Domino et virginitati dedita fuit, ut a Connano Britanniae regulo in matrimonium postulata, nonnisi invita pertraheretur. Cum enim Maximianus tyrannus Gratiani Imperium invadens, Armoricos e Galliis profligasset, vacuam provinciam Britannis militibus assignavit. Connanus autem militiae dux, ut posteritati suae, suorumque militum consuleret, missa ad Dionocum legatione, pro se uxorem petebat Ursulam, ac pro aliis militibus singulas virgines, quae novam Coloniam novo populo propagarent.

℟. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna. Et deducet.

Lectio V.

Virgines ergo Londini coactae cum naves et mare ingressae in Armoricam tenderent, mox saevae tempestatis vi tota classis dissipatur, ac dejicitur, aliisque

naufragio pereuntibus, sola Ursula cum Sodalibus post multa pericula in barbaras insulas conjecta est, ubi Melga Pitorum et Gaunus Hunnorum piratae (qui comparato exercitu pro Gratiano adversus Maximianum mare et loca illa incursabant) in eas irruentes, uti in hostium foeminas, saevitia pugnarunt atque libidine.

℟. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae.

℣. Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam. Propterea.

Lectio VI.

Verum dum, Ursula hortante, Virgines vitae potius, quam pudicitiae pati dispendium delegissent, illi barbarico incensi furore, armis in ipsas irruperunt, omnemque multitudinem misere contrucidarunt. Quo facto Virgines virginitatem suam martyrii corona redemptam, coelesti Sponso gloriosa victoria consecrarunt. Sacra ipsarum corpora per universum prope Christianum orbem distributa, majori ex parte Coloniae Agrippinae debita sanctis Martyribus veneratione coluntur.

℟. Afferentur Regi virgines post eam, proximae ejus * Afferentur tibi in laetitia et exultatione.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Afferentur. Gloria Patri. Afferentur.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 15.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit Regnum coelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsae. Et reliqua.

Homilia

Sancti Gregorii Papae.

Ex hom. 12. in Evang.

Quae autem paratae erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. O si sapere in cordis palatu possis, quid admirationis habet, quod dicitur: Venit sponsus; quid dulcedinis: Intraverunt cum eo ad nuptias; quid amaritudinis: Clausa est janua! Venit quippe ille, qui adventu elementa concutit, in cujus conspectu coelum et terra contremiscit. Unde etiam per Prophetam dicit: Adhuc semel, et ego movebo non solum terram, sed etiam coelum. Ad cujus examen omne humanum genus deducitur, cui ad vindictam malorum, remunerationemque bonorum Archangeli, Throni, Principatus et Dominationes obsequuntur.

℟. Haec est virgo sapiens,

quam Dominus vigilantem invenit, quae acceptis lampadibus, sumpsit secum oleum: * Et veniente Domino, introivit cum eo ad nuptias.

℣. Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Et veniente.

Lectio VIII.

Pensate, fratres charissimi, ante conspectum tanti Judicis qui in illo die terror erit, quando jam in poena remedium non erit! Quae illa confusio, cui reatu suo exigente, continget in conventu omnium Angelorum hominumque erubescere! Qui pavor, eum, quem tranquillum humana mens capere non valet, etiam iratum videre! Quanta vero tunc erit electorum laetitia, qui de ejus merentur visione gaudere, de cujus conspectu vident et elementa omnia contremiscere? Tunc regni janua lugentibus claudetur, quae modo hodie poenitentibus aperitur. Erit namque et tunc poenitentia, sed fructuosa non erit, quia nequaquam tunc veniam invenit, qui modo aptum veniae tempus perdit.

℟. Media nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exite obviam ei.

℣. Prudentes virgines, aptate vestras lampades. Ecce sponsus. Gloria Patri. Ecce sponsus.

Pro S. Hilarione Abbate.

Lectio IX.

Hilarion ortus Tabathae in Palaestina ex parentibus infidelibus, Alexandriam missus studiorum causa, ibi morum et ingenii laude floruit, ac Jesu Christi suscepta Religione, in fide et charitate mirabiliter profecit. Frequens enim erat in Ecclesia, assiduus in jejunio et oratione: omnes voluptatum illecebras et terrenarum rerum cupiditates contemnebat. Cum autem Antonii nomen in Aegypto celeberrimum esset, ejus videndi studio in solitudinem contendit: apud quem duobus mensibus omnem ejus vitae rationem didicit. Domum reversus, mortuis parentibus, facultates suas pauperibus dilargitus est: necdum quintumdecimum annum egressus, rediit in solitudinem, ubi extructa exigua casa, quae vix ipsum caperet, humi cubabat. Nec vero saccum, quo semel amictus est, umquam aut lavit, aut mutavit, cum supervacaneum esse diceret, munditias in cilicio quaerere. In sanctarum litterarum lectione et meditatione multus erat. Paucas ficus et succum herbarum ad victum adhibebat, nec illis ante solis occasum vescebatur. Continentia et humilitate fuit incredibili. Quibus, aliisque virtutibus varias, horribilesque tentationes diaboli superavit, et innumerabiles daemones in multis orbis terrae partibus ex hominum corporibus ejecit. Qui oc-

togesimum annum agens, multis aedificatis monasteriis, et clarus miraculis, in morbum incidit: cujus vi cum extremo pene spiritu conflictaretur, dicebat: Egredere, quid times? egredere anima mea quid dubitas? septuaginta prope annis servisti Christo, et mortem times? Quibus in verbis spiritum exhalavit.

Te Deum laudamus.

In Laudibus commem. S. Hilarionis. Oratio. Intercessio nos.

DIE XXII. OCTOBRIS.

In festo

S. Fidei Virginis et Mart.

Semiduplex.

Omnia de Communi Virg. et Martyr.

Oratio. Indulgentiam, de eodem Communi.

In primo Nocturno, Lectiones et Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno de Communi secundo loco.

In tertio Nocturno de eodem Communi primo loco.

DIE XXIV. OCTOBRIS.

In festo

S. Raphaëlis Archangeli.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Antiph. Missus est Angelus Raphaël, cum reliquis de Laudibus. Psalmi de Dominica, et loco ultimi, Psal. Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. Tob. 12.

Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.

Hymnus.

Tibi, Christe, splendor Patris,
Vita, virtus cordium,
In conspectu Angelorum
Votis, voce psallimus:
Alternantes, concrepando
Melos damus vocibus.
Collaudamus venerantes
Omnes coeli Principes,
Sed praecipue fidelem
Medicum, et comitem
Raphaëlem, in virtute
Alligantem daemonem.
Quo custode procul pelle,
Rex Christe piissime,
Omne nefas inimici:
Mundo corde et corpore
Paradiso redde tuo
Nos sola clementia.
Gloriam Patri melodis
Personemus vocibus:
Gloriam Christo canamus,
Gloriam Paraclito:
Qui trinus et unus Deus
Extat ante saecula. Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.

℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Ad Magnificat, Antiphona. Ego sum Raphaël Angelus, qui asto ante Dominum: vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus.

Oratio.

Deus, qui beatum Raphaëlem Archangelum Tobiae famulo tuo comitem dedisti in via: concede nobis famulis tuis; ut ejusdem semper protegamur custodia, et muniamur auxilio. Per Dominum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Regem Archangelorum Dominum: * Venite adoremus.

Psal. Venite, exultemus.

Hymnus. Tibi, Christe, ut supra.

In primo Nocturno.

Antiph. Ingressus Tobias invenit juvenem praecinctum, et quasi paratum ad ambulandum; et ignorans, quod Angelus esset, salutavit eum.

Psalmi ut in Dedicatione S. Michaëlis, 29. Septembris.

Antiph. Angelus Raphaël seipsum occultans, ait: Ego sum Azarias magni Ananiae filius.

Antiph. Sanum ducam filium tuum in regionem Medorum, et sanum tibi reducam, alleluja.

℣. Data sunt Angelo incensa multa.

℟. Ut adoleret ea ante altare aureum, quod est ante oculos Domini.

De libro Tobiae. Cap. 12.

Lectio I.

Vocavit ad se Tobias filium suum, dixitque ei: Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum? Et respondens Tobias dixit patri suo: Pater quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? Me duxit et reduxit sanum, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit, et daemonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus ejus fecit, meipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen coeli, et bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad haec poterimus dignum dare? Sed peto te, pater mi, ut roges eum, si forte dignabitur medietatem de omnibus, quae allata sunt, sibi assumere.

℟. In illo tempore exauditae sunt preces amborum in conspectu gloriae summi Dei: * Et missus est Angelus Domini sanctus Raphaël, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatae.

℣. Tobias et Sara in tribulatione positi orare coeperunt. Et missus.

Lectio II.

Et vocantes eum, pater scilicet et filius, tulerunt eum in partem, et rogare coeperunt, ut dignaretur dimidiam partem omnium, quae attulerant, acceptam habere. Tunc dixit eis occulte: Benedicite Deum

coeli, et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Etenim sacramentum regis abscondere, bonum est: opera autem Dei revelare et confiteri, honorificum est. Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna magis quam thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam aeternam. Qui autem faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animae suae. Manifesto ergo vobis veritatem, et non abscondam a vobis occultum sermonem. Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.

℟. Egressus Tobias invenit juvenem splendidum stantem præcinctum, et quasi paratum ad ambulandum; et salutavit eum, et dixit: ✻ Unde te habemus, bone juvenis?

℣. Et ignorans, quod Domini Angelus esset, salutavit eum, et dixit: Unde te.

Lectio III.

Et nunc misit me Dominus, ut curarem te, et Saram uxorem filii tui a daemonio liberarem. Ego enim sum Raphaël Angelus, unus ex septem, qui astamus ante Dominum. Cumque haec audissent, turbati sunt, et trementes ceciderunt super terram in faciem suam. Dixitque eis Angelus: Pax vobis, nolite timere. Etenim cum essem vobiscum, per voluntatem Dei eram: ipsum benedicite, et cantate illi. Videbar quidem vobiscum manducare et bibere, sed ego cibo invisibili et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor. Tempus est ergo, ut revertar ad eum, qui me misit: vos autem benedicite Deum, narrate omnia mirabilia ejus. Et cum haec dixisset, ab aspectu eorum ablatus est, et ultra eum videre non potuerunt. Tunc prostrati per horas tres in faciem suam, benedixerunt Deum, et exurgentes narraverunt omnia mirabilia ejus.

℟. Ingressus Angelus ad Tobiam, salutavit eum, et dixit: Gaudium sit tibi semper: ✻ Forti animo esto: in proximo enim est, ut a Deo cureris.

℣. Et respondens Tobias, ait: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen coeli non video? Forti. Gloria Patri. Forti.

In secundo Nocturno.

Antiph. Dixit autem Angelus: Apprehende branchiam piscis, et trahe eum extra aquas.

Antiph. Obsecro te, Azaria frater, ut dicas mihi, quod remedium habebunt ista, quae de pisce servare jussisti.

Antiph. Lumina fel sanat, sed virtus cordis et jecoris diaboli expellit potestatem.

℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini.

℟. De manu Angeli.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 226. de tempore.

Lectio IV.

Beatus Tobias, qui panem suum noverat frangere esurienti, mercedem celerem mercenario praeparat laboranti. Patienter lectione percepta, quae nuper est recitata, admirabamur patris filiique tractatum, quemadmodum Angelus monet, quem aestimabant terrenum sub coelesti gloria mercenarium. Ad hoc enim caecitatis incurrit exitium, ut Angelum susciperet medicum, qui divinis facibus incensus sic anhelavit: Honesta est oratio cum jejunio et eleemosyna. Oratio justi clavis est coeli. Ascendit precatio, et descendit Dei miseratio. Licet alta sit terra, altum coelum, audit tamen Deus hominis linguam, si mundam habet conscientiam. Cum sensibus loquitur, si sit solus noster gemitus. Sufficit auribus imber oculorum: fletus citius audit, quam voces. Oratio invidi solet de auribus propulsari. Erat patris et filii anima una; dum esset proprietas membrorum, erat illis singularis germanitas animorum. Fili, inquit, dimittamus istum hominem, adjicientes ad mercedem placitam, quia nobis multa opere suo contulit bona, et rogare coepit mercenarium, ut mercedis suae sumat effectum. Frater, inquit, accipe, quod tuum est, et tunc vade salvus. Recipe mercedem tuam, quia mihi et filio meo bonam praebuisti misericordiam. Tolle, ut dixi, mediam substantiam, quàm cum filio meo reportasti: nam gratia, quam tibi debemus, non potest ponderari.

℟. Interrogavit Tobias Angelum: De qua domo, aut de qua tribu es tu? Qui respondens ait: ✻ Ego sum Azarias Ananiae magni filius.

℣. Genus quaeris mercenarii, an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat? Sed ne forte sollicitus sis. Ego sum.

Lectio V.

Continuo Angelus gaudet de cogitata mercede, qui missus fuerat gratis facere pietatem. Tobis, inquit, vel Tobias, quid de mea mercede satis superflue cogitatis? Habete, quod vobis donavit Pater ille coelestis. Ego minister sum curationis: ille est auctor sanitatis. Nescitis, cujus mercenarii ope perfrui meruistis? Defunctos captivitatis sepelire non timuistis: Tobis, ascenderunt ad Dominum opera tua, quia relicto prandio, reddidisti mortuum sepulturae. Ego Domino medullata intuli sacrificia pro venerabili sepultura. Ego directus sum operarius fori coelestis. Mor-

tuum sepelistis, et mortis aculeum non timuistis. Ipse sepultus pro vobis voce tacita proclamavit. Probationis fuerat coecitas oculorum, unde patientia tua clarius meruisset de coelestibus ornamentum. Ego sum Raphaël, unus ex septem Angelis, qui astamus ante claritatem Dei. Non indigeo fructu humanae mercedis; divitem me facit conversatio Majestatis. Dives est ille, qui me misit: gratis jussit impendi, quod gratis ipse concessit. Nec ipsum honorem gratiarum mihi deputetis, quia nihil meis viribus percepistis. Deum benedicite, et illi confitemini, et ipsum glorificate, quia vobiscum fecit bona.

℟. Exivit Tobias, ut lavaret pedes suos, et ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum: qui expavescens clamavit voce magna, dicens: Domine, invadit me. Et dixit ei Angelus: Apprehende branchiam ejus, et trahe eum ad te:* Exentera hunc piscem, et cor ejus, et fel, et jecur repone tibi: sunt enim necessaria ad medicamenta utiliter.

℣. Attraxit autem Tobias piscem in siccum, et palpitare coepit ante pedes ejus, et ait Angelus ei: Exentera.

Lectio VI.

Subito patefacto mysterii coelestis honore, voce Raphaëlis Archangeli attoniti Tobis et Tobias collapsi in terram proruerunt, vocem tremulam penitus occultaverunt, quia vocem insolitam audiverunt. Quid metuistis, pater Tobis filiusque Tobias? Mercenarium habere coelestem et tamquam operarium locare terrestrem? Celavit vobis Angelus nomen: Azarias sum, inquit, Ananiae magni filius; et non dixit: Ego sum Raphaël Angelus. Celavit in primo nomine dignitatem, ne faceret locatori terrorem. Si enim diceret: Ego sum Angelus, non esset Tobiae mercenarius. Servata est dignitas nominis, ut postremo magnitudo claresceret dignitatis. Videte, charissimi, quantum sit eleemosynae meritum: Angelum meruit habere operarium. Videtis quantum proficit mortuos sepelire, ut oblatio ejus per Angelum Raphaëlem ad coelestem ascenderet Majestatem. Videtis, quia eleemosyna a morte liberat, et ipsa purgat peccata, facit purgationem oculorum, liberat a tenebris peccatorum. Tobis in via sua deducitur; Sara tot viris contristata per Angelum matrimonio copulatur.

℟. Ubi introieris domum tuam, dixit Angelus Raphaël ad Tobiam, statim adora Dominum Deum tuum, et gratias agens ei, accede ad patrem tuum, et osculare eum:* Statimque lini super oculos ejus ex felle isto piscis, quem portas tecum: scias enim, quoniam mox aperientur oculi ejus, et videbit pater tuus lumen coeli, et in aspectu tuo gaudebit.

℣. Tolle tecum ex felle isto

piscis; erit enim necessarium. Statimque lini. Gloria Patri. Statimque lini.

In tertio Nocturno.

Antiph. Est hic Sara Raguelis filia, quae tibi conjugio dabitur, et omnis substantia ejus.

Antiph. Septem viros habuit, quos daemonium oppressit: timeo, ne mihi simile contingat.

Antiph. Per tres dies orationi cum uxore tua vacabis, ut in semine Abrahae benedictionem in filiis consequaris.

℣. Apprehendit Angelus Raphaël daemonium.

℟. Et relegavit illud in deserto superioris Aegypti.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 5.

Lectio VII.

In illo tempore: Erat dies festus Judaeorum, et ascendit Jesus Hierosolymam. Et reliqua.

Homilia

Sancti Augustini Episcopi.

Tract. 17. in cap. 5. Joan.

Mirum non esse debet a Deo factum miraculum, mirum enim esset, si homo fecisset. Magis gaudere, atque mirari debemus, quia Dominus noster et Salvator Jesus Christus homo factus est, quam quod divina inter homines Deus fecit. Plus est enim ad salutem nostram, quod factus est propter homines, quam quod fecit inter homines; et plus est, quod vitia sanavit animarum, quam quod sanavit languores corporum moriturorum.

℟. Benedicite Deum coeli, dixit Angelus Raphaël, et coram omnibus viventibus confitemini ei: ✱ Quia fecit vobiscum misericordiam suam.

℣. Ipsum benedicite, et cantate illi, et narrate omnia mirabilia ejus. Quia.

Lectio VIII.

Sed quia ipsa anima nec eum noverat, a quo sananda erat, et oculos habebat in carne, unde facta corporalia videret, nondum habebat sanos in corde, unde Deum latentem agnosceret: fecit, quod videri poterat, ut sanaretur, unde videri non poterat. Ingressus est locum, ubi jacebat magna multitudo languentium, coecorum, claudorum, aridorum.

℟. Tempus est, ut revertar ad eum, qui me misit, dixit Angelus Raphaël: ✱ Vos autem benedicite Dominum, et narrate omnia mirabilia ejus.

℣. Confitemini ei coram omnibus viventibus, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Vos autem. Gloria Patri. Vos autem.

Lectio IX.

Et cum esset medicus et animarum et corporum, et qui venisset sanare omnes animas crediturorum, de illis languentibus unum elegit, quem sanaret, ut

unitatem significaret. Si mediocri corde, et quasi humano captu et ingenio consideremus facientem, et quod ad potestatem pertinet, non magnum aliquid perfecit; et quoad benignitatem parum fecit. Tot jacebant, et unus curatus est, cum posset uno verbo omnes erigere.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES

et per Horas, Antiphona.

Missus est Angelus Raphaël ad Tobiam et Saram, ut curaret eos.

Psal. Dominus regnavit, cum reliquis de Dominica.

Antiph. Ingressus Angelus ad Tobiam, salutavit eum, et dixit: Gaudium sit tibi semper.

Antiph. Forti animo esto, Tobias: in proximo enim est, ut a Deo cureris.

Antiph. Benedicite Deum coeli, et coram omnibus viventibus confitemini illi, quia fecit vobiscum misericordiam suam.

Antiph. Pax vobis, nolite timere: Deum benedicite, et cantate illi.

Capitulum. Tob. 12.

Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.

Hymnus.

Christe, sanctorum decus Angelorum,
Rector humani generis et auctor,
Nobis sacratum tribue benignus
Scandere coelum.

Angelum nobis medicum salutis
Mitte de coelis Raphaël, ut omnes
Sanet aegrotos, pariterque nostros
Dirigat actus.

Hinc Dei nostri genitrix Maria,
Totus et nobis chorus Angelorum
Semper assistat, simul et beata
Concio tota.

Praestet hoc nobis Deitas beata
Patris ac Nati, pariterque Sancti
Spiritus, cujus resonat in omni
Gloria mundo. Amen.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ego sum Raphaël Angelus, qui asto ante Dominum: vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus, alleluja.

Oratio.

Deus, qui beatum Raphaëlem Archangelum Tobiae famulo tuo comitem dedisti in via: concede nobis famulis tuis, ut ejusdem semper protegamur custodia, et muniamur auxilio. Per Dominum.

AD TERTIAM.

Antiph. Ingressus Angelus.

Capit. Quando orabas, ut supra.

℟. br. Stetit Angelus, * Juxta aram templi. Stetit.

℣. Habens thuribulum aureum in manu sua. Juxta.

Gloria Patri. Stetit.

℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini.

℟. De manu Angeli.

AD SEXTAM.

Antiph. Forti animo.

Capitulum. Tob. 12.

Et nunc misit me Dominus, ut curarem te, et Saram uxorem filii tui a daemonio liberarem. Ego enim sum Raphaël Angelus, unus ex septem, qui astamus ante Dominum.

℟. br. Ascendit fumus aromatum, * In conspectu Domini. Ascendit.

℣. De manu Angeli. In conspectu.

Gloria Patri. Ascendit.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

AD NONAM.

Antiph. Pax vobis.

Capitulum. Tob. 12.

Tempus est enim, ut revertar ad eum, qui me misit: vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus.

℟. br. In conspectu Angelorum, * Psallam tibi, Deus meus. In conspectu.

℣. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. Psallam tibi.

Gloria Patri. In conspectu.

℣. Adorate Deum.

℟. Omnes Angeli ejus.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, et loco ultimi, Psal. 137. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: * quoniam audisti, ex Vesperis feriae sextae.

Ad Magnificat, Antiphona. Princeps gloriosissime Raphaël Archangele, esto memor nostri; hic et ubique semper precare pro nobis Filium Dei.

Oratio ut supra.

DIE XXXI. OCTOBRIS.

In festo

S. Wolfgangi Episcopi et Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui nobis aeternae salutis beatum Wolfgangum Episcopum et ministrum tribuisti: praesta, quaesumus, ut quem

doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in coelis. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Wolfgangus, nobili in Suevia genere prognatus, rerum externarum fuit et sui contemptor egregius, solum ex animo Deum quaerens, honores amplissimos ab Henrico Trevirensium Episcopo sibi oblatos recusavit: illoque demortuo, pollicitationibus aliorum contemptis, monasticam tandem vitam, cujus semper desiderio flagraverat, est amplexus. Sacris Ordinibus a beato Udalrico initiatus, cum in Pannoniam praedicandi Evangelii causa se prius contulisset, propter conjunctam in eo eximia cum pietate prudentiam, Othonis Imperatoris studio, totiusque Cleri et populi acclamatione Ecclesiae Ratisbonensi rite praeficitur.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V.

Suscepto Episcopatus munere, gregem Domini verbo pavit et exemplo, sanctissimisque Ecclesiam temperavit institutis. Monasterio sancti Emmerani, quod jam diu Episcopi administraverant, restitutis proventibus, magno illius bono insignem virum Romualdum praeposuit. Sanctimonialium Coenobium, quod ipse fundaverat, tam sancte instituit, ut collapsa in aliis disciplina, eo exemplo sit facile restaurata, novoque pietatis odore capta Brigida, Bavariae Ducis filia, sponsum Christum secuta, ad sacras se virgines aggregavit. Bohemis, quo ampliora apud illos Fides incrementa caperet, contempto suæ Ecclesiae detrimento, rejectis aliorum consiliis, proprium dari Episcopum libentissime permisit.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

Egregiam Viri sanctitatem comprobarunt energumeni et variis languoribus oppressi, quos precatione sanavit. Divino afflatus instinctu, sanctum Henricum Imperatorem regnaturum, fratrem ipsius Brunonem ad Episcopatum promotum iri, e sororibus alteram Reginam, Abbatissam alteram fore praedixit. Denique cum viginti et amplius annis in seduli Pastoris munere peractis, extremum sibi diem imminere intelligeret, quae ex usitata liberalitate

supererant, per manus pauperum praemisit, sacraeque Eucharistiae viatico praemunitus, in sancti Othmari aede, ut divinitus antea futurum acceperat, sanctissimam vitam pari morte conclusit, Ratisbonae in templo sancti Emmerani sepultus.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: ✻ Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Vigilate, de Communi secundo loco, cum IX. lect. et commem. de Vigilia omnium Sanctorum.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE III. NOVEMBRIS.

In festo
S. Justi Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beatum Justum Martyrem tuum virtute constantiae in passione roborasti: concede propitius, ut qui ejus festum hodierna die celebramus, ejus quoque consortio perfruamur aeterno. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Justus ex Christianis parentibus Tergeste, Aquilejae Provinciae civitate, natus, sub Diocletiano et Maximiano principibus ferventi in Deum charitate, praecipua in pauperes misericordia, omnique genere virtutum floruit. A Manatio praefecto, qui ab eisdem principibus mandatum acceperat, occidendi quoscumque falsos deos venerari renuentes, accersitus, se Christianam Religionem profiteri, et Christum Jesum verum Deum et hominem venerari, inanesque gentium deos detestari libere respondit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: ✻ Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio V.

Cumque praeses nec pollicitationibus, nec minis Justum a sancto suo proposito dimovere valuisset, in obscurum tetrumque

carcerem detrudi mandavit, ubi assiduis precibus per totam noctem Deum deprecatus est, ut ad palmam martyrii sua summa miseratione eum perducere dignaretur. Mane sequenti e carcere eductus Manatio sistitur in eodemque proposito venerandi Christum Dominum viriliter permanens, ac falsis diis sacrificare recusans, denudari, ac diris flagellis caedi jussus est.

℟. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide praetioso. Et voluntate.

Lectio VI.

At cum non solum fortiter, verum etiam alacri animo eum praeses sustinere vim tormentorum prospiceret, ira commotus, jubet ut gravibus plumbi ponderibus ad ejus collum et manus alligatis, in mare demergeretur. Quod cum Justus audivit, vale dicto fratribus, suscipiens ipsemet pondera, quibus premebatur, festinans quasi ad epulas iturus, ad litus progreditur, ibique parva in scapha impositus, et in altum delatus, atque in profundum projectus, preces Deo fundens, eique gratias agens, martyrium consummavit tertio nonas Novembris. Fertur etiam, Sanctum eadem nocte cuidam Presbytero nomine Sebastiano apparuisse, eique imperasse, ut ejus corpus ad litus diruptis vinculis jam appulsum sepeliret, idque honorifice factum fuisse multis convenientibus Christianis.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus et aqua sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 12.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia

Sancti Augustini Episcopi.

Tract. 51. in Joan. sub medium.

Ipse Dominus Jesus erat granum mortificandum et multiplicandum: mortificandum infidelitate Judaeorum, multiplicandum fide populorum. Jam vero exhortans ad passionis suae sectanda vestigia: Qui amat, inquit, animam suam, perdet eam. Quod duobus modis intelligi potest. Qui amat, perdet: id est, si amas, perdes. Si cupis vitam tenere in Christo, noli mor-

tem timere pro Christo. Item alio modo: Qui amat animam suam, perdet eam: noli amare, ne perdas: noli amare in hac vita, ne perdas in aeterna vita.

℟. Corona aurea super caput ejus, * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa.

Lectio VIII.

Hoc autem, quod posterius dixi, magis habere videtur Evangelicus sensus. Sequitur enim: Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. Ergo, quod supra dictum est, qui amat (subintelligitur, in hoc mundo) ipse utique perdet; qui autem odit (utique in hoc mundo) in vitam aeternam ipse custodit eam. Magna et mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor, ut pereat, odium, ne pereat. Si male amaveris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.

℟. Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: * Qui minas judicum non timuit, nec terrenae dignitatis gloriam quaesivit, sed ad coelestia regna pervenit.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Qui minas. Gloria Patri. Qui minas.

Lectio IX.

Sed vide, ne tibi subrepat, ut teipsum velis interimere, sic intelligendo, quod debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni atque perversi homines, et in seipsis crudeliores et sceleratiores homicidae, flammis se donant, aquis se praefocant, praecipitio se collidunt, et pereunt. Hoc Christus non docuit; immo etiam diabolo praecipitium suggerenti respondit: Redi retro satanas, scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit, significans, qua morte clarificaturus erat Deum: Cum esses junior, cingebas te, et ambulabas quo volebas; cum autem senueris, alter te cinget, et feret quo tu non vis. Ubi satis expressit, non a seipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi.

Te Deum laudamus.

DIE V. NOVEMBRIS.

In festo S. Emerici Hungariae Ducis Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. praeter ea, quae hic assignantur.

Oratio.

Deus, qui beatum Emericum

juvenili flore nitentem, in Sanctorum tuorum consortium sublimasti: praesta quaesumus; ut quem tibi fecisti esse devotum, ejus apud te perpetuum sentiamus auxillium. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Emericus, beato Stephano Apostolo et Rege Hungariae patre, matre vero Gisela, Henrici Pii Imperatoris sorore, femina cumprimis pia: mox ab ipsis pueritiae annis, totum se pietatis ac devotionis studiis tradidit. Nocturnis horis, quibus alii, praesertim tenera aetate, somno ac quieti liberalius indulgere consueverunt, ipse collucentibus in cubiculo facibus, quae pro dignitate Regiae prolis adhibebantur, divinas laudes, Psalmosque Davidicos decantare magno devotionis fervore solebat, identidem ad ejusmodi laudum Psalmorumque finem veniam delictorum summa animi demissione a Divino Numine flagitando. Cujus pia exercitia, dum pater ipsius sanctus Stephanus crebrius observat, coelestem Patrem, e cujus manu datum hoc optimum se suscepisse gaudebat, laudat et glorificat; spe ampla concepta de futura filii insigni sanctitate et gloria.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: ✻ Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Ubi eos adolescentiae annos Emericus attigit, quibus ut plurimum ceteri voluptati sese dedere, animumque deliciis laxare soliti sunt: ipse mox sensibus et corpori fraenum continentiae injecit; eaque amplexus est, quae juveniles artus extenuando, corpus spiritui subjicerent. Vesprimii, uno dumtaxat amanuensi comite, aedem divo Georgio sacram nocte ingressus, pia obsecratione Deum percunctabatur, quid potissimum ab eo praestari vellet, quod foret ei acceptissimum. Cui, cum clara oborta luce responsum fuisset: Virginitatem placere: eam perpetuo colendam suscepit. Divino igitur auxilio ad eam conservandam, ardentibus assidue votis implorato, illibatam conservavit puritatem: intacta etiam regiae virginis integritate, quam volente patre desponsaverat.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: ✻ Et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad.

Lectio VI.

Quantum vero castitatis ac virginitatis virtute eminuerit Emericus, insigni hoc facto luculenter patuit. Erexerat pater ejus Stephanus nobile sancti Martini Coenobium in sacro monte Pannoniae, illudque Monachis Ordinis sancti Benedicti compleverat. Quod cum reviserat Rex, filio quoque Emerico praesente, prodeuntibus Regi obviam longo agmine Monachis, ut eum, qua decebat dignitate, exciperent, Rex sanctus praeire filium, ac Monachis occurrere jussit. Horum singulos Emericus molli amplexu et osculo sancto veneratus est: non aequali tamen, sed dispari numero oscula exhibuit, aliis bina, aliis trina, quibusdam quaterna, quinave, nonnullis etiam septena libando. Quod cum pater tunc tacitus considerasset, ex filio postea cognovit, eum oscula dispari numero, pro modo et tempore servatae continentiae, cuique Monachorum libasse, eosque quibus septena oscula libasset, perpetuam castitatem servasse. Ita nempe Deo gratam virginitatem ipse servabat, ut secreta castitatis, in aliis quoque divinitus noscere posset. Cum ad Regni gubernacula capessenda admovere sanctum juvenem pater vellet; Deo melius aliquid disponente, patre in vivis relicto, migravit in coelum, anno reparatae salutis millesimo trigesimo primo. Multis post mortem miraculis claruit. Quibus permotus Benedictus Octavus dictus, sanctum Emericum, unacum patre sancto Stephano, in Sanctorum catalogum retulit.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: ✻ Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno Homilia in Evangelium: Sint lumbi vestri praecincti, ut in Communi Conf. non Pontif. primo loco.

DIE VI. NOVEMBRIS.

In festo

S. Leonardi Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. praeter haec propria.

Oratio. Deus qui nos, de Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Leonardus genere nobili ortus in Francia, cum puer adhuc esset, a Clodoveo Francorum rege e sacro baptismi fonte Christiano ritu susceptus, et a beato Remigio Rhemensi Archiepiscopo

educatus, ab ipsa prima aetate virtutum omnium solida fundamenta jecit: nam Dei charitate fervens, et proximi dilectione, mundanis studiis renuntians, totum se Divino cultui et Apostolicae vitae consecravit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: ✻ Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Vix pueritiam egressus, carceratis visitandis et liberandis sedulam operam dedit; a rege nempe obtinuerat, ut in vincula conjectis, quos ipse visitasset, abscedendi libera potestas fieret. Munificus erat in pauperes, castus, modestus, rerum coelestium contemplationi addictus, ab omni ambitionis vitio ita alienus, ut in aulam a rege accitus, ad Episcopatum promovendus, imparem huic oneri se reputans, humiliorem vitam sibi ducendam esse duxerit.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: ✻ Et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad.

Lectio VI.

Inde in Aquitaniam perrexit divina revelatione admonitus, et tractum Bituricensem lustrans, regionem illam divini verbi praedicatione, et multis miraculis illustravit. Cum demum multa hominum millia ad Christi Fidem convertisset, in silvam quamdam agri Lemovicensis sese abdidit, ibique extructo in honorem Deiparae Virginis Monasterio, omnis virtutis, ac praecipue charitatis erga carceratos officiis, mirisque operibus clarus obdormivit in Domino octavo idus Novembris.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: ✻ Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Sint lumbi vestri, de Communi primo loco.

DIE VII. NOVEMBRIS.

In festo
S. Prosdocimi Episc. Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. praeter sequentia.

Oratio, Exaudi, de Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Prosdocimus natione Graecus,

cum Petro Apostolo, cujus erat discipulus, Antiochia Romam venit, et ab eodem ordinatus Episcopus, ad praedicandum Evangelium Patavium missus est, cum vix annum vigesimum attigisset. Ad provinciam sibi creditam accedens, plurimos prae foribus urbis reperit variis languoribus detentos, qui stipem ab introeuntibus postulabant. Sed quia non habebat quid eis largiretur, qui unica contentus tunica sine auro et argento peregrinabatur, singulis sanitatem se impertiturum promisit, quotiescumque rejecto idolorum cultu, ad unius veri et vivi Dei Religionem converterentur. Laeto omnes promptoque animo coelestis medici monitis ut paruere, lustrati aqua baptismatis incolumes statim, ac valentes ad suos intra civitatem redierunt. Viso a multis ex idololatris miraculo, non pauci in Deum, quem Prosdocimus praedicabat, credidere; illiusque fama cum ad aures perlata esset Vitaliani, qui urbi praesidebat, is prodigiosum Advenam arcessi jussit, sperans se posse aliquo inexcogitato remedio a lethali morbo, quo afflictabatur, convalescere. Prosdocimus in praesidis conspectum adductus, et interrogatus quo medicamine morbos quoque insanabiles curaret, non alio, respondit, nisi sincera ipsorum languentium fide in Deum, quem Christiani colunt, ac salutaris lavacri ablutione, in qua respuentes idola, quæ coeca veneratur gentilitas, Divini Numinis praeceptis se obtemperaturos profiterentur. His auditis Vitalianus confestim execrans simulacra gentium, dedit Christianae Religioni nomen, regeneratusque ex aqua et Spiritu, pristinam assecutus est incolumitatem. Praepedigna quoque uxor naturali laborans sterilitate, eamdem Fidem amplectens, filiam tandem peperit, quam e sacro fonte Justinam appellatam, Prosdocimus divinarum rerum scientia, et studio servandae perpetuae virginitatis erudivit.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: ℣ Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V.

Patavii credentium numerus quotidie magis augebatur, cujus incremento Vitalianus, excitato Sophiae, divinae nempe Sapientiae, templo, strenuam navabat operam; et Prosdocimi cum sanctimonia nomen vicina per oppida propagatum, maximum de illius adventu atque doctrina desiderium apud omnes excitabat. Cum itaque se non unam ad urbem et gentem esse missum sciret, quoniam plures aliae coelesti pabulo egebant, Atesten primum adiit, mox Vicentiam, deinde Asilum et

Altinum progressus, circumeundo vicos et castella, omnium incolas divinis imbuere praeceptis, erutosque e tenebris ad Fidei lucem, Deo reconciliare pastorali sollicitudine satagebat. Feltriam appropinquanti plurima utriusque sexus multitudo obviam occurrit, et cum singulis aeque se mysteriorum Fidei dispensatorem exhiberet exemplo et doctrina, quam Dominus admirandis signis prosequebatur, Christianam Religionem mirifice dilatabat. Tarvisium ingressus, oblatam sibi puellam a nativitate coecam, signo Crucis illuminatam hospiti suo reddidit. Hoc civitatis Comes cum rescivisset, eidem ad se vocato conjugem suam gravi vexatam infirmitate commendavit. Prosdocimus aegram, enuntiato Christi nomine, manu apprehendens, jubet de lecto surgere a morbo curatam, stupente viro, qui statim unum ac verum esse Christianorum Deum confessus est. Tantis probatae Fidei testimoniis universa pene urbs vanas aspernata superstitiones, ad solidam coelestis doctrinae cognitionem pervenit. Postremo inde discessurus Vir sanctus, Ecclesiam Divo Petro magistro suo, paulo ante cruci affixo, curavit aedificandam: atque alias sacras aedes diversis in locis excitavit, in quibus inter festos dies illius memoria celebris perseverat.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: ✻ Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

Reversus Patavium gregi sibi peculiariter commisso augendo, tuendoque totum se applicuit: maxime cum per ea tempora, quae saeva, crudaque Neronis tyrannide damnabantur, Patavina Ecclesia durius agitaretur. Maximianus quidam nomine, ferus impiissimi tyranni minister, Medialano profectus, datusque Patavio praeses, post obitum Vitaliani, Christianorum plurimos in ergastula trahebat et carnificinam; qua tunc primum Campus Martius, nunc Pratum Vallis, Martyrum sanguinem haurire, eoque foecundari coepit. Ad omnes tamen daemonis insultus, hominumque rabiem forti animo se opponens impavidus Antistes, carnificum enses et paratam cruciatibus lanienam, praedicabat ad aeternam patriam esse brevia, ac tutissima itinera. Quapropter alii ultro se tortoribus offerebant: alii ad quaestionem abrepti, eadem constantia ultima subibant supplicia. Exanimata corpora Christiani noctu sublata in profunda fovea, quae hodie Martyrum Puteus dicitur, summaque habetur veneratione, coacervabant. Tunc Justinae Virginis et Martyris

constans animi robur praecipue enituit, quae sexu atque aetate infirmior illustriorem de Maximiniano perditissimo homine victoriam obtinuit. Tandem Prosdocimus, qui ad roborandos in ea persecutione fideles divinitus subtractus est internecioni, plenus dierum, diuturnis defessus laboribus, multis clarus miraculis, ac meritis cumulatus innumeris, immortali tranquillitate donandus, septimo idus Novembris, imperante Adriano, beato fine quievit. Vixit annos centum tredecim, quorum nonaginta tres exegit in Episcopatu: sepultumque in Sacello, quod ipse Deiparae consecrarat, Patavini ea fide prosequuntur, quam ab initio, illo docente, susceperunt; eoque cultu venerantur, qui decet Praesulem ac Patronum omnibus in angustiis propitium.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Vigilate, de Communi secundo loco.

DIE X. NOVEMBRIS.

In festo

S. Andreae Avellini Conf.

Duplex.

Omnia ut in Breviario sub die hac.

DIE XIV. NOVEMBRIS.

In festo

S. Mennae Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Martyris praeter sequentia.

Oratio. Praesta quaesumus, omnipotens Deus, ut qui, de Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Mennas Aegyptius, Christianus miles, Imperatoribus Diocletiano et Maximiano, cum adversus Christianos persecutionis aestus ferveret, et contra illos saevissima per totum Imperium decreta publicarentur, rejecto militiae cingulo, in qua tamen infimo loco non erat, in solitudinem secessit, tum ut poenitentiae causa corpus suum jejuniis aliisque piis cruciatibus attereret, tum ut orationi, ac rerum coelestium contemplationi vacaret.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Descenditque cum illo in

foveam: et in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio V.

Natali die Imperatoris, quo populus celebri spectaculo tenebatur, in theatrum ipse prosiliens, libera voce gentilium insectabatur superstitionem. Quamobrem comprehensus, et Pyrrho praeside in metropoli Cottiensium Phrygiae vinctus, loris crudeliter caeditur: deinde equuleo tortus, lampadibus ardentibus ad corpus admotis, plagisque cilicio confricatis, per tribulos ac virgas ferreas manibus pedibusque colligatis, misere tractus est, ac foede discerptus.

℟. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

Lectio VI.

Plumbatis demum contusus, ac omni ferme tormentorum genere laniatus, gladio tandem percussus, insignis Martyrii palmam obtinuit. Corpus in rogum conjectum, sed clam a Christianis sublatum, et Christiano ritu sepultum, Deus innumeris fere miraculis decoravit; illud autem post aliquot annos Constantinopolim translatum est. Caput vero in Urbem translatum in Basilica Vaticana asservatur.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus: et aqua sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Nisi granum frumenti, ut in festo S. Justi die 3. huj. pag. 312.

DOMINICA II.

post Kalendas Novembris.

In festo Patrocinii Beatae Mariae Virginis.

Duplex majus.

Omnia ut in festo B. Mariae Virg. de Mercede, die 24. Septembris, praeter Orationem, quae dicitur, ut infra, et Lectiones secundi Nocturni, quae dicuntur de Sermone S. Joan. Chrysostomi: Dei Filius, ut habentur quinta die infra Octavam Nativ. B. Mariae Virg. 12. Septembris, cum nona Lectione de Homilia et commemoratione in utrisque Vesp. et Laud. Dominicae occurrentis.

Oratio.

Concede nos famulos tuos, quaesumus, Domine Deus, perpetua mentis, et corporis sanitate gaudere: et gloriosa beatae Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et ae-

terna perfrui laetitia. Per Dominum.

N. B. Ubi dicitur: tuam sanctam Festivitatem, dicatur: tuum sanctum Patrocinium.

DIE XV. NOVEMBRIS.

In festo

S. Leopoldi Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. praeter ea, quae hic habentur.

Oratio.

Deus, qui sanctum Leopoldum ex principatu et curis saeculi hujus, immaculatum ad regnum coeleste traduxisti: concede propitius, tua clementia ita nos per haec temporalia dirigi, ut aeternae vitae consortes effici mereamur. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio. IV.

Leopoldus Austriae Marchio, singulari praeconio pietatis, quae in eo mirifice elucebat, Pius cognominatus, in primo statim aetatis flore ea virtutum initia concepit, quae annorum progressu, in insignem vitae sanctitatem effloruerunt. Erat enim in juvene cum Dei timore praeclara integritas, continentia et humilitas; in viro justitia, misericordia, sapientia, et praecipuus Religionis cultus. Patre Leopoldo defuncto, et principatus regimine suscepto, curis licet conjugalibus implicitus, et tam domesticis, quam publicis negotiis impeditus, sedulo tamen pietatis et misericordiae munera subiens, lassos roborabat, oppressos sublevabat, inopes fovebat, inter multiplices regendi sollicitudines, totque laborum studia immaculatum sese ab hoc saeculo custodiebat, temporalia tractando, aeterna disponens.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: ✻ Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Hic Princeps, Sacerdotes virosque religiosos admodum coluit: Summos quoque Pontifices tanta veneratione prosecutus est, ut ab Innocentio Secundo Romano Pontifice peculiaris sancti Petri filius appellaretur. Duo Monasteria celeberrima, Claustroneoburgense, et Sanctae Crucis in Valle Nemorosa, construxit, et amplissimis censibus dotavit. Melicense quoque a se instauratum magno cum sumptu illustravit. Post hujusmodi praeclara suae erga Deum pietatis monumenta, cum Austriae Principatum

quadraginta annis laudabiliter rexisset, anno Domini millesimo centesimo trigesimo sexto, vita sancte functus, atque Sacramentis munitus, e terris ad coelestem Jerusalem transivit.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad.

Lectio VI.

Ejus corpus Claustroneoburgi conditum, innumeris miraculis claruit, quibus Deus tanti viri sanctitatem mundo declaratam voluit. Nam ad Leopoldi invocationem, ejusdem meritis et precibus mortui suscitati, coeci illuminati, surdis auditus, mutis loquendi facultas, claudis gressus, variis morbis laborantibus sanitas, vinctis libertas restituta: alii quoque aliam ejusdem opem mirabilem experti sunt. Quibus clarissimis sanctimoniae documentis rite cognitis, Innocentius Octavus Leopoldum Sanctorum catalogo adscripsit. Ejus sacra ossa e tumulo, Maximiliano I. Imperatore, translata, in eadem Claustroneoburgensi Ecclesia cum debito honore asservantur.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia te vidi. Gloria Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 10.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. Et reliqua.

Homilia

venerabilis Bedae Presbyteri.

Homo nobilis ille est, cui superius coecus clamabat: Fili David, miserere mei; et venienti Hierosolymam concinebant: Hosanna filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israël. Longinqua regio Ecclesia est ex gentibus, de qua eidem homini nobili, qui loquitur: Ego autem constitutus sum Rex ab eo, dicitur a Patre: Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae. Quae videlicet haereditas ac possessio bifaria ratione regio longinqua vocatur: vel quia a finibus terrae clamat ad Dominum, vel quia longe est a peccatoribus salus; et cum Deus ubique sit praesens, longe tamen ab eorum sensu, qui idola colunt, Deus verus est. Sed qui erant

longe, facti sunt prope in sanguine Christi.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. Ipse.

Lectio VIII.

Vocatis autem decem servis, dedit eis decem mnas; denarius numerus ad legem pertinet propter Decalogum. Vocat igitur paterfamilias decem servos, quia elegit discipulos per litteram legis imbutos. Dat eis decem mnas quia dicta legis spiritualiter intelligenda revelat. Post passionem quippe, resurrectionemque aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Mina namque, quam Graeci mnam vocant, centum drachmis appenditur; et omnis Scripturae sermo, qui vitae coelestis perfectionem suggerit, quasi numeri centenarii pondere fulgescit.

℟. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio IX.

Et ait illis: Negotiamini, dum venio. Verba, inquit, legis ac Prophetarum mystica interpretatione discussa populis offerte, atque ab eis fidei confessionem, morumque probitatem recipite; juxta quod Psalmista suis auditoribus praecipit, dicens: Sumite Psalmum et date tympanum; hoc est, laudem praedicationis in cordis intentione percipite, et devotionem operis in carnis castigatione reddite. Tympanum quippe est pellis in ligno extenta; pellis vero in ligno extenta caro est nostra ad exemplum Dominicae crucis afflicta.

Te Deum laudamus.

DIE XVI. NOVEMBRIS.

In festo

S. Gertrudis Virginis.

Duplex.

Omnia ut in Breviario heri.

DIE XXIII. NOVEMBRIS.

In festo

S. Felicitatis Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi non Virginum sed Martyrum praeter ea, quae hic habentur.

Oratio.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut beatae Felicitatis

martyris tuae solemnia recensentes, meritis ipsius protegamur et precibus. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Gregorii Papae.

Ex Homil. 3. in Evang.

Lectio IV.

Beata Felicitas, cujus hodie natalitia celebramus, septem filios sic post se timuit vivos in carne relinquere, sicut carnales parentes solent metuere, ne mortuos praemittant. In persecutionis enim labore deprehensa, filiorum corda in amore supernae patriae praedicando roboravit, et parturivit spiritu, quos carne pepererat; ut praedicatione pareret Deo, quos carne pepererat mundo. Numquid ergo hanc feminam martyrem dixerim? Sed plus quam martyrem: quae septem pignoribus ad regnum praemissis, tot ante se mortuos transmisit. Ad poenam prima venit, sed pervenit octava.

℟. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: ✻ Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Et deducet.

Sermo sancti Joannis Chrysost.

Sermo 67. de divers. novi Testamenti locis.

Lectio V.

Ego maxime commemorationes diligo Martyrum, diligo et amplector, atque omnes quidem, sed tum praecipue, cum mulierum certamina proponuntur. Quanto enim infirmius est vas, tanto major est gratia, tanto illustrius est trophaeum, tanto insignior est victoria, non ob imbecillitatem sexus athletarum, sed quod per ea, quibus vicerat inimicus, nunc etiam vincatur.

℟. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: ✻ Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae.

℣. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Propterea.

Lectio VI.

Per mulierem vicit, per mulierem superatus est. Hoc illius antea telum erat; hoc illius nunc caedis factum est instrumentum, hoc vas apparuit insuperabile. Peccavit illa prior, et mortua est: ista mortua est, ne peccaret. Illa tum futilis promissi spe inflata, Dei leges violavit; haec vitam praesentem contempsit, ne fidem in suum benefactorem ejuraret. Quam igitur deinceps sperare poterunt excusationem viri, si molles sint et ignavi; quam vero veniam, cum fortiter ac viriliter se gerant mulieres, cum adeo se generose ad certamina pietatis accingant?

℟. Fallax gratia, et vana est pulchritudo: * Mulier timens Deum, ipsa laudabitur.

℣. Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus. Mulier. Gloria Patri. Mulier.

In tertio Nocturno Lectiones de Homilia in Evang. Simile est regnum coelorum thesauro, de Communi non Virg.

DIE XXIV. NOVEMBRIS.

In festo

S. Chrysogoni Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Martyris praeter sequentia.

Oratio.

Adesto Domine supplicationibus nostris: ut, qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, beati Chrysogoni Martyris tui intercessione liberemur. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Chrysogonus, Diocletiano Imperatore Romae inclusus in carcere, ibi biennium sanctae Anastasiae facultatibus vixit: quam etiam afflictam propter Christum a viro suo Publio, proptereaque a suis orationibus per litteras auxilium postulantem, mutuis epistolis est consolatus. Sed cum Imperator Romam scripsisset, ut reliquis Christianis, qui in vinculis essent, interfectis, Chrysogonus Aquilejam ad se mitteretur, eo perductus est.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Descenditque cum illo in foveam: et in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio V.

Qui Imperator: Accersivi, inquit, te Chrysogone, ut honoribus augeam, si modo induxeris animum deos colere. At ille: Ego eum, qui vere est Deus, mente et oratione veneror: deos autem, qui nihil sunt, nisi daemonum simulacra, odi et execror. Quo responso excandescens Imperator, ad aquas Gradatas eum securi percuti jubet, octavo Kalendas Decembris: cujus corpus projectum in mare, paulo post in littore inventum, Zoilus Presbyter in suis aedibus sepelivit.

℟. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

De Expositione sancti Ambrosii Episcopi in Psalmum centesimum decimum octavum.

Serm. 21.

Lectio VI.

Principes persecuti sunt me gratis: et a verbis tuis trepidavit cor meum. Bene hoc Martyr dicit, quod injuste persecutionum tormenta sustineat: qui nihil rapuerit, nullum violentus oppresserit, nullius sanguinem fuderit, nullius torum putaverit esse violandum: qui nihil legibus debeat, et graviora latronum sustinere cogatur supplicia: qui loquatur juste, et non audiatur: qui loquatur plena salutis, et impugnetur, ut possit dicere: Cum loquebar illis, impugnabant me gratis. Gratis igitur persecutionem patitur, qui impugnatur sine crimine: impugnatur ut noxius, cum sit in tali confessione laudabilis: impugnatur quasi veneficus, qui in nomine Domini gloriatur, cum pietas virtutum omnium fundamentum sit.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus: et aqua sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 10.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. Et reliqua.

Homilia

Sancti Hilarii Episcopi.

Can. 10. Ex Octavario Romano.

Quae ista divisio est? Inter prima enim legis praecepta accepimus: Honora patrem tuum et matrem tuam: et ipse Dominus ait: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Quid sibi vult missus potius gladius in terram, et separatus a patre filius, et filia a matre, et nurus adversus socrum, et hominis domestici ejus inimici? igitur exinde publica auctoritas impietati proferretur: ubique odia, ubique bella, et gladius Domini inter patrem et filium, et inter filiam matremque desaeviens.

℟. Corona aurea super caput ejus, * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa.

Lectio VIII.

Gladius telorum omnium telum acutissimum est, in quo sit jus potestatis et judicii severitas et animadversio peccatorum. Et hujus quidem teli nomine novi E-

vangelii praedicationem appellatam frequens Prophetis auctoritas est. Dei igitur verbum nuncupatum meminerimus in gladio: qui gladius missus in terram est, id est, praedicatio ejus hominum cordibus infusa; fitque gravis in domo sua dissensio et domestica novo homini erunt inimica: quia ille per verbum Dei divisus ab illis, manere et interior et exterior, id est, et corpus et anima in spiritus novitate gaudebit.

℟. Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: * Qui minas judicum non timuit, nec terrenae dignitatis gloriam quaesivit, sed ad coelestia regna pervenit.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Qui minas. Gloria Patri. Qui minas.

Lectio IX.

Pergit deinde eodem praeceptorum et intelligentiae decursu. Nam posteaquam relinquenda omnia, quae in saeculo charissima sunt, imperaverat, adjecit: Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. Quia qui Christi sunt, crucifixerunt corpus cum vitiis et concupiscentia. Et indignus est Christo, qui non crucem suam, in qua compatimur, commorimur, consepelimur, conresurgimus, accipiens, Dominum sit secutus, in hoc sacramento fidei spiritus novitate victurus.

Te Deum laudamus.

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

In festo S. Mauri Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. praeter sequentia.

Oratio. Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui, de Communi.

Et fit commem. S. Petri Episcopi Martyris, ut in Br.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Maurus Afer ab infantia Christianus fuit, orationibus et jejuniis vacans. Hic sub Numeriano Imperatore, et Celerino praefecto diversis poenis maceratus, hoc est: primum fustibus nodosis caesus, deinde plumbatis jussum est, maxillas ejus contundi; postea in equuleo suspendi, atque ungulis radi, et lampades ardentes lateribus ejus applicari, ad extremum vero caput ejus amputari.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio V.

Cujus sancti Martyris corpus

nautae Africani, cognoscentes ex sua patria ortum, et volventes eum linteaminibus mundis cum aromatibus, posuerunt in sarcophagum, et scripserunt ad caput ejus: Dei et Christi Jesu famulus Maurus hoc saeculum pro Christi Fide relinquens, vitam aeternam acquisivit.

℟. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

Lectio VI.

Hoc cum audisset Celerinus praefectus, nautas jussit comprehendi: at illi omnes fugerunt. Tunc jussit navem, in qua Martyris corpus erat, sarmentis impleri, et igne supposito in medio mari comburi. Sed gubernante Domino Martyrem suum, ubi voluit ad salutis portum perduxit.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus: et aqua sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Si quis vult post me venire, de Communi secundo loco, cum IX. lect. et commem. S. Petri Alexandrini Ep. M.

DIE XXVII. NOVEMBRIS.

In festo
S. Valeriani Episcopi Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. praeter sequentia.

Oratio. Exaudi, de Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Valerianus Aquilejensis Episcopus Ecclesiam sibi creditam Ariana labe foedatam assiduo Catholicae fidei asserendae studio purgavit. Coacto Romae Concilio sub sancto Damaso interfuit, in quo damnatus est Auxentius. Tum Ariminensi formula iterum rejecta, Damasus eique adhaerens Valerianus, ac caeteri Concilii Patres, Epistolam synodicam miserunt ad Illyricos et Orientales, in qua Nicaena fides confirmata est. Seorsim vero litteras Valerianus dedit ad sanctum Basilium Magnum, quibus idem rescripsit, maxima se laetitia affectum, ut ex eo accepit, veritatis doctrinam summo Episcoporum consensu in Occidentis Ecclesiis tradi atque defendi.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V.

Ad Arianam perfidiam conterendam una cum sancto Ambrosio, qui, mortuo Auxentio, Mediolanensium Episcopus ordinatus fuerat, Concilio Aquilejae indicto praefuit, ad quod Episcopi convenerant doctrina et sanctitate celebres. Insigniores erant: Eusebius Bononiensis, Sabinus Placentinus, Philaster Brixiensis, Bassianus Laudensis, Jovinus, et Chromatius ipsius Ecclesiae adhuc Presbyter, et Valeriani in Episcopatu Successor; per quos, ut scribit sanctus Hieronymus, ab Aquilejensi urbe Ariani quondam dogmatis virus exclusum est. In hoc Concilio Palladius et Secundianus, qui Arii partes tuebantur, communi Patrum sententia anathemate percussi sunt.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

Valeriani nomen mirifice auxit, et ad posteros propagavit sollicitudo illa, qua Ecclesiam sibi creditam non solum omni labe Ariana expurgatam reddidit, sed Ecclesiastica disciplina adeo excoluit, ut Aquilejenses Clerici, eodem Hieronymo teste, quasi chorus Sanctorum haberentur. Quorum ut sanctissima consuetudine frueretur idem sanctus Doctor, e Gallia redux Aquilejam venit, eorumque nomina suis ipse laudibus absens consecravit. Tandem senio gravis cum Aquilejensem Ecclesiam plures annos sancte rexisset, virtute ac doctrina clarus obdormivit in Domino quinto Kalendas Decembris.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Vigilate de Communi secundo loco.

DIE XXVIII. NOVEMBRIS.

In festo
S. Clementis Papae Martyr.

Duplex.

Dies assignata ex 23. hujus. Omnia ut ibi, sed sine commemoratione S. Felicitatis.

DIE XXIX. NOVEMBRIS.

In festo
S. Joannis de Cruce Confes.

Duplex.

Dies assignata ex 24. hujus. Omnia ut ibi, sed sine commemoratione S. Chrysogoni.

Lectio IX. et commem. Vigiliae ac S. Saturnini Martyris, ut in Br.

FESTA DECEMBRIS.

DIE II. DECEMBRIS.

In festo

S. Chromatii Episcopi Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif. praeter sequentia.

Oratio. Exaudi, de Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Chromatius una cum Eusebio, non tam natura, quam morum aequalitate germano, a teneris annis Aquilejensi Clero adscriptus est. Egregiis ornatus moribus, totum se Deo atque Ecclesiasticis studiis consecravit, in quibus ita profecit, ut inter Aquilejenses Clericos doctrina et sanctitate emineret, ad quorum privatam gloriam, ut scribit sanctus Hieronymus, publica haec accessit, et aperta confessio, quod per eos ab urbe Aquilejensi Ariani dogmatis virus exclusum fuit. Presbyter a sancto Valeriano ordinatus, in ejus locum suffectus est, atque a sancto Ambrosio consecratus fuisse perhibetur.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum:* Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V.

Pactus Episcopus Nicaenam fidem, et disciplinam Ecclesiasticam acerrime defendit. Origenianos errores ab omni tam Orientis, quam Occidentis Catholicorum Synodo proscriptos, pari et ipse sententia cum sancto Anastasio Romano Pontifice damnavit: exortisque inde simultatibus inter eumdem Doctorem Maximum, et Rufinum Presbyterum, ut finis silentio imponeretur, diligentissime curavit. Sed piam sanctissimi Praesulis sollicitudinem in primis agnovit sanctus Joannes Chrysostomus, cujus causam apud Honorium Imperatorem tanta fide ac religione defendendam suscepit, ut sinceram illius, ac ferventem erga se charitatem demiratus Chrisostomus, datis ad eum litteris vehementer gratulatus sit.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

Sacrarum Litterarum studium

caeteris, quae Pastore digna sunt, muneribus adjunxit semper; Vir, beati Hieronymi sententia Episcoporum sanctissimus atque doctissimus. Ejus potissimum hortatu idem sanctus Doctor Hebraea volumina latino sermone transtulit, ac Prophetarum libros commentariis illustravit, quorum aliquot Chromatii nomini inscripsit. Tractatus et ipse edidit in Evangelium Matthaei eruditione ac pietate insignes. Denique cum Aquilejensem Ecclesiam annos duodeviginti sanctissime rexisset, ad coelestem vitam quarto nonas Decembris migravit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: ✱ Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 5.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terrae. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Et reliqua.

Ex Tractatu

Sancti Chromatii Episcopi.

Tract. IV. in cap. V. S. Matthaei.

Dominus Apostolos suos sal terrae cognominat. Et videamus quid sub hujus vocabuli comparatione de Apostolis suis Dominus velit intelligi. Quod ut plenius possimus advertere, primum sollicite requirendum est, quid hoc sal sit, et cujus terrae, et in quam deinde rem utilitatemque proficiat. Jam enim salis ipsius naturam usumque tractare debemus, ut his cognitis, dominici dicti virtutem spiritali intelligentia facilius assequamur. Natura igitur salis per aquam, per calorem solis, per flatum venti constat; et ex eo quod fuit, in aliam speciem generatur. Sic et Apostoli atque omnes credentes, per aquam baptismi, per fidem Christi (qui in comparatione sol justitiae dictus est), et per inspirationem Sancti Spiritus Deo renati, ex terrena in coelestem nativitatem transierunt. Unde non immerito sancti Apostoli sal terrae a Domino nuncupantur. Et cujus terrae? promptum est noscere: id est terrae, corporis nostri, quam dudum insipientem ac sensu vanitatis insulsam, evangelicae praedicationis sapientia salierunt. Ipsi enim sal terrae nostrae facti sunt, quia per ipsos et verba sapientiae accepimus, et per coelestem nativitatem in spiritalem sumus demutati naturam.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae in-

duit eum: ℣ Et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad portas.

Lectio VIII.

Sed quia de natura vel gratia salis secundum intelligentiam spiritualem jam dictum est, nunc quoque de ipsa salis virtute tractemus. Vos ergo, inquit, estis sal terrae. Itaque sicut sal, cum operatur in carne qualibet, corruptelam non admittit, foetores aufert, sordes expurgat, vermes non sinit generari, ita et coelestis gratia ac fides, quae per Apostolos data est, simili exemplo in nobis operatur. Aufert enim carnalis concupiscentiae corruptelam, peccatorum sordes expurgat, odorem malae conversationis excludit, vermes delictorum non sinit generari, id est de corpore libidinosas et mortiferas voluptates exurgere: conservans corpora nostra etiam ab illo immortali verme, qui indefessa poena peccatores excruciat, de quo scriptum est: Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur. Et sicut sales a foris quidem apponuntur, intrinsecus vero operantur per virtutem naturae suae, ita et coelestis gratia exteriora hominis atque interiora perpenetrat, et totum hominem integrum a peccato incorruptumque conservat. Hos autem Deo dignos esse, qui sale coelestis sapientiae condiuntur, etiam dudum praecedente figura legis ostensum est, quia omne sacrificium offerendum Deo sale saliebatur. Quod ipsum Evangelista commemoravit dicendo: Omne, inquit, sacrificium sale salietur: ostendens eum hominem dignum vere sacrificium Deo fieri, qui coelestis sapientiae virtute esset infusus.

℟. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: ℣ Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio IX.

Vos ergo, inquit, estis sal terrae: si autem sal infatuatum fuerit, in quo condietur? ad nihilum valet, nisi ut projiciatur foras, et conculcetur ab hominibus. Infatuari autem eos ostendit, qui cum semel per fidem et sapientiam coelestem eruditi, fideles ac stabiles debeant permanere, relicta fide et sapientia divina, aut in haeresim ruunt, aut ad stultitiam gentilium redeunt. Et idcirco ait: Si autem sal infatuatum fuerit, in quo condietur? Quia infatuati fraude diaboli hujusmodi homines, amissa fidei gratia, evanescunt. Qui

cum potuissent etiam alios non credentes, adhuc a fide alienos, divinae praedicationis verbo condire, etiam sibi inutiles extiterunt. Denique Judas Iscariotes de hujusmodi salibus fuerat: sed posteaquam divinam sapientiam reprobavit, et de Apostolo apostata factus est, non solum aliis prodesse non potuit, sed et sibi miser et inutilis factus est. Et ideo addidit Dominus dicens: ad nihilum valet, nisi ut projiciatur foras, et conculcetur ab hominibus: quia hujusmodi non fideles ac domestici, sed projecti ab Ecclesia, ut extranei et fidei hostes habendi sunt. Unde et Judas de domestico fidei, inimicus factus est veritatis. Projecti itaque hujusmodi extra Ecclesiam, necesse est ut diversis vitiis carnis et variis voluptatibus saeculi conculcentur: et hoc est quod ait: ad nihilum valet, nisi ut projiciatur foras, et conculcetur ab hominibus.

Te Deum laudamus.

DIE IV. DECEMBRIS.

In festo S. Barbarae Virg. et Mart.

Duplex.

Omnia de Communi Virg. Mart. praeter sequentia.

Oratio.

Intercessio, quaesumus Domine, beatae Barbarae Virginis et Martyris tuae ab omni nos adversitate protegat: ut per ejus interventum, gloriosissimum sacrosancti Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi Sacramentum ante diem exitus nostri per veram poenitentiam et puram confessionem percipere mereamur. Qui tecum vivit.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Barbara, Virgo Nicomediensis, Dioscori nobilis sed superstitiosi hominis filia, per ea, quae visibilia facta sunt, ad invisibilia, divina opitulante gratia, facile pervenit. Quapropter soli Deo, rebusque divinis vacare coepit. Eam pater, utpote forma venustiori nitentem, a quocumque virorum occursu tutari cupiens, turri inclusit, ubi pia Virgo meditationibus et precibus addicta, soli Deo, quem sibi in Sponsum elegerat, placere studebat. Oblata a patre pluries nobilium connubia fortiter sprevit: pater vero per sui absentiam filiae animum posse facilius emolliri confidens, jussit primo balneum extrui, ne quid ei deesset ad commoditatem, deinde peregre in exteras regiones profectus est.

℟. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua et pulchritudine

tua intende, prospere procede, et regna. Et deducet.

Lectio V.

Absente patre, jussit Barbara duabus fenestris, quae in turri erant, tertiam addi in honorem divinae Trinitatis, labiumque balnei sacrosanctae Crucis signo muniri: quod ubi rediens Dioscorus inspexit, audita novitatis causa, adeo in filiam excanduit, ut stricto ense eam appetens, parum abfuerit, quin eam dire confoderet; sed praesto adfuit Deus: nam fugienti Barbarae saxum ingens se patefaciens viam aperuit, per quam montis fastigium petere, et in specu latere potuit: sed paulo post cum a nequissimo genitore reperta fuisset, ejus latera pedibus, dorsumque pugnis immaniter percussit, et crinibus per loca aspera, difficilesque vias raptatam Marciano praesidi puniendam tradidit.

℟. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae.

℣. Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam. Propterea.

Lectio VI.

Itaque ab ipso omnibus modis, sed incassum tentata, nudam nervis caedi, et inflicta vulnera testulis confricari, deinde in carcerem trahi praecepit, ubi immensa luce circumdatus ei Christus apparens, mirifice confortatam in passionum tolerantia confirmavit. Quod animadvertens Juliana matrona, ad Fidem conversa, ejusdemque palmae particeps effecta est. Barbarae demum ferreis unguibus membra laniantur, facibus latera incenduntur, et malleolis caput contunditur; quibus in cruciatibus consortem solabatur, et hortabatur, ut ad finem usque constanter certaret. Praecisis tandem utrique uberibus, nudae per loca publica tractae, capite plectuntur; filiaeque cervicem ipse scelestissimus pater humanitatis expers, propriis manibus amputavit. Cujus fera crudelitas non diu inulta remansit; nam statim eo ipso in loco fulmine percussus interiit.

℟. Afferentur Regi virgines post eam, proximae ejus * Afferentur tibi in laetitia et exultatione.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Afferentur. Gloria Patri. Afferentur.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Simile erit regnum coelorum decem virginibus, de Communi Virg. primo loco.

DIE V. DECEMBRIS.

In festo

S. Petri Chrysologi

Episcopi Confessoris, et Ecclesiae Doctoris.

Duplex.

Dies assignata ex die hesterna. Omnia ut ibi.

Et fit commem. Feriae Adv. et S. Sabbae Abbatis, ut in Br.

DIE VI. DECEMBRIS.

In festo

S. Nicolai Ep. Conf.

Patroni titularis Ecclesiae Cathedralis.

Duplex I. Classis

cum Octava in hac Dioecesi.

In primo Nocturno Lectiones, Fidelis sermo, de Communi Conf. Pontif. primo loco. Reliqua ut in Breviario hac die.

DIE VII. DECEMBRIS.

In Vigilia

Immacul. Conceptionis Beatae Mariae Virg.

Patronae, jejunium ex facto voto praeceptum.

DIE VIII. DECEMBRIS.

In festo

Immacul. Conceptionis Beatae Mariae Virg. Patronae.

Duplex I. Classis

cum Octava. Sine commemoratione de S. Nicolao hodie.

Omnia ut in Breviario.

DIE IX. DECEMBRIS.

In festo

S. Syri Episcopi Confes.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. praeter sequentia.

Oratio. Exaudi, de Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Syrus natione Galilaeus, a pueritia Sectator Christi, dein Discipulus Apostoli Petri, Ticinumque ad disseminandum Christi Evangelium missus, primus illic Fidei et Religionis Christianae elementa una cum sancto Juventio comite tradidit, et totam urbem cum vicinia ad veri Dei agnitionem, Christique cultum convertit statuta ibidem Sede Episcopali. Is ergo dum per injunctum sibi opus per agrum Veronensem properat, Veronae primus omnium Missam celebrat, ibidemque adolescentem mortuum ad vitam revocavit filium unicum matris viduae. Quo facto innumera civium multitudo, tum in primis ipse adolescens cum matre et tota familia, suscepto baptismate, legem et doctrinam Evangelii amplexati sunt. Quare praecurrente fama signorum, et adventus boni Patris, Syrus honorifice, et magna spe praesentis salutis a Ticinensibus exceptus est, crevitque magnopere novi Praesulis apud eos veneratio, ubi ex solo contactu vestimen-

torum ejus, visi sunt infirmi sanitati integerrime restituti.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: ℣ Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio V.

Igitur Syrus officii sui ministeria aggressus, incessanter verbum Dei non solum per Ticinensem regionem, sed etiam per Insubriam totam, et per Liguriam deferebat, Verbi incarnati mysteria, aliaque Divinitatis Sacramenta aperiens, et universos ad legis divinae observantiam cohortans. Traditur etiam Alpes Rhaetiorum transcendisse, et Lauriacum praecipuum Noricorum oppidum ad Christianae Fidei lucem excitasse; ejus sane dictis maximum addebant pondus crebro edita signa et miracula. Nam inter alia dum praedicando rura peragrat, viro cum dolo adeunti Episcopum, ac propterea omni loquela destituto, fandi facultatem oratione sua restituit. Surdo simul et muto loquelam cum auditu impertivit, adhibito super os et aures illius signo Crucis: Laude Pompejae coeco a nativitate lucis usuram impetravit: Brixiae et alibi saepe daemonia de corporibus obsessis fugavit. Curavit autem in primis, ut saeviente Mediolani persecutione in Christifideles, Martyrum corpora honesto et tuto loco conderentur, ne mortua furori gentilium paterent, apponi jubens eorum capitibus libellum certaminis ad posterorum notitiam, et gloriam ipsorum Martyrum. Ipse Reliquias sanctorum Gervasii et Protasii collocavit in templo a se ad moenia Ticini extructo, ad cujus aram, rite prius sacratam, quotidianas preces, Sacrificia, conciones et Ordines sacros solebat cum suis Clericis peragere, ubi etiam perfidum Judaeum acceptae Eucharistiae illudere molientem, sed vindice Deo, ignibus in gutture dirissime excruciatum, rogantibus fidelibus, clementer a cruciatu liberavit, digitis reverenter extracto Sacramento, quod neque palato, neque linguae adhaerebat, sed in ore illius, quasi in aëre suspensum manebat.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: ℣ Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

Denique fundata et bene confirmata Fide populorum, nec non Ecclesiastica disciplina, in suo Pontificali honore glorioso fine quievit, octogenario major, laudabiliter insumptis annis quinquaginta et ultra in Episcopali magisterio. Martyrio non est sublatus, quia ipse potius benigni-

tate sua et eloquio divino aggressores infideles jugo Fidei subdidit. Sepultus jacuit in Basilica sanctorum Gervasii et Protasii a se constructa, donec post septingentos annos per sanctum Adeodatum, ejusdem civitatis Antistitem, ad eamdem Cathedralem sancti Stephani fuit translatus solemni pompa, et in Crypta Chori repositus. Successores habuit juxta suam prophetiam primo loco Pompejum discipulum, a quo vita sancti Syri conscripta creditur, secundo Juventium pariter discipulum, itinerisque ac laboris amantissimum socium.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Vigilate, de Communi secundo loco.

DIE X. DECEMBRIS.

In festo

S. Bibianae Virginis Mart.

Semiduplex.

Dies assignata ex 2. hujus. Omnia ut ibi.

Et fit commem. Feriae et S. Melchiadis Papae Martyris, ut in Br.

DIE XIII. DECEMBRIS.

Octava

S. Nicolai Episc. Conf.

Duplex.

Officium ut in festo, die 6. hujus, praeter sequentia.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Gregorii Papae.

II. parte Pastoral. cap. 1.

Lectio IV.

Tantum debet actionem populi actio transcendere Praesulis: quantum distare solet a grege vita pastoris. Oportet namque, ut metiri sollicite studeat, quanta tenendae rectitudinis necessitate constringitur, sub cujus aestimatione populus grex vocatur. Sit ergo (necesse est) cogitatione mundus, actione praecipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis in compassione proximus, prae cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiae erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in interiorum sollicitudine non relinquens.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

I. parte cap. 9. et 10.

Lectio V.

Considerandum quoque est, quia cum causam populi electus Praesul suscipit, quasi ad aegrum medicus accedit. Si ergo adhuc in ejus opere passiones vivunt, qua praesumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat? Ille igitur, ille modis omnibus debet ad exemplum vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens jam spiritaliter vivit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat. Cujus intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat spiritus: qui ad aliena capienda non ducitur, sed propria largitur.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: ✻ Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

Ibidem cap. 8. ad finem.

Lectio VI.

Unde ipsum quoque episopatus officium boni operis expressione definitur, cum dicitur: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Ipse ergo sibi testis est, quia episcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quaerit. Sacrum quippe officium non solum non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans, in occulta meditatione cogitationis ceterorum subjectione pascitur, laude propria laetatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantia exultat. Mundi ergo lucrum quaeritur sub ejus honoris specie, quo mundi destrui lucra debuerunt.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: ✻ Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Ipse. Gloria Patri. Ipse.

In tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 25.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et reliqua.

De Homilia

Sancti Ambrosii Episcopi.

2. de voc. gen. c. 2. post medium.

Datur unicuique hic sine merito, unde tendat ad meritum, et datur ante ullum laborem, unde quisque mercedem accipiat secundum laborem: quod ita esse, etiam Evangelicae veritatis testimonio agnoscitur; ubi per comparationem dicitur, quod homo peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis substantiam suam, et uni dedit quinque talenta, alii duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam et naturalem possibilitatem, non autem secundum proprium meritum: quia aliud est posse operari, aliud operari; et aliud est posse habere charitatem, aliud habere charitatem.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad.

Lectio VIII.

Non itaque omnis reparabilis reparatur, nec omnis sanabilis sanatus est; quia reparabilem et sanabilem esse de natura est: reparatum autem et sanatum esse de gratia est. Denique isti, quibus secundum modulum capacitatis suae, quem in eis distributor substantiae praevidebat, dispar creditus est numerus talentorum; non meriti remunerationem, sed operis accepere materiam.

℟. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio IX.

In qua duorum servorum vigilantissima industria non solum gloriosis laudibus honestatur, sed etiam in aeterna Domini sui gaudia intrare praecipitur. Tertii vero pigrum otium, desidiosa nequitia sic punitur, ut et vituperationis dedecoretur opprobrio et portione, quam acceperat, exuatur. Dignus enim erat, perdere inutilem fidem, qui non exercuerat charitatem.

Te Deum laudamus.

DIE XIV. DECEMBRIS.

In festo

S. Luciae Virginis Mart.

Duplex.

Dies assignata ex die hesterna. Omnia ut in Breviario.

DIE XVIII. DECEMBRIS.

In festo

Expectationis Partus Beatae Mariae Virginis.

Duplex majus.

Omnia ut in fine Breviarii hac die.

DIE XXVI. DECEMBRIS.

In festo
S. Stephani Protomartyris.

Pro Commemoratione omnium Ss. Martyrum.

AD I. VESPERAS.

Antiph. Istorum est enim regnum coelorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad praemia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

℣. Laetamini in Domino, et exultate, justi.

℟. Et gloriamini, omnes recti corde.

AD LAUDES.

Antiph. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt: nolite timere, multis passeribus meliores estis vos.

℣. Exultabunt Sancti in gloria.

℟. Laetabuntur in cubilibus suis.

AD II. VESPERAS.

Antiph. Gaudent in coelis animae Sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti: et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exultant sine fine.

℣. Exultabunt Sancti in gloria.

℟. Laetabuntur in cubilibus suis.

Oratio.

Deus, qui nos sanctorum Martyrum tuorum commemoratione laetificas: concede propitius, ut quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Dominum.

DIE XXX. DECEMBRIS.

In festo
S. Nicephori Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. praeter sequentia.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati Nicephori Martyris tui natalitia colimus, intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones ex Dominica infra Octavam Nativitatis Domini.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

Sub imperio Valeriani celebre in Oriente fuit Nicephori nomen, qui aliquando intimam cum Sapritio Presbytero amicitiam coluit, donec subinde instigante daemone, tanta inter eos orire-

tur discordia, ut mutuo se odio prosequerentur, et alter alterius faciem sustinere non posset. Nicephorus tamen paulo post in se reversus, tum interpositis amicis, tum ipse coram accedens, veniam petiit a Sapritio, sed incassum; numquam enim ei voluit reconciliari. Interea exorta in Christianos persecutione, Sapritius ad tribunal judicis raptus, magna animi fortitudine et libertate Christum confitetur, et cum nullo modo adduci posset, ut diis immolaret, constrictus cochlea, in equuleo distentus, dirissimis cruciatibus constantissime superatis, ad mortem damnatur.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: ✻ Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Descenditque cum illo in foveam: et in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio V.

Hanc Sapritii constantiam cum intellexisset Nicephorus, laetus accurrit, certo confidens veniam sibi non denegaturum, qui jam jam Christi Martyr erat futurus. Infelix tamen Sacerdos, ne in ipso quidem supplicii loco fratri voluit reconciliari: quo factum est, ut Dei misericordia indignum se reddens, et superna gratia destitutus, subito mutata sententia, supplicio territus Christo palam renuntiarit, et a Nicephoro, qui eum vehementer hortabatur, ne praemium sibi paratum amitteret, aures avertens, diis sacrificaverit. Tum Nicephorus: Ego quoque, inclamare coepit, Christianus sum, et quem iste turpiter negavit, Christum Deum colo; me loco ejus occidite. Mirantibus vero lictoribus, quod se ultro morti traderet, se et Christianum esse, et deos gentium detestari, clariori voce profiteri non destitit.

℟. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine, ✻ Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide praetioso. ✻ Et voluntate.

Lectio VI.

Quod cum praesidi nuntiatum esset, Nicephorum blanditiis licet, et verberibus pertentatum, mandatis Imperatorum parere detrectantem, lata mortis sententia, capite plecti jubet. Itaque Nicephorus, quam sua fide, humilitate et charitate promeruit martyrii palmam, Sapritio jam destinatam, capitis obtruncatione reportavit anno Christi circiter ducentesimo quinquagesimo nono. Sacra ejus ossa, ut vetus fert traditio, Deo mirabiliter disponente, in Istriam delata, Petenae

debito cum honore asservantur, ubi eidem Martyri tamquam principali Dioecesis Petenensis Patrono solemnis cultus usque ad suppressionem illius Episcopatus habitus est, ejusque festum die trigesima Decembris celebratum. Cum vero Dioecesis Petenensis a Pio Papa Sexto Tergestinae fuerit attributa, ibi quoque idem Martyr magna cum veneratione coli coepit, eadem die ejusdem festo consecrata.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus et aqua sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

In tertio Nocturno, Lectiones de Homil. in Evang. Si quis vult post me venire, de Communi secundo loco.

COMMEMORATIO

S. Nicolai, Patroni titularis Ecclesiae Cathedralis.

Dicenda per annum inter Suffragia Sanctorum post commemorationem Ss. Apost. Petri et Pauli.

AD VESPERAS.

Antiph. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum, et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Vel his jam dictis.

Antiph. Euge serve bone et fidelis, ut infra ad Laudes.

℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi:

℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

AD LAUDES.

Antiph. Euge serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas:

℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Vel his jam dictis.

Antiph. Sacerdos et Pontifex, et virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum:

℟. Stolam gloriae induit eum

Oremus. *Oratio.*

Deus, qui beatum Nicolaum Pontificem innumeris docorasti miraculis: tribue, quaesumus; ut ejus meritis et precibus a gehennae incendiis liberemur.

SIT LAVS PATRI, FILIO SPIRITVIQVE PARACLITO, COELESTI VIRGINI MARIAE, PATRONIS NOSTRIS CARIS, SANCTISQVE CVNCTIS.

Index alphabethicus

Festorum

in hoc Proprio occurrentium.

Pag.

Abundii Episcopi Conf. dupl. 130
Achatii et Soc. Martyr. dupl. 202
Aegidii Abbatis Conf. sem. . 267
Aemiliani Hieronymi Conf. dupl. 224
Agapis et Sociar. Vv. Mm. dupl. 105
Agapiti Martyris sem. . . . 245
Alexii Confessoris dupl. . . 221
Aloysii Gonzaga Conf. dupl. . 199
Alphonsi de Lig. Ep. Conf. dupl. 238
Anastasiae Martyris dup. . . 45
Anastasii Martyris dupl. . . 274
Andreae Avellini Conf. dupl. . 319
Angelorum Custod. dupl. 2. Cl. 250
„ Dies octava dupl. . 250
Antonini Episcopi Conf. dupl. . 150
Apostolorum omnium commem. 207
„ Divisionis dup. maj. 217

Barbarae Virginis Martyr. dupl. 333
Bernardi Abb. Conf. et Doct. dupl. 249
Bertrandi Episcopi Conf. dupl. 183
Bibianae Virginis Martyris sem. 337
Blasii Episcopi Martyris dupl. 43

Calixti Papae Martyris dupl. . 294
Camilli de Lellis Conf. dupl. . 227

Pag.

Cantii et Soc. Mm. Invent. dupl. 135
Cantiani, Cantii et Soc. Mm. dupl. maj. 170
Caracciolo Francisci Conf. dupl. 181
Christinae Virg. Martyris dupl. 231
Christophori Martyris dupl. . 240
Chromatii Episcopi Conf. dupl. 330
Chrysanthiani et Soc. Mm. dupl. 60
Chrysogoni Martyris dupl. . . 325
Chrysologi Petri Ep. Conf. dupl. 334
Clementis Papae Martyr. dupl. 329
Commemoratio Dolor. B. M. V. dupl. maj.. . . 254
„ Nicolai Ep. C. per annum 343
„ Passionis Domini dupl. maj. . . . 27
„ omnium Apostolorum 207
„ omnium Martyrum 340
„ Reliquiarum Vitalis et Variae dupl. 185
Conceptionis B. M. V. dup. 1. Cl. 335
Cordis D. N. J. Chr. dupl. maj. 173
Coronae Spineae Domini dupl. maj. 64
Cosmae et Damiani Martyr. dupl. 283

Pag.
Cyriacae et Muscae Vv. Mm. dupl 194
Cyrilli et Methodii Epp. Cc. dupl. 105

Danielis Prophetae Conf. dupl. 274
Dedication. Eccl. consecr. dupl. 1. Cl. 284
„ Dies octava dupl. 284
Desponsationis B. M. V. dupl. maj. 15
Dexterae S. Steph. R. Invent. dupl. 167
Divisionis Apostolorum dupl. maj. 217
Dolorum B. M. V. Off. dupl. maj. 254
Donati et Soc. Mm. dupl. . . 249
Dormientium VII Mm. sem. . 274

Emerici Hung. Duc. Conf. dupl. 313
Euphemiae et Sociar. Vv. Mm. dupl. 268
Expect. Partus B. M. V. dupl. maj. 339

Falconieri Julianae Virg. dup. 203
Felicis a Cantalice Conf. sem. 162
Felicis et Fortunati Mm. dup. 194
Felicitatis Martyris dupl. . . 323
Fidei Virginis Martyr. sem. . 302
Fidelis a Sigmaring. M. dupl. 139
Floriani et Socior. Mm. dupl. 149
Franciscae Joannae Vid. dupl. 271
„ Romanae Vid. dupl. 107
Francisci Borgia Conf. sem. . 295
„ Caracciolo Conf. dupl. 181
„ Joan. Reg. Conf. dupl. 192
Fratrum VII Martyrum dupl. 213
Fundator. VII Ord. Servor. dupl. 50

Gabrielis Archangeli dupl. maj. 109
Georgii Martyris dupl. . . . 137
Gerardi Episcopi Martyr. dupl. 282
Gereonis et Soc. Martyrum dupl. 289
Gertrudis Virginis dupl. . . 323
Guillelmi Abb. Conf. dupl. . . 203

Pag.
Henrici Imp. Conf. dupl. . . 237
Hermagor. et Fortun. Mm. Vigilia . 214
„ „ Fest. dupl. 1. Cl. . . 215
„ „ Octava dupl. . . 221
„ „ Translat. dupl. 250
Hermogenis et Fortun. Mm. dupl. 274
Hieronymi Aemil. Conf. dupl. 224
Hilarii et Tatiani Mm. dupl. 107
Hyacinti Confessoris dupl. . . 250

Joachimi Patris B. M. V. dupl. maj. 243
Joannae Franciscae Vid. dupl. 271
Joannis Bapt. Octava dupl. . 208
„ a Cruce Conf. dupl. . 329
„ Francisci Reg. C. dupl. 192
„ Gualberti Conf. dupl. 221
„ Kantii Conf. dupl. . . 295
„ de Matha Conf. dupl. 58
„ Nepomuc. Mart. dupl. 154
Josephi Calasanctii Conf. dupl. 286
„ a Cupertino Conf. dupl. 275
„ Sponsi B. M. V. dupl. 1. Cl. 109
„ ejusd. Patroc. dupl. 2. Cl. 141
Jnvent. Corp. Cantii et Soc. Mm. dupl. 135
„ Dexterae S. Steph. C. dupl. 167
Julianae Virginis Martyris sem. 59
„ Falconieri Virg. dupl. 203
Juliani Martyris sem. . . . 285
„ de Bono Alb. Conf sem. 61
Justi Martyris dupl. 311
Justinae Virginis Martyris dupl. 291
Juventii Episcopi Conf. dupl. 47

Ladislai Regis Hung. C. dupl. 205
Lanceae et Clav. Domini dupl. maj. 74
Leonardi Confessoris dupl. . 315
Leonis I. Pap. Conf. Doctor. dupl. 132

Pag.
Leopoldi Confessoris dupl. . . 321
Liberalis Confessoris dupl. . . 134
Luciae Virginis Martyris dupl. 339
Ludovici Ep. Tolos. Conf. dupl. 247

Marcelli Papae Martyris sem. 58
Marci Evang. Translat. dupl. 15
Margaritae Virg. Martyr. dupl. 241
„ de Cortona dupl. . 63
Mariae de Socos Virg. dupl. . 280
Martyrum omnium Commem. . 340
Mauri Martyris dupl. . . . 327
Maximae Virginis dupl. . . 162
Maximi Epis. Martyris dupl. . 167
Maximiliani Epis. Martyr. dupl. 293
Mennae Martyris dupl. . . . 319
Monicae Viduae dupl. . . . 152

Nazarii Episcopi Conf. dupl. . 199
Nizetae Episcopi Conf. dupl. . 209
Nicephori Martyris dupl. . . 340
Nicolai Episcopi Conf. dupl. 1. Cl. 335
„ Diei octavae dupl. . . 337
„ Commem. per annum . 343
Nominis Jesu dupl. 2. Cl. . 13
„ Mariae dupl. 2. Cl. . 254
Norberti Episcopi Conf. dupl. . 185

Octava Ss. Angelor. Cust. dupl. 250
„ Dedication. Eccl. dupl. 284
„ S. Joannis Bapt. dupl. 208
„ S. Nicolai Ep. C. dupl. 337
Orationis Domini Off. dupl. maj. 16

Pantaleonis Martyris dupl. . 232
Partus B. M. V. Exp. dup. maj 339
Paschalis Baylon Conf. dupl. . 165
Passionis Domini Commem. dupl. maj. 27
Patrocinium S. Josephi dupl. 2. Cl. . . . 141
„ B. Mariae Virg. dupl. maj. 320

Pag.
Paulini Episcopi Conf. dupl. . 49
Pelagii Martyris dupl. . . . 274
Petri Chrysologi Ep. C. D. dupl. 334
„ Damiani Ep. C. D. dupl. 61
„ Nolasco Conf. dupl. . 58
Pii I. Papae Martyris dupl. . 213
Primi et Feliciani Mm. dupl. 187
Prosdocimi Episcopi Conf. dupl. 316
Prothi Martyris dupl. . . . 199

Quinque Vulnerum Domini dupl. maj. 93
Quirini Episcopi Martyr. dupl. 180

Raphaëlis Archangeli dup. maj. 302
Raymundi de Penaf. Conf. sem. 60
Remigii Episcopi Conf. sem. . 284
Rochi Confessoris dupl. . . 243
Rosaliae Virginis dupl. . . 270
Rosarii B. Mariae V. dupl. . 284

Sanguinis Domini dupl. maj. . 116
Septem Dolorum B. M. V. dupl. maj. 254
Septem Dormientium Mm. sem. 274
Septem Fratrum Mm. dupl. . 213
Septem Fundat. Ord. Serv. dupl. 50
Sigismundi Regis Martyr. dupl. 150
Sindonis Domini dupl. maj. . 82
Spineae Coronae Domini dupl. maj. 64
Stephani Reg. Dext. Inv. dupl. 167
Syri Episcopi Conf. dupl. . . 335

Thomae de Villanova Ep. C. dupl. 280
Titiani Episcopi Conf. dupl. . 13
Translat. S. Marci Ev. dupl. 15
„ Hermag. et Fort. dupl. 215

Valeriani Episcopi Conf. dupl. 328
Ubaldi Episcopi Conf. sem. 165

Pag.
Udalrici Episcopi Conf. dupl. 210
Victoris et Coronae Martyr. dupl. 152
Vigilia Hermag. et Fort. Mm. 214
Vigilii Episcopi Martyr. dupl. 212
Vincentii a Paulo Conf. dupl. 238
Vitalis et Variae Reliq. dupl. 185
Viti et Soc. Martyrum dupl. 190
Ursulae et Sociar. Vv. Mm. dupl. 299
Vulnerum V Domini dupl. maj. 93
Wolfgangi Episcopi. Conf. dupl. 309

Zenonis Episcopi Martyr. dupl. 132
Zoili Confessoris sem. . . . 58

NARODNA I SVEUČILIŠNA KNJIŽNICA ZAGREB

DIE VIII. DECEMBRIS.

IN FESTO
IMMACULATAE CONCEPTIONIS
BEATAE MARIAE VIRGINIS
PATRONAE.

Duplex I. Classis cum Octava.

IN I. VESPERIS.

Antiph. Sicut lilium, cum reliquis ut infra in Laudibus. Psalmi ut in Officio parvo B. M. V.

Capitulum. *Prov. 8.*

Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram.

℟. Deo gratias.

Hymnus.

Ave maris stella.

℣. Immaculata Conceptio (est hodie) sanctae Mariae Virginis.

℟. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

Ad Magnificat, Antiphona.

Beata Dei Genitrix Maria, Virgo perpetua, templum Domini, sacrarium Spiritus sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo, alleluja.

Oratio.

Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti: ejus nobis intercessione concede; ut cor et corpus nostrum immaculatum tibi, qui eam ab omni labe praeservasti, fideliter custodiamus. Per eumdem Dominum.

Deinde fit commemoratio de Feria occurrente in Adv. tantum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Immaculatam Conceptionem Virginis Mariae celebremus: * Christum, ejus Filium, adoremus Dominum.

Psalmus. Venite, exultemus.

Hymnus. Quem terra, pontus.

In primo Nocturno.

Antiphona 1. Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Psalmi consueti ut in Festis B. M. V.

Antiphona 2. Manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in aeternum.

Antiphona 3. Noli metúere, non moriéris: non enim pro te, sed pro omnibus haec lex constituta est.

℣. Deus praecinxit me virtute.

℟. Et posuit immaculatam viam meam.

Lectiones ut in Breviario in eodem Festo cum sequentibus Responsoriis et Versiculis.

℟. I. Quae est ista, quae ascendit sicut aurora consurgens, ✻ Pulchra ut luna, electa ut sol?

℣. Quasi arcus refulgens inter nebulas, et quasi flos rosarum in diebus vernis. Pulchra ut luna...

℟. II. Vidi speciosam sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum, ✻ Cujus inaestimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus.

℣. Quae est ista, quae ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Cujus inaestimabilis...

R. III. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, ✻ Quia cum essem parvula, placui Altissimo.

℣. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. Quia...

Gloria Patri... Quia...

In secundo Nocturno.

Antiphona 4. Eripuit me de inimicis meis fortissimis; et factus est Dominus protector meus.

Antiphona 5. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Antiphona 6. Fundatur mons Sion exultatione universae terrae, látera aquilonis, civitas Regis magni.

℣. In hoc cognovi, quoniam voluisti me.

℟. Quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Lectiones ut in Br. in eodem Festo.

℟. IV. Fundamenta ejus in montibus sanctis: ✻ Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

℣. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Diligit...

℟. V. Nihil inquinatum in eam incúrrit: ✻ Candor est lucis aeternae, speculum sine macula.

℣. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Candor...

℟. VI. Beatam me dicent omnes generationes, ✻ Quia ancillam humilem respexit Deus.

℣. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit. Quia...

Gloria Patri... Quia...

In tertio Nocturno.

Antiphona 7. Ave, gratia plena, Dominus tecum.

Antiphona 8. Venite et videte, et narrabo, quanta fecit Deus animae meae.

Antiphona 9. A dextris est mihi Dominus, ne commovear: propter hoc dilatatum est cor meum.

℣. Elegit eam Deus et praeelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare fecit eam.

Homilia ut in Br. in eodem Festo.

℟. VII. Signum magnum apparuit in coelo, Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, * Et in capite ejus corona stellarum duodecim.

℣. Filia Sion tota formosa et suavis est. Et in capite...

℟. VIII. Benedixit te Dominus in virtute sua, * Quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.

℣. (Hodie) Nomen tuum ita magnificavit Dominus, ut non recedat laus tua de ore hominum. Quia...

Gloria Patri... Quia...

AD LAUDES

et per Horas.

Antiphona 1. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Psalmi Dominicae.

Antiphona 2. Dilectus meus mihi et ego illi, qui pascitur inter lilia.

Antiphona 3. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.

Antiphona 4. Benedicta es tu, filia, a Domino Deo excelso prae omnibus mulieribus super terram.

Antiphona 5. Tu gloria Jerusalem, tu laetitia Israël, tu honorificentia populi nostri.

Capitulum. *Prov. 8.*

Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram.

℟. Deo gratias.

Hymnus.

O Gloriosa Virginum,

℣. Immaculata Conceptio (est hodie) sanctae Mariae Virginis.

℟. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ait Dominus Deus ad serpentem: Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius; ipsa cónteret caput tuum, alleluja.

Oratio.

Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praepa-

rasti: ejus nobis intercessione concede; ut cor et corpus nostrum immaculatum tibi, qui eam ab omni labe praeservasti, fideliter custodiamus. Per eumdem Dominum.

Et fit commemoratio Feriae tantum.

AD PRIMAM.

Antiphona. Sicut lilium.

In ℟. br. ℣. Qui natus es de Maria Virgine.

AD TERTIAM.

Antiphona. Dilectus meus mihi.

Capit. Dominus possedit, ut supra.

℟. br. Deus * Praecinxit me virtute. Deus...

℣. Et posuit immaculatam viam meam. Praecinxit...

Gloria Patri... Deus...

℣. In hoc cognovi, quoniam voluisti me.

℟. Quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

AD SEXTAM.

Antiphona. Tota pulchra es.

Capitulum. *Ezech. 44.*

Porta haec clausa erit, non aperietur, et vir non intrabit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam: eritque clausa Principi. Princeps ipse sedebit in ea.

℟. br. In hoc cognovi, * Quoniam voluisti me. In hoc...

℣. Quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Quoniam voluisti me.

Gloria Patri... In hoc...

℣. Elegit eam Deus, et praeelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare fecit eam.

AD NONAM.

Antiphona. Tu gloria.

Capitulum. *Prov. 8.*

Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino.

℟. br. Elegit eam Deus, * Et praeelegit eam. Elegit...

℣. In tabernaculo suo habitare fecit eam. Et...

Gloria Patri... Elegit...

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in I. Vesperis.

℣. Immaculata Conceptio (est hodie) sanctae Mariae Virginis.

℟. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

Ad Magnificat, Antiphona.

Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: ex te enim ortus est sol justitiae Christus Deus noster, qui solvens maledictionem, dedit benedictionem, et

confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam, alleluja.

DIE IX. DECEMBRIS.

Secunda infra Octavam.

Semiduplex.

Omnia ut supra in Festo praeter sequentia.

In I. Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Epiphanii Episcopi.

Or. de Laud. S. Mariae Deiparae.

Lectio IV.

Quid dicam? et quid próloquar? Quo pacto beatam praedicabo gloriae radicem? Solo enim Deo excepto, cunctis superior existit; natura formosior est ipsis Cherubim, Seraphim et omni excercitu angelico: cui praedicandae coelestis ac terrena lingua minime sufficit, imo vero nec Angelorum. Etenim ipsi quidem hymnum, laudem, honorem protulerunt. Laetabantur vero Angeli, tanquam ipsi dumtaxat Deum haberent; quibus sanctissima Virgo superior facta, Deum habitantem in coelis concepit in terra, ut hac ratione exercitus Angelorum traheret in terram, et versaretur cum hominibus. Ipsa enim est coeli et terrae mediatrix, quae unionem naturaliter peregit.

℟. Fundamenta ejus in montibus sanctis: * Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

℣. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Diligit . . .

Lectio V.

O beata Virgo, columba pura, et sponsa coelestis, Maria, coelum, templum et thronus, Divinitatis, quae coruscantem in coelo et in terra solem habes Christum; nubes lucida, quae fulgur de coelo lucidissimum ad illuminandum mundum deduxit Christum. Nubes coelestis, quae tonitruum Spiritus sancti in se ipsa reconditum deduxit in mundum, et imbrem Spiritus sancti in universam terram, ad producendum fidei fructum, cum impetu demisit. Ave, gratia plena, porta coelorum, de qua Propheta vaticinatus est his verbis: Ecce porta clausa, et nullus ingredietur per eam, nec egredietur, praeterquam Dominus Deus solus: et erit porta clausa duci, quia dux ipse vocabitur, et in ipsum sperabunt omnes gentes. De hac porta etiam in Canticis Propheta in decursu orationis plane et aperte proloquitur, inclamans: Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

℟. Nihil inquinatum in eam incurrit: * Candor est lucis aeternae, speculum sine macula.

℣. Hortus conclusus soror

mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Candor...

Lectio VI.

Angeli accusabant Evam, nunc vero Mariam gloria prosequuntur, quae mulierum infirmitatem vere gloriosam reddidit; quae lapsam Evam erexit, et Adamum e paradiso dejectum in coelos misit; quae paradisum clausum aperuit, et per latronem rursum Adamum complantavit. Per te enim, o Virgo, medius obstructionis paries inimicitias dissolvit; per te pax coelestis donata est mundo; per te homines facti sunt Angeli; per te homines appelati sunt amici, servi et filii Dei, per te homines meruerunt esse conservi Angelorum, et cum eis familiariter conversari; per te notitia coelestis a terra transmittitur in coelos; per te homines fiduciam habent in coelo erga Altissimum; per te Crux resplenduit per universam terram, in qua quidem Cruce pependit Filius tuus Christus Deus noster; per te mors conculcatur, et spoliatur infernus.

℟. Beatam me dicent omnes generationes, * Quia ancillam humilem respexit Deus.

℣. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit. Quia...

Gloria Patri... Quia...

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. *Cap. 1.*

Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia sancti Hieronymi Presbyteri.

Lib. 1. Comment. in Matth., in initio.

In Isaia legimus: Generationem ejus quis enarrabit? Non ergo putemus, Evangelistam Prophetae esse contrarium, ut, quod ille impossibile dixit effatu, hic enarrare, incipiat: quia ibi de generatione Divinitatis, hic de incarnatione est dictum. A carnalibus autem coepit, ut per hominem Deum discere incipiamus. Filii David, filii Abraham. Ordo praeposterus, sed necessario commutatus. Si enim primum posuisset Abraham, et postea David, rursus ei repetendus fuerat Abraham, ut generationis series texeretur.

℟. Signum magnum apparuit in coelo, Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, * Et in capite ejus corona stellarum duodecim.

℣. Filia Sion tota formosa et suavis est. Et in capite...

Lectio VIII.

Ideo autem ceteris praetermissis, horum filium nuncupavit,

quia ad hos tantum facta est de Christo promissio. Ad Abraham: In semine, inquit, tuo benedicentur omnes Gentes, quod est Christus. Ad David: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar. Notandum, in genealogia Salvatoris nullam sanctarum assúmi mulierum, sed eas, quas Scriptura reprehendit: ut, qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret. Unde et in consequentibus Ruth Moabítis ponitur, et Bethsabée uxor Uriae.

℟. Benedixit te Dominus in virtute sua, * Quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.

℣. (Hodie) Nomen tuum ita magnificavit Dominus, ut non recedat laus tua de ore hominum. Quia...

Gloria Patri... Quia...

Lectio IX.

Jacob autem genuit Joseph. Hunc locum objecit nobis Julianus. Augustus de dissonantia Evangelistarum, cur Evangelista Matthaeus Joseph dixerit filium Jacob, et Lucas eum filium appelarit Heli: non intelligens consuetudinem Scripturarum, quod alter secundum naturam, alter secundum legem ei pater sit. Scimus enim hoc per Moysen. Deo jubente, praeceptum, ut si frater aut propinquus absque liberis mortuus fuerit, alius accipiat uxorem ad suscitandum semen fratris vel propinqui sui. Joseph virum Mariae. Cum virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum: sed recordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsi viri, et sponsae vocentur uxores.

Te Deum laudamus.

DIE X. DECEMBRIS.

Tertia infra Octavam.

Semiduplex.

In I. Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Thomae Archiepiscopi Valentini.

In Concept. B. M. V.

Lectio IV.

Non est facta in pondere et mensura Virgo. Omnibus dedit, omnia replevit. Et quemadmodum sol justitiae, Christus Deus noster, oriri facit lumen suum super bonos et malos: sic lumen indeficiens, Virgo sacratissima, radios évibrans misericordiae suae, omnibus indifferenter sese exorabilem, omnibus clementissimam praebet, omnium denique necesitates amplissimo quodam misereatur affectu. Omnibus omnia facta est; sapientibus et insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit: o-

mnibus misericordiae sinum aperuit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus laetitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanae substantiam.

℟. Fundamenta, ut supra.

Lectio V.

O lampas lucidissima, quantos laetificasti, quando divino splendore illustrato in utero matris immaculata apparuisti! Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo. Merito epithalami praecentor ille a longe in ortu tuo, te intuitus: Quae, inquit, est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Sicut aurora valde rutilans in mundum prodiisti, o Maria, quando veri solis fulgóre adumbrata in Conceptione tua immaculata fuisti. Ipse enim sol justitiae de te processurus, ortum tuum quadam matutina irradiatione praeveniens, in te suae lucis radios copiosissimae transfudit, quibus potestates tenebrarum, quas Eva produxerat, in fugam convertisti.

℟. Nihil inquinatum.

Lectio VI.

Tu pulchra ut luna díceris, eique non immerito compararis; illa enim omnium astrorum sola, Soli simillima, comparatione et candore venusta, inter millia astrorum Deo assistentium, omnigena puritate in coelo gloriosa praefulget. Tu ergo pulchra es ut luna, imo et pulchrior luna, quia tota pulchra es, et maculae, neque originalis neque actualis, umbra non est in te. Tu electa es ut sol. Ille, inquam, sol, solis conditor, ille electus est ex millibus virorum; tu electa ex millibus feminarum. Tu terribilis ut castrorum acies ordinata. An non horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt praeter morem immaculate conceptam, armatura omni fortiore instructam contra se procedere feminam? Quin et in animatione tua acies validas spiritualium virtutum, et innumerabilium beatorum spirituum militiam delegatam fuisse, nullatenus ambigimus; utpote qui custodirent lectulum Salomonis purissimum, ne praeparatum aeterno Regi hospitium alienus hospes invaderet.

℟. Beatam me dicent.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. *Cap. 1.*

Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham.

Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Expos. Evang. secundum Luc. cap. 3.

Ideo istos duos generis auctores Evangelista delegit: unum, qui promissum accepit de congregatione populorum; alterum, qui de generatione Christi oraculum consecutus est. Et ideo licet ordine sit successionis posterior, prior tamen quam Abraham in Domini generatione describitur: quia plus est promissum accepisse de Christo, quam de Ecclesia; quoniam Ecclesia ipsà per Christum. Ergo unus princeps generis secundum carnem, alter princeps generis secundum spiritum: alter secundum seminis gratiam, alter secundum populorum fidem; potior enim, qui salvat, eo, qui salvatur. Et ideo David filius dicitur: Liber generationis Jesu Christi filii David. Ejus enim primo loco debuit filius dici, cui dari filius est promissus; licet Apostolus etiam Abrahae Christum dicat esse promissum. Abrahae enim dictae sunt promissiones et semini ejus. Non dicit: Et seminibus; tanquam in multis, sed sicut in uno: Et semini tuo; qui est Christus: ut alteri proprietas generationis, principatus alteri deferatur.

℟. Signum magnum.

Lectio VIII.

Illi delatum est, ut Jesus ejus filius diceretur: huic quasi principi, familiae gentiumque praerogativa servatur; ut ab Abraham generationis Dominicae manaret exordium. Qui enim fidei auctor est, ipsum asserere Scriptura quoque debuit divinae generationis auctorem. Unde et Lucas ad Deum putavit originem ejus esse referendam; quod verus Christi generator Deus sit, vel secundum veram generationem pater, vel secundum lavacri regenerationem mystici muneris auctor. Et ideo non a primo generationem ejus coepit describere; sed posteaquam baptismum ejus explicuit, auctorem omnium Deum per baptismum cupiens demonstrare, Christum quoque a Deo ordine manasse successionis asseruit: universa contexens, ut et secundum naturam, et secundum gratiam, et secundum carnem Dei filium demonstraret.

℟. Benedixit te.

Lectio IX.

Quod vero per Salomonem Matthaeus generationem derivandam putavit, Lucas vero per Nathan: alter regalem, alter sacerdotalem Christi familiam videtur ostendere. Quod non ita accipere debemus, quod alterum altero verius, sed alter alteri pari fide et veritate concordet.

Fuit enim vere et secundum carnem regalis et sacerdotalis familiae: Rex ex Regibus, Sacerdos ex Sacerdotibus, licet oraculum non de carnalibus, sed de coelestibus exprimatur; quoniam et Rex in Dei virtute laetatur, cui judicium a Patre Rege defertur, et Sacerdos est in aeternum secundum quod scriptum est: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Bene igitur uterque tenuit fidem, ut Matthaeus per Reges ductam originem comprobaret, et Lucas per Sacerdotes a Deo transmissam in Christum seriem generis deducendo, sanctiorem ipsam originem declararet.

Te Deum laudamus.

DIE XII. DECEMBRIS.

Quinta infra Octavam.

Semiduplex.

In I. Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Bernardi Abbátis.

De 12 praerogativis B. M. V.

Lectio IV.

Mulier, inquit, amicta sole. Plane amicta lumine tanquam vestimento. Non percipit forte carnalis; nimirum spirituale est: stultitia illi videtur. Non sic videbatur Apostolo, qui dicebat: Induimini Dominum Jesum Christum. Quam familiaris ei facta es, Domina! Quam proxima, imo quam intima fieri meruisti, quantam invenisti gratiam apud eum! In te manet, et tu in eo: et vestis eum, et vestíris ab eo. Vestis eum substantia carnis, et vestit ille te gloria suae majestatis. Vestis solem nube, sole ipa vestíris. Novum enim fecit Dominus super terram, ut mulier circúmdaret virum, nec alium, quam Christum, de quo dicitur: Ecce vir, Oriens nomen ejus. Novum quoque fecit in coelo, ut mulier sole appareret amicta. Denique et coronavit eum, et vicissim ab eo meruit coronari.

℟. Fundamenta ejus.

Lectio V.

In capite, inquit, ejus corona stellarum duodecim. Dignum plane stellis coronari caput, quod et ipsis longe clarius micans, ornet eas potius, quam ornetur ab eis. Quidni coronent sidera, quam sol vestit? Sicut dies verni, ait, circúmdabant eam flores rosarum et lilia convallium. Nimirum laeva sponsi sub capite ejus, et jam dextera illius amplexatur eam. Quis illas aestimet gemmas, quis stellas nominet, quibus Mariae regium diadema compactum est? Supra hominem est, coronae hujus rationem exponere, indicare compositionem. Mihi sane singularis

rútilat fulgor, primo quidem in Mariae generatione, secundo in Angelica salutatione, tertio in Spiritus superventione, quarto in Filii Dei inenarrabili Conceptione.

℟. Nihil inquinatum.

Lectio VI.

Quid ergo sidereum micat in generatione Mariae? Plane quod ex Regibus orta; quod ex semine Abrahae; quod generosa ex stirpe David. Si id parum videtur, adde, quod generationi illi ob singulare privilegium sanctitatis divinitus noscitur esse concessa; quod longe ante eisdem Patribus coelitus repromissa; quod mysticis praesignata miraculis; quod oraculis praenuntiata propheticis. Hanc enim sacerdotalis virga, dum sine radice floruit; hanc Gedeonis vellus, dum in medio siccae áreae maduit; hanc Ezechielis visione orientalis porta, quae nulli unquam patuit, praesignabat. Hanc denique prae ceteris Isaias nunc virginem de radice Jesse orituram praenuntiabat, nunc evidentius virginem parituram. Merito signum hoc magnum in coelo apparuisse scribitur, quod tanto ante de coelo noscitur fuisse promissum.

℟. Beatam me dicent.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. *Cap. 1.*

Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Homil. 2. in Matth. post initium.

Auditu quidem mirabile est, quod ineffabilis Deus, et qui nec sermonibus explicari potest, nec cogitationibus comprehendi. Patrique per omnia coaequalis, per Virginis ad nos venit uterum, et fieri ex muliere dignatus est, et habere progenitores David et Abraham; et quid dico David et Abraham? etiam illas, quod magis stupendum est, feminas, quas paulo ante memoravi. Haec igitur audiens, mente consurge, nihilque humile suspicéris, sed potius propter hoc ipsum maxime mira re, quia, cum verus et dilectus Filius sit sempiterni Dei, etiam Filius David esse dignatus est, modo ut te filium faceret Dei: servum patrem habere dignatus est, ut tibi servo Patrem faceret ipsum Deum.

℟. Signum magnum.

Lectio VIII.

Vides ab ipso statim principio, quam laeta sunt haec nuntia. Quodsi ámbigis de his, quae ad tuum spectant honorem: ab iis, quae illius sunt, etiam tua

disce credere. Quantum enim consequi potest humana ratio, multo est difficilius Deum hominem fieri, quam hominem Dei filium consecrari. Cum ergo audíeris, quia Filius Dei filius sit et David et Abrahae, dubitare jam désine, quod et tu, qui filius es Adae, futurus sis filius Dei. Non enim semetipsum ita humiliasset, nisi nos esset exaltaturus. Natus est enim secundum carnem, ut tu nascerére spiritu; natus est ex muliere, ut tu desíneres filius esse mulieris.

℟. Benedixit te.

Lectio IX.

Propterea duplex facta generatio est, haec scilicet nostrae similis, illa nostram eminenter excedens. Quod enim natus ex femina est, et nobis cómpetit: quod vero non ex sanguine, neque ex voluntate carnis aut viri, sed ex Spiritu sancto, aliam nobis sublimiorem, futuramque et spritu consequendam generationem promittit. Sed alia quoque omnia ex simili diversitate constabant. Nam et baptisma profecto tale suscepit, quod haberet quidem aliquid veteris, haberet et novi. Quod enim baptizatus est a Propheta, expressit vetus; quod autem descendit Spiritus, adumbravit novum.

Te Deum laudamus.

DIE XIV. DECEMBRIS.

Septima infra Octavam.

Semiduplex.

In I. Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente. Si autem hac die occurrat Feria Quatuor Temporum, leguntur Lectiones de Parabolis Salomonis: Ego Sapientia . . . ut in Breviario in die Octava cum ℟℟. et ℣℣. ut supra in Festo.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Joannis Damasceni.

Serm. 2. in Nativ B. M. V.

Cum homo per immensam Dei bonitatem in rerum naturam edendus esset, in primis coelum extenditur, substernitur terra, suis mare terminis clauditur, ceteraque omnia, quibus útraque complenda essent, in universi ornatu una producta sunt. Tum postremum homo regio cultu in paradiso velut in virtutis schola ponitur, ac nisi violasset praeceptum, a vitali illo loco nunquam exulasset; cumque expers indumenti esset, nisi divinis consiliis obstitisset, haudquaquam in multis variisque affectionibus obnoxiam mutationem cecidisset, ut Dei monarchae loco plura numina coleret. Cunctis itaque, ut verbo expediam, interitioni deditis, mi-

serante Deo, ne quem suis ipse manibus formasset, in nihilum cederet, penitusque aboleretur, coelum aliud novum, terramque ac mare fábricat, in quibus propensiori consilio humanum genus reformaturus ipse caperetur, qui capi nusquam potest. Isthaec porro est beata multipliciterque celebranda Virgo.

℟. Fundamenta ejus.

Lectio V.

O rem miram! Coelum quidem est, cum velut ex penitissimis virginitatis thesauris Solem justitiae proferat: terra vero, ceu quae ex intemeratis lumbis vitae spicam edat: mare tandem, utpote quae ex uteri sui sinu spiritalem margaritam prodit. Nunc itaque nova ejus, qui capi nequit, creatura elúxit: universorum Regis regalis aula parata est, ejus, qui incomprehensibilis est, ratione utens, diversorium instructum. Quam mundus iste magnificus est! Quam stupenda creatio, quae virtutum arboribus venustatem habet, castitatis odóre fragrat, sensorum splendoribus claret, cunctisque bonis aliis nulla penuria fruitur; digna denique prorsus est, in qua Deus ad homines veniens inhabitet! Quin imo, inquit, mundus anterior quam maxime est admirabilis. Tum enim, cum creata sunt sidera, laudaverunt me voce magna Angeli mei, et praedicaverunt: nihil vero sic Deo decens gratumque fuit, uti sancta omnibusque modis miranda Virgo.

℟. Nihil inquinatum.

Lectio VI.

O indulgentiae demissionem! Qui exímie bonus est, proprii figmenti proles audire non renuit, amore captus illius, quae creatis omnibus speciosior est, illam amplexus, quae coelestibus virtutibus dignitate praeit. De hac itaque summe admirabilis Zacharias ait: Gaude et laetare, filia Sion, quia ecce venio, et habitabo in medio tui, dicit Dominus. Sed et beatissimus Joël de eádem, ut quidem existimo, ita propémodum noscitur clamare: Confíde, terra, gaude et laetare, quia magnificavit Dominus, ut faceret tibi. Terra namque est, in qua sacratissimus Mojses umbraticae legis calceamentum solvere ob gratiae commendationem jussus est. Terra est, in qua ille carne fundatus a Spiritu canitur, qui fundat terram super stabilitatem suam. Terra est, in qua nulla peccata e nata spina; secus vero per cujus germen illud potius evulsum est. Terra est, non uti prior maledicta, ac cujus fructus spinis ac tribulis horrescant; sed super quam benedictio Domini fuit, et cujus fructus ventris benedictus, ut sacro dictum est oraculo.

℟. Beatam me dicent.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. *Cap. 1.*

Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

De Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Unde supra, paulo post.

Cujus vero rei gratia librum ipsum generationis Christi vocat, ubi non sola utique generatio, sed tota prorsus ipsius mysterii dispensatio continetur? Quia totius scilicet dispensationis caput, radix atque principium omnium nobis in hoc consistit bonorum. Ut enim Moyses librum coeli appellavit ac terrae, cum certe non de coelo solum terraque loqueretur, sed de cunctis, quae inter ipsa subsistunt: ita etiam Evangelista ab ipso omnium fonte et capite bonorum librum vocavit.

℟. Signum magnum.

Lectio VIII.

Qua vero de causa non eum ante filium Abrahae, et postea filium David nuncupavit? Non, sicut opinantur aliqui, ab inferioribus volens ad superiora conscendere. Ceterum fecisset, quod fecit et Lucas, nunc autem e contrario facit. Cur ergo commemoravit priorem David? Quia ipse procul dubio in omnium versabatur ore, ob insigne honoris et gloriae, ob ipsius quoque temporis spatia junctiora. Etsi enim utrique promiserat Deus, sed tamen illud quasi antiquum reticebatur; hoc vero quasi novum et recens ab omnibus celebrabatur.

℟. Benedixit te.

Lectio IX.

Ipsi namque Judaei dicunt: Nonne ex semine David, et Bethlehem castello, unde erat David, venit Christus? Nemo igitur illum filium Abrahae, sed omnes filium David nominabant: qui etiam honorabiliores quosque de sanctitate Reges, qui post David fuisse referuntur, ab illo omnes vocabant. Nec ipsi solum, verum etiam Deus: nam et Ezechiel et alii Prophetae dicunt, David surrecturum esse eis, atque venturum, non de illo utique mortuo jam loquentes, sed de iis, qui illius virtutem erant imitaturi. Propterea igitur a notiore interim et celebratiore persona sumit exordium, et tum demum ad antiquiorem recurrit parentem.

Te Deum laudamus.

DIE XV. DECEMBRIS.

In die Octava

IMMACULATAE CONCEPTIONIS

BEATAE MARIAE VIRGINIS.

Duplex.

In I. Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Si autem hac die occurrat Feria Quatuor Temporum, leguntur Lectiones de Parabolis Salomonis: Ego Sapientia . . . ut in Breviario hac die cum ℟℟. et ℣℣. ut in Festo.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

Hom. 2. super Missus est.

Lectio IV.

Laetare, pater Adam, sed magis tu, o Eva mater, exulta, qui sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores; et quod infelicius est, prius peremptores, quam parentes. Ambo, inquam, consolamini super filia, et tali filia; sed illa amplius, de qua malum ortum est prius, cujus opprobrium in omnes pertransivit mulieres. Instat namque tempus, quo jam tollatur opprobrium, nec habeat vir, quid causetur adversus feminam qui utique, dum se imprudenter excusare conaretur, crudeliter illam accusare non cunctatus est, dicens: Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comédi. Propterea curre, Eva, ad Mariam; curre mater ad filiam; filia pro matre respondeat; ipsa matris opprobrium auferat; ipsa patri pro matre satisfaciat: quia ecce, si vir cecidit per feminam, jam non erigitur nisi per feminam.

℟. Fundamenta ejus in montibus sanctis: * Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

℣. Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei. Diligit . . .

Lectio V.

Quid dicebas, o Adam? Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comédi. Verba malitiae sunt haec, quibus magis augeas, quam deleas culpam. Verumtamen sapientia vicit malitiam, cum occassionem veniae, quam a te Deus interrogando elicere tentavit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suae pietatis invenit: Redditur nempe femina pro femina, prudens pro fatua, humilis pro superba; quae pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitae, et pro venenoso cibo illo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus aeterni. Muta ergo iniquae excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, et dic: Domine, mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitae, et comédi; et dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificasti me. Ecce

enim ad hoc missus est Angelus ad Virginem. O Feminam singulariter venerandam, super omnes feminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem!

℟. Nihil inquinatum in eam incurrit: * Candor est lucis aeternae, speculum sine macula.

℣. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Candor . . .

Lectio VI.

Quam tibi aliam praedixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait: Inimicitias ponam inter te et mulierem? Et si adhuc dubitas, quod de Maria dixerit, audi, quod sequitur: Ipsa cónteret caput tuum. Cui haec servata victoria est, nisi Mariae? Ipsa proculdubio caput contrivit venenátum, quae omnimodam suggestionem, tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia, deduxit ad nihilum. Quam vero aliam Salomon requirebat, cum dicebat: Mulierem fortem quis inveniet? Noverat quippe vir sapiens hujus sexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem. Quia tamen et Deum legerat promisisse, et ita videbat congruere, ut, qui vicerat per feminam, vinceretur per ipsam, vehementer admirans ajebat: Mulierem fortem quis inveniet? Quod est dicere: Si ita de manu feminae pendet et nostra omnium salus, et innocentiae restitutio, et de hoste victoria: fortis omnino necesse est, ut provideatur, quae ad tantum opus possit esse idonea.

℟. Beatam me dicent omnes generationes, * Quia ancillam humilem respexit Deus.

℣. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit. Quia . . .

Gloria Patri . . Quia . . .

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. *Cap. 1.*

Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

De Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Unde supra paulo post.

Duo sunt, quae pariunt quaestionem. Unum, quae causa sit, ut in generationum catalogo Virgo sileatur; alterum vero, qua ratione Joseph memoretur, cui certe nihil cum Christi generatione est commune. Videtur enim et unum abundare, et alterum deesse. Quid ergo dicemus? Quod utique primum illud necesse fuerit memorari, quemadmodum ex David Virgo descenderit. Unde hoc itaque discemus? Audi ad Gabriel loquentem Dominum: Vade ad Virginem desponsatam viro, cui

nomen Joseph, ex domo et familia David. Quid vis audire manifestius, cum ex domo et familia David illam Virginem esse cognoscas?

℟. Signum magnum apparuit in coelo, Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, * Et in capite ejus corona stellarum duodecim.

℣. Filia Sion tota formosa et suavis est. Et in capite...

Lectio VIII.

Non erat mos apud Hebraeos, generationum catalogum per feminas texere. Ut ergo et morem custodiret, neve in ipso statim principio videretur antiqua destruere, et nobis Virginem certius indicaret: parentes ejus réticens atque majores, de Joseph generatione non tacuit. Sive enim haec fecisset in Virgine, novitatis non effugisset invidiam: sive Joseph reticuisset, non agnosceremus, ex qua tribu Virgo subsisteret. Ut ergo nos discerneremus, quae esset Maria, vel unde, et consuetudo legis permaneret immobilis, generationum catalogum usque ad sponsum ejus perduxit, ac de domo illum David esse monstravit.

℟. Benedicat te Dominus in virtute sua, * Quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.

℣. (Hodie) Nomen tuum ita magnificavit Dominus, ut non recedat laus tua de ore hominum. Quia...

Gloria Patri... Quia...

Lectio IX.

Hoc enim declarato, illud quoque pariter ostendit, quod scilicet inde esset et Virgo, quia utique nequaquam justus iste pateretur, uxorem sibi aliunde, quam unde lex praecipiebat, eligere. Possumus vero aliam quoque et altiorem quidem proferre rationem, ob quam parentes Virginis praetermissi sunt. Sed quae ea est? Noluit Evangelista recenti adhuc tempore novi illius admirandique partus Judaeis esse manifestum, quod Christus natus fuisset ex Virgine. Neque proprius noster hic sermo est, sed a nobis de Patrum atque insignium virorum traditione susceptus.

Te Deum laudamus.

OFFICIUM
DE IMMACULATA CONCEPTIONE B. V. MARIAE.
Duplex.

Ex Indulto Ritu duplici recitandum per Germaniam singulis anni Sabbatis, Officio novem Lectionum (etiam translato) aut Dominicae anticipatae non impeditis, exceptis Sabbatis Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum ac Vigiliis.

Hoc Officium per annum erit idem, quod supra in Festo, praeter sequentia.

In I. Nocturno Lectiones, de Scriptura occurrente, cum ℟℟. et ℣℣. ut supra in Festo.

In II. et III. Nocturno leguntur Lectiones, ut infra ordine mensium disponuntur.

Pro mensibus.

JANUARIO & FEBRUARIO.

Lectiones II. et III. Nocturni ut in secunda die infra Octavam (die 9. Decembris), *pag. 5—7.*

Pro mensibus.

MARTIO & APRILI.

Lectiones II. et III. Nocturni ut in tertia die infra Octavam (die 10. Decembris), *pag. 7—10.*

Pro mensibus.

MAJO & JUNIO.

Lectiones II. et III. Nocturni ut in quinta die infra Octavam (die 12. Decembris), *pag. 10—12.*

Pro mensibus.

JULIO & AUGUSTO

In II. Nocturno.

Sermo sancti Joannis Damasceni.

Serm. 1. in Nativ. B. M. V.

Lectio IV.

℣. Joachim et Annae sanctissima filia, quae principatibus et potestatibus, ignisque maligni telis latuisti: quae in Spiritus thálamo versata es, et sine macula custodíta, ut sponsa Dei naturaque Dei mater esses! O sacratissima filia, quae in maternis ulnis cérneris, apostaticisque virtutibus formidabilis es! O sacratissima filia, quae matris uberibus lactaris, atque ab Angelis undique cíngeris! O chara Deo filia, parentum decus, quam, ut abs te vere dictum est, generationes omnes beatam dicent! O digna Deo filia, humanae venustas naturae, primiginae parentis Evae emendatio! Tuo namque partu, quae ceciderat, erecta est. O sacrosancta filia, feminarum gloria! Quamvis enim prima Eva praevaricationis rea extíterit, ac per eam mors, dum illa serpenti adversus primum parentem inserviret, ingressa sit; attamen Maria divinae óbsequens voluntati deceptorem anguem ipsa dece-

pit, ac mundo immortalitatem invexit.

℟. Fundamenta ejus.

Lectio V.

Vere res omnes conditas dignitate antecelluisti. Nam ex te sola summus ille opifex partem assumpsit, massae nostrae primitias. Caro ejus ex tuis sanguinibus concreta fuit. Quin Deus ex tuis mamillis lac suxit, tuaque labia Dei labiis cohaeserunt. O miracula, mentis captum et sermonem excedentia! Dignitatem tuam praecognoscens universorum Deus, te proinde dilexit, dilectamque praedestinavit, atque extremis temporibus produxit, ac Deiparam matrem, suique Filii ac Verbi nutritiam fecit. Laetare, beata Anna, quod feminam pepéreris. Haec enim femina Dei mater natura est, porta lucis, fons vitae, et feminarum crimen abolevit. Hujus feminae vultum deprecabuntur omnes divites plebis. Feminam hanc Reges gentium muneribus oblatis adorabunt. Hanc feminam Deo universorum Regi ófferes, virtutum tanquam fimbriis aureis circumamictam elegantia, sanctique Spiritus gratia ornatam, cujus gloria ab intus.

℟. Nihil inquinatum.

Lectio VI

O divinum vivumque simulacrum, cujus conditor Deus pulchritudine delectatus est, quod mentem quidem divinitus gubernatam habet, Deoque soli addictam; cupiditatem vero omnem ad id, quod solum expetendum est et amore dignum, intentam; iram autem contra peccatum dumtaxat ejusque parentem. Vitam natura potiorem habebis. Habebis autem non tibi ipsa; quippe quae non tui ipsius causa genita sis. Quocirca Deo hanc habebis, cujus gratia in mundum prodiisti, ut orbis universi saluti obsequaris, Deique antiquum consilium, nimirum incarnationis Verbi, ac nostrae deificationis per te impleatur. Appetitus tuus divinis sermonibus nutrietur, hisque pinguesces tanquam oliva fructifera in domo Dei; tamquam lignum plantatum secus decursus aquarum Spiritus; tanquam vitae lignum, quod fructum vitae dedit praefinito suo tempore; Deum scilicet incarnatum, et aeternam universorum vitam. Cogitatum omnem alumnum habens et animae proficuum, ac supervacaneum omnem et animis exitiosum prius réprobans, quam eum degustes. Tota thalamus Spiritus, tota civitas Dei vivi, quam laetificant fluminis impetus, sancti inquam Spiritus gratiarum fructus. Tota pulchra, tota Deo propinqua; haec enim Cherubim superans, et super Seraphim evecta, proxima Deo extitit.

℟. Beatam me.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 1.

Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

De Homilia sancti Hieronymi Presbyteri.

Lib. 1. Comm. in Matth.

Jacob autem genuit Joseph. Hunc locum objecit nobis Julianus Augustus de dissonantia Evangelistarum, cur Evangelista Matthaeus Joseph dixerit filium Jacob, et Lucas eum filium appellarit Heli: non intelligens consuetudinem Scripturarum, quod alter secundum naturam, alter secundum legem ei pater sit. Scimus enim hoc per Moysen, Deo jubente, praeceptum, ut, si frater aut propinquus absque liberis mortuus fuerit, alius accipiat uxorem ad suscitandum semen fratris vel propinqui sui.

℟. Signum magnum.

Lectio VIII.

Joseph virum Mariae. Cum virum audieris, suspitio tibi non subeat nuptiarum: sed recordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsi viri, et sponsae vocentur uxores. Et a transmigratione Babylonis usque ad Christum generationes quatuordecim. Numera a Jechonía usque ad Joseph, et invenies generationes tredecim. Quartadecima ergo generatio in ipsum Christum reputabitur. Christi autem generatio sic erat.

℟. Benedixit te.

Lectio IX.

Quaerat diligens lector et dicat: Cum Joseph non sit pater Domini Salvatoris, quid pertinet ad Dominum generationis ordo deductis usque ad Joseph? Cui respondebimus primum, non esse consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur; deinde, ex una tribu fuisse Joseph et Mariam, unde ex lege eam accipere cogebatur ut propinquam: et quod simul censentur in Bethlehem, ut de una videlicet stirpe generati.

Te Deum laudamus.

Pro mensibus SEPTEMBRI & OCTOBRI.

Lectiones II. et III. Nocturni ut in septima die infra Octavam (die 14. Decembris), *pag. 12. — 14.*

Pro mensibus NOVEMBRI & DECEMBRI.

Lectiones II. et III. Nocturni ut in Die Octava (15. Decembris), *pag. 15 — 17.*

Labaci. 1855. Typis Josephi Blasnik.

DIE XIV. JANUARII.

In festo
SANCTI HILARII EPISC. CONF. & Eccl. Doct.

Duplex.

Omnia ut in Breviario hac die, sed lectioni 6tae adjungatur:

Eum a multis Patribus et Conciliis insignem Ecclesiae Doctorem nuncupatum, atque uti talem in aliquot Dioecesibus cultum, tandem instante Synodo Burdigalensi Pius IX. Pontifex Maximus ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto universae Ecclesiae Doctorem declaravit et confirmavit, ac ipsius festo die Missam et Officium de Doctoribus ab omnibus recitari jussit.

DIE XXV. FEBRUARII.

In festo
S. MARGARITAE DE CORTONA.

Duplex.

Dies assignata ex 23. hujus.

Omnia de Communi nec Virg. nec Martyr. praeter ea, quae hic habentur propria.

Oratio.

Deus, qui famulam tuam Margaritam de perditionis via ad salutis tramitem misericorditer deduxisti: eadem nobis miseratione concede; ut, quam prius errantem sectari non erubuimus, mox poenitentem impigre sequi gloriemur. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. vero: Mulierem fortem, de Communi non Virg.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Margarita, a loco dormitionis Cortonensis appellata, Laviani in Tuscia ortum habuit. Primis adolescentiae suae annis mundi voluptatibus capta in Montis Politiani Civitate vanam, et lubricam vitam duxit: sed cum Amasium ab hostibus foede transfossum indicio canis in fovea sub strue lignorum tumulatum fortuito reperisset, illico facta est manus Domini super eam, quae magno culparum suarum moerore tacta, exiit foras, et flevit amare. Itaque Lavianum reversa, crine detonso, neglecto capite, pullaque veste contecta, erroribus suis mundique illecebris nuncium misit, inque aedibus Deo sacris fune ad collum alligato humi procumbens, ab omnibus, quos antea moribus suis palam offenderat, veniam exoravit. Mox Cortonam profecta, in cinere, et cilicio a se laesam Dei Majestatem studuit placare; donec post triennale virtutum experimentum a Fratribus Minoribus, spiritualis vitae ducibus, Tertii Ordinis habitum impetravit. Ubere exinde lacrymae ei familiares fuerunt, atque ima suspiria

tanta animi contritione ducta, ut diu elinguis consisteret. Lectulus nuda humus, cervical lapis, aut lignum porrexit, atque ita noctes insomnes in coelestium meditatione trahere consuevit, nullum amplius pravum desiderium perpessa, dum bonus spiritus promptior infirmam carnem ad subeundos labores erigebat.

℟. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * Et deducet de mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua et pulchritudine tua intende, spropere procede et regna. Et deducet.

Lectio V.

A daemone insidiis, funestisque conatibus lacessita mulier fortis hostem ex verbis detectum semel, atque iterum invicta répulit. Ad eludendum vanae gloriae lenocinium, quo a malo spiritu petebatur, praeteritos mores suos per vicos, et plateas alta voce accusare non destitit, omni supplicio se ream inclamans; nec nisi a Confessario deterrita in speciosam faciem, olim impuri amoris causam, saevire abstinuit, aegre ferens suam formam longa carnis maceratione non aboleri. Quibus, aliisque magnae poenitentiae argumentis suorum criminum labe expiata, atque ita de se triumphatrix, ut sensus plane omnes a mundi illecebris custodiret, digna facta est, quae saepe Domini consuetudine frueretur. Ejusdem quoque Christi, et Virginis Matris dolorum, quod ipsa ardenter expetierat, particeps facta, sensibus destituta, et vere mortua interdum visa est; ad eam proinde veluti perfectionis magistram ex dissitis etiam regionibus plurimi conveniebant: ipsa vero coelesti, quo erat perfusa, lumine, cordium secreta, conscientias hominum, imo et peccata in remotis licet partibus Deum offendentium cum dolore, et lacrymis détegens, summaque in Deum, et proximum caritate fervens, ingentem animarum fructum operata est. Aegris ad se venientibus salutem, obsessis a daemone liberationem impetravit. Puerum defunctum, lugente matre, ad vitam reduxit. Imminentes bellorum tumultus assiduis orationibus sedavit. Denique summae pietatis operibus vivos et mortuos sibi demeruit.

℟. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae.

℣. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Propterea.

Lectio VI.

Tot sanctis operibus occupata, de rigore, quo assidue corpus suum exercebat, nihil remisit, neque a studio coelestia meditandi se avelli passa est, in utroque vitae genere plane ad-

miranda, utramque sororem Magdalenam et Martham réferens. Tandem pro se Dominum orans, ut ex hac valle lacrymarum sursum in coelestem patriam evocaretur, exaudita est oratio ejus, die atque hora dormitionis ei patefactis. Meritis itaque, et laboribus plena, ac coelestibus donis cumulata, coepit corporis viribus destitui, perque dies decem et septem nullo cibo, sed divinis tantum colloquiis refecta est; tum sanctissimis Ecclesiae Sacramentis rite susceptis, vultu hílari, atque oculis in coelum conversis, octavo Kalendas Martias anno aetatis quinquagesimo, suae Conversionis vigesimo tertio, humanae vero salutis millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, felix migravit ad Sponsum. Corpus in hanc usque diem végetum, incorruptum, illaesum, et suaviter olens, summa religione colitur in Ecclesia Fratrum Minorum, quae jam ab eadem Margarita appellatur. Miraculis continuo floruit, quibus permoti Romani Pontifices ad augendum ejus cultum plurima liberaliter indulsérunt; Benedictus vero decimus tertius in festo Pentecostes die sexta decima Maji anni millesimi septingentesimi vigesimi octavi solemnem ejus Canonizationem religiosissime celebravit.

℟. Fallax gratia et vana est pulchritudo: ✻ Mulier timens Deum ipsa laudabitur.

℣. Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus. Mulier. Gloria. Mulier.

In III. Nocturno.

Lectiones de Homilia in Evang. Simile est regnum coelorum thesauro, de Communi non Virg.

Ad Benedictus Antiphona.

Ut cognovit, resipuit Seraphici Ordinis Magdalena: dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum.

In II. Vesp. ad Magnificat Antiphona.

Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus: inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.

DIE VII. JULII.

In festo

S. BONIFACII EPIS. & MART.

Duplex.

Dies assignata ex V. Junii.

Omnia de Communi unius Martyris praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui multitudinem populorum Beati Bonifacii Martyris tui, atque Pontificis zelo ad agnitionem tui nominis vocare dignatus es: concede propitius, ut, cujus solemnia colimus, etiam patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

In I. Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Bonifacius, antea Winfridus appellatus, apud Anglos natus est exeunte saeculo septimo, et ab ipsa infantia mundum aversatus vitam monasticam in votis habuit. Cum ejus pater animum saeculi illecebris permutare frustra tentasset, Monasterium ingreditur, et sub beati Wolphardi disciplina omnium virtutum, ac scientiarum genere imbuitur. Annum agens trigesimum Sacerdotio insignitur, ac verbi Divini praedicator assiduus, magno animarum lucro hoc in munere versatur. Attamen regnum Christi adaugere desiderans, continuo flebat ingentem multitudinem barbarorum, qui ignorantiae tenebris immersi daemoni famulabantur. Qui quidem animarum zelus cum in dies inestinguibili ardore accresceret, divino Numine per lacrymas et orationes explorato, facultatem a Monasterii praeposito obtinuit ad Germanicas oras proficiscendi.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: ℣ Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Descenditque cum illo in foveam: et in vinculis non dereliquit eum. ℟ Et dedit.

Lectio V.

Ex Anglia duobus cum sociis navim solvens, Dorestadium in Frisiae oppidum venit. Cum autem bellum gravissimum inter Frisonum regem Redbodum, et Carolum Martellum exarsisset, sine fructu Evangelium praedicavit; quapropter in Angliam reversus, ad suum redivit Monasterium, cui invitus praeficitur: post elapsum biennium ex consensu Episcopi Vintoniensis munus abdicavit, et Romam profectus est, ut Apostolica auctoritate ad gentilium conversionem delegaretur. Cum ad Urbem pervenisset, a Gregorio Secundo benigne excipitur, pro Winfrido Bonifacius a Pontifice nominatur. In Germaniam directus Turingiae, Saxoniaeque populis Christum annuntiavit. Cum interea Radbodus Frisiae rex ac infestissimus Christiani nominis hostis occubuisset, Bonifacius ad Frisones rediit, ubi sancti Willebrordi socius per triennium tanto cum fructu Evangelium praedicavit, ut destructis idolorum simulacris, innumerae vero Deo Ecclesiae excitarentur.

℟. Desiderium animae ejus tribuisti ei, Domine, ℣ Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. ℟ Et voluntate.

Lectio VI.

A sancto Willebrordo ad Episcopale munus expetitus, illud detrectavit, ut promptius infidelium saluti instaret. In Germaniam profectus plura Hassorum millia a daemonis superstitione avocavit. A Gregorio Pontifice Romam evocatus, post insignem fidei professionem Episcopus consecratur. Exinde ad Germanos redux, Hassiam, et Thuringiam ab idololatriae reliquiis penitus expurgavit. Tanta propter merita Bonifacius a Gregorio Tertio ad dignitatem Archiepiscopalem evehitur, et tertio Romam profectus a Summo Pontifice Sedis Apostolicae Legatus constituitur, qua insignitus auctoritate quatuor Episcopatus instituit, et varias Synodos celebravit, inter quas Concilium Leptinense memorabile est apud Belgas in Cameracensi Dioecesi celebratum, quo quidem tempore ad Fidem in Belgio adaugendam egregie contulit. A Zaccharia Papa creatus Moguntinus Archiepiscopus, ipso Pontifice jubente Pipinum in Regem Francorum unxit. Post mortem sancti Willebrordi Ultrajectensem Ecclesiam gubernandam suscepit, primo per Eobanum, deinde per seipsum dum ab Ecclesia Moguntina absolutus, Ultrajecti resedit. Frisonibus ad idololatriam relapsis Evangelium praedicare rursus aggreditur, cumque officio pastorali occuparetur, a barbaris et impiis hominibus juxta Bornam fluvium cum Eobano Coepiscopo, multisque aliis cruenta caede peremptus martyrii palma condecoratur. Corpus sancti Bonifacii, ut ipse vivus petierat, Moguntiam translatum, in Fuldensi Monasterio, quod extruxerat, reconditum fuit, ubi multis miraculis inclaruit.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus: et aqua sapientiae salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

In III. Nocturno.

Lectiones de Homilia in Evangelium: Si quis venit, de Communi.

Decretum.

Ad Cultum in Christiano Orbe augendum latiusque propagandum erga Sanctum Bonifacium Episcopum et Martyrem, cujus praeconium occurrit in Martyrologio Romano Nonis Junii, plures Rmi Cardinales, et amplissimi diversarum nationum Episcopi e Germania praesertim et Anglia, auspicatissima arrepta ocassione sui in Urbem adventus quum Dogma de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX. fuit solemniter proclamatum, humillimis precibus eidem Sanctissimo Patri supplicarunt, ut Officium, Missamque praedicti Sancti Bonifacii tot ceteroqui nominibus insignis, et de Catholica Religione, deque hac

Sancta Sede Apostolica adeo promeriti ad universalem Ecclesiam Pontificia sua auctoritate dignaretur extendere, aut nisi forte pro multa sapientia sua id congruum judicaret, ejusdem saltem Officii ac Missae recitationem toti Germaniae, totique Angliae vellet concedere, quod in Sancto Bonifacio suum haec filium, suum illa veneretur Apostolum; reliquis vero extra Germaniam et Angliam Dioecesibus si illarum Episcopi duxerint, ea de re supplicandum.

Istiusmodi preces, referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, idem Sanctissimus Dominus Noster clementer excipiens, indulsit, ut in tota Germania et Anglia quotquot Dioeceses concessionem Officii et Missae de Sancto Bonifacio Episcopo et Martyre ab Apostolica Sede nondum obtinuerunt, volentibus Episcopis recitare amodo possint juxta exemplar huic decreto praevium sub ritu duplici minore die quinta Junii in Martyrologio assignata; indulsitque praeterea ut extra Germaniam et Angliam a Sacra Rituum Congregatione eadem concessio tribuatur Episcopis, qui postulaverint; dummodo Rubricae serventur. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 29. Martii 1855.

C. Episcopus Albanen. **Card. Patrizi**
S. R. C. Praef.

Loco † Signi H. Capalti *S. R. C. Secretarius.*

DIE XVIII. NOVEMBRIS.

In

Dedicatione Basilicarum SANCTORUM APOSTOLORUM PETRI & PAULI.

Duplex majus.

ADNOTATIO.

In Martyrologio Romano addenda.

Romae dedicatio Basilicarum sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, quarum primam in ampliorem formam restitutam Urbanus Octavus, hac ipsa recurrente die: alteram vero miserando incendio penitus consumptam, ac magnificentius reaedificatam Pius Nonus die decima Decembris, translata tamen in praesentem diem anniversaria commemoratione, solemni ritu consecravit.

IN OFFICIO.

Omnia ut in Breviario Romano, praeter Lectiones quintam et sextam in secundo Nocturno, quae recitandae erunt, prout sequitur.

In II. Nocturno.

Lectio V.

Illuc Constantinus Magnus Imperator octavo die post susceptum baptismum venit, depositoque diademate, et humi jacens vim lacrymarum profudit: mox sumpto ligone, ac bidente terram eruit, indeque duodecim terrae cophinis, honoris causa duodecim Apostolorum, ablatis, ac loco Basilicae Principis Apostolorum designato Ecclesiam aedificavit. Quam sanctus Silvester Papa decimo quarto Kalendas Decembris eo modo, quo Lateranensem Ecclesiam quinto Idus Novembris consecraverat, dedi-

cavit, et in ea altare lapideum chrismate delibutum erexit: atque ex eo tempore sancivit, ne deinceps altaria nisi ex lapide fierent. Idem beatus Silvester Basilicam sancti Pauli Apostoli in via Ostiensi ab eodem Constantino Imperatore magnificentissime aedificatam dedicavit. Quas Basilicas idem Imperator multis praediis attributis locupletavit, ac muneribus amplissimis exornavit.

℟. O quam metuendus est locus iste! * Vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta coeli.

℣. Haec est domus Domini firmiter aedificata, bene fundata est supra firmam petram. ℣ere.

Lectio VI.

Porro Vaticanam Basilicam vetustate jampridem collabentem, ac propterea multorum Pontificum pietate latius, ac magnificentius a fundamentis erectam Urbanus Octavus hac eadem recurrente die anni millesimi sexcentesimi vigesimi sexti solemni ritu consecravit. Basilicam vero Ostiensem quum dira incendii vis anno millesimo octingentesimo vigesimo tertio penitus consumpsisset, indefessa quatuor Pontificum cura splendidius quam antea erectam, et ab interitu veluti vindicatam Pius Nonus, auspicatissimam nactus occasionem, qua Dogma de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione nuper ab ipso proclamatum, ingentem Cardinalium et Episcoporum numerum ex dissitis etiam Catholici Orbis regionibus Romam attraxerat, die decima Decembris anni millesimi octingentesimi quinquagesimi quarti tanta circumdatus Purpuratorum Patrum, et Antistitum corona solemniter dedicavit, ejusque celebritatis memoriam hac die recolendam decrevit.

℟. Mane surgens Jacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper, votum vovit Domino: * Vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam.

℣. Cumque evigilasset Jacob de somno, ait. ℣ere. Gloria. ℣ere.

Urbis et Orbis.

Digna certe est, quae in Ecclesiae fastis adscribatur Patriarchalis Basilicae Ostiensis, in qua gloriosum Beati Pauli Apostoli trophaeum tota retro antiquitas venerata est, post dirum illud Anni MDCCCXXIII, quo conflagravit, incendium, sumptuosa, et vere splendida reaedificatio pietate ac munificentia Leonis XII. Pii VIII. et Gregorii XVI. suscepta, et continuata, regnantis vero Pontificis Pii IX. ad exitum perducta; nec minus digna est quae posterorum memoriae mandetur Basilicae ejusdem die X. Decembris anni superioris MDCCCLIV. ab eodem Summo Pontifice Pio IX. peracta dedicatio tanta cum solemnitate quantam nunquam alia, nisi forte perraro vidit aetas ob ingentem Purpuratorum Patrum et Episcoporum ex dissitis etiam regionibus concursum augustam Supremi Pontificis majestatem nova veluti lucis accessione augentium.

Haec grato animo recolentes Abbas et Monachi Sancti Benedicti Congregationis Casinensis, qui celeberrimae hujus Basilicae custodiam et curam concreditam habent, supplicia vota eidem Sanctissimo Domino Nostro humiliter porrexerunt, ut tanti eventus memoriam in Martyrologio, et in Breviario Romano ad diem XVIII. Novembris, qua Officium pro universa Ecclesia recurrit Dedicationis Basilicarum Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli inseri mandaret eo vel magis quod sapientissimi ipsius Decessores Urbanus VIII. et Benedictus XIII. hoc idem olim jusserint quoad Patriarchales Basilicas a se consecratas Vaticanam, et Lateranensem.

Has itaque preces, referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, quum Sanctitas Sua, benigne duxerit excipiendas, mandavit, ut in Martyrologio Romano ad diem XVIII. Novembris praevia huic Decreto adnotatio inscribatur, et in Breviario Romano Lectiones quinta et sexta praedicti Officii Dedicationis Basilicarum Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli reformentur juxta exemplar supra descriptum; servatis ceterum Rubricis. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 29. Martii 1855.

C. Episcopus Albanen. **Card. Patrizi**
S. R. C. Praef.

Loco † Sigilli

H. Capalti *S. R. C. Secretarius.*

Labaci. 1856. Typis Josephi Blasnik.

DIE XXIV. MAJI.

In festo

BEATAE MARIAE VIRGINIS

sub titulo:

AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Duplex majus.

Omnia ut in festis B. Mariae Virg. 16. Jul. aut 5. Aug. praeter sequentia.

AD VESPERAS.

Antiphonae, Psalmi et Capitulum ex Officio beatae Mariae per annum, alias ex 5. Augusti.

Hymnus.

Saepe dum Christi populus cruentis
Hostis infensi premeretur armis,
Venit adjutrix pia Virgo coelo
Lapsa sereno.

Prisca sic patrum monumenta narrant,
Templa testantur spoliis opimis
Clara, votivo repetita cultu
Festa quotannis.

En novi grates liceat Mariae
Cantici laetis modulis referre
Pro novis donis, resonante plausu
Urbis et orbis.

O, dies felix, memoranda fastis,
Qua Petri sedes fidei magistrum
Triste post lustrum reducem beata
Sorte recepit!

Virgines castae, puerique puri,
Gestiens clerus, populusque grato
Corde Reginae celebrare coeli
Munera certent.

Virginum Virgo, benedicta Jesu
Mater, haec auge bona; fac, precamur,
Ut gregem Pastor pius ad salutis
Pascua ducat.

Te per aeternos veneremur annos,
Trinitas, summo celebranda plausu,
Te fide mentes, resonoque linguae
Carmine laudent. Amen.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnificat Antiphona.

Ecce Maria erat spes nostra, ad quam confugimus in auxilium, ut liberaret nos, et venit in adjutorium nobis.

Oremus. *Oratio.*

Omnipotens et misericors Deus, qui ad defensionem populi christiani in beatissima Virgine Maria perpetuum auxilium mirabiliter constituisti: concede propitius, ut tali praesidio muniti certantes in vita, victoriam de hoste maligno consequi valeamus in morte. Per Dominum.

In fine Hymni Completorii et Horarum dicitur:

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine.

AD MATUTINUM.

Invit. cum Psalmo Venite.

Hymnus. Saepe dum, ut supra, Antiphonae, Psalmi, ℣. et ℟. cum ℟℟. ex eodem Officio.

In primo Nocturno.

De Parabolis Salomonis.

Lectio I. *Cap. 8. b. & 2.*

Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. Timor Domini odit malum: arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. Meum est consilium et aequitas. mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam. Ego diligentes me diligo: et qui mane vigilant ad me, invenient me.

℟. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: ✻ Quia quem coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia.

Lectio II.

Mecum sunt divitiae, et gloria, opes superbae, et justitia. Melior est enim fructus meus auro, et lapide pretioso, et genimina mea argento electo. In viis justitiae ambulo, in medio semitarum judicii, ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum erúperant, necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar.

℟. Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum: quia cum essem parvula, placui Altissimo: ✻ Et de meis visceribus genui Deum et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et de meis.

Lectio III.

Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino: qui autem in me peccaverit, laedet animam suam. Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem. Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, et ad moenia civitatis: Si quis est parvulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis.

℟. Beata es Virgo Maria, quae Dominum portasti Creatorem mundi: ✻ Genuisti, qui te fecit, et in aeternum permanes Virgo.

℣. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum. Genuisti.

Gloria Patri. Genuisti.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

Ex sermone de 12 stellis.

Lectio. IV.

Vehementer quidem nobis, dilectissimi, vir unus et mulier una nocuere; sed gratias Deo, per unum nihilominus virum et mulierem unam omnia restaurantur, nec sine magno fenore gratiarum. Et quidem sufficere poterat Christus, siquidem et nunc omnis sufficientia nostra ex eo est; sed nobis bonum non erat, esse hominem solum. Congruum magis, ut adesset nostrae reparationi sexus uterque. Jam itaque nec ipsa mulier benedicta in mulieribus videbatur otiosa; invenietur equidem locus ejus in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem Christum, nec alter nobis utilior quam Maria. Crudelis nimium mediatrix Eva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit; sed fidelis Maria, quae salutis antidotum et viris et mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis, haec propitiationis; illa suggessit praevaricationem, haec ingessit redemptionem. Quid ad Mariam accedere trepidat humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile; tota suavis est, omnibus offerens lac et lanam. Revolve diligentius evangelicae historiae seriem universam, et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel levis indignationis occurrerit in Maria, de cetero suspectam habeas, et accedere verearis.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion; quasi myrrha electa * Dedi suavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi.

Lectio V.

Quod si, ut vere sunt, plena magis omnia pietatis et gratiae, plena mansuetudinis et misericordiae, quae ad eam pertinent, inveneris, age gratias ei, qui talem mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus et insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit. Omnibus misericordiae sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, angelus laetitiam. Ipsa praeterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam praebet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. Ipsa est quondam a Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede contritura, cujus plane calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine causa. Sola enim con-

trivit universam haereticam pravitatem. Contriti sunt insidiantes, conculcati supplantatores, confutati derogatores, et beatam eam dicunt omnes generationes. Jam si Ecclesia lunae intelligenda videtur vocabulo, habes mediatricem evidenter expressam: Mulier, inquit, amicta sole, et luna sub pedibus ejus. Amplectamur Mariae vestigia, et devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis; potens est enim.

℟. Quae est ista, quae processit sicut sol, et formosa tanquam Jerusalem? ℣ Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et reginae laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium. Viderunt.

Ex publicis monumentis.

Lectio VI.

Praesentissimum Deiparae auxilium ad religionis hostes profligandos saepe populus christianus mirum in modum expertus est, ex quo factum, ut sanctissimus pontifex Pius quintus post insignem victoriam, intercedente beatissima Virgine a christianis de Turcarum tyranno apud Echinadas insulas reportatam, in Litaniis Lauretanis eandem Reginam coelorum inter alia praeconia Auxilium christianorum appellari constituerit. Sed illud in primis memorabile est, atque explorati miraculi loco habendum, quod cum romanus pontifex Pius septimus impiorum consiliis et armis ex apostolica Petri sede exturbatus, et arcta custodia, praesertim Savonae, per annos quinque, eoque amplius fuisset detentus, viis omnibus penitus interclusis, ne Dei Ecclesiam regere posset, nullo similis persecutionis in priscis annalibus exemplo, inopinato et praeter omnium expectationem contigit, ut ingenti plausu, ac veluti universi orbis manibus pontificio solio restitueretur. Quod et secundo accidit, dum iterum commoto turbine ab Urbe discedens sacro comitante cardinalium collegio Liguriam contendit. Verum praesentissimo Dei beneficio cessante procella, quae grave minabatur excidium, Romam, plaudentibus prae novo gaudio populis, reversus est. Antea tamen, quod in votis habuerat et captivitate detentus exequi nequiverat, aurea corona insignem Savonae imaginem Deiparae Virginis sub titulo Matris Misericordiae solemni ritu propriisque manibus decoravit. Quam mirabilem rerum vicissitudinem idem pontifex maximus Pius septimus, totius eventus intime conscius, cum intercessione sanctissimae Dei Genitricis, cujus potentem opem et ipse impense imploraverat, et ab omnibus Christi fidelibus implorari curaverat, acceptam merito referret, in ejusdem Virginis

Matris honorem sub appellatione Auxilii christianorum solemne festum indixit perpetuo celebrandum die mensis Maji vicesimo quarto, faustissimi sui in Urbem reditus anniversario, approbato etiam Officio proprio, ut tanti beneficii distincta et perennis extet memoria et gratiarum actio.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit; * Et videntes eam filiae Sion beatissimam praedicaverunt, dicentes: * Unguentum effusum nomen tuum.

℣. Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes. Gloria Patri. Unguentum.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap. 11.*

In illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quaedam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis.

In Nativitate B. V. M.

Intuere, o homo, consilium Dei, agnosce consilium sapientiae, consilium pietatis. Coelesti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit. Redempturus humanum genus, pretium universum contulit in Mariam. Altius ergo intuemini, quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria; ut proinde, si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quae ascendit deliciis affluens. Totis ergo medullis cordium, totis praecordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Haec, inquam, voluntas ejus est, sed pro nobis.

℟. Felix namque es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima; * Quia ex te ortus est sol justitiae, Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni, pro clero, intercede pro devoto femineo sexu; sentiant omnes tuum juvamen, quicunque tuum sanctum implorant auxilium. Quia.

Lectio. VIII.

In omnibus siquidem et per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus, ad folia fugiebas: Jesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua: Pater enim diligit Filium. Sed forsitan et in ipso majestatem vereare divinam, quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis et

ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed pura singularitate naturae. Nec dubius dixerim, exaudietur et ipsa pro reverentia sua. Exaudiet utique Matrem Filius, et exaudiet Filium Pater.

℟. Beatam me dicent omnes generationes; * Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia.

Gloria Patri. Quia.

Lectio IX.

Filioli, haec peccatorum scala, haec mea maxima fiducia est, haec tota ratio spei meae. Quid enim? Potestne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam? Non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum plane. Invenisti, ait angelus, gratiam apud Deum: feliciter. Semper haec inveniet gratiam, et sola est gratia, qua egemus; nimirum sola est gratia, qua salvamur. Quid nos alia concupiscimus, fratres? Quaeramus gratiam, et per Mariam quaeramus, quia, quod quaerit, invenit, et frustrari non potest. Quaeramus gratiam, sed gratiam apud Deum; nam apud homines gratia fallax. Quaerant alii meritum, nos invenire gratiam studeamus. Quid enim? Non gratiae est, quod hic sumus? Profecto misericordiae Domini est, quod non sumus consumpti nos.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES,

et per Horas.

Antiphona. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.

Psalm. Dominus regnavit. cum reliquis de Dominica, ut in Psalterio.

Antiphona. Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Antiphona. Nigra sum, sed formosa, filiae Jerusalem: ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum.

Antiphona. Jam hiems transiit, imber abiit, et recessit: surge amica mea, et veni.

Antiphona. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, sancta Dei Genitrix.

Capitulum. *Eccli. 24. b.*

Ab initio, et ante saecula creata sum, et usque ad futurum saeculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

Hymnus.

Te Redemptoris Dominique nostri
Dicimus Matrem, speciosa Virgo,
Christianorum decus et levamen
Rebus in arctis.
Saeviant portae licet inferorum,

Hostis antiquus fremat, et minaces,
Ut Deo sacrum populetur agmen,
Suscitet iras.
Nil truces possunt furiae nocere
Mentibus castis, prece quas vocata
Annuens Virgo fovet, et superno
Robore firmat.
Tanta si nobis faveat Patrona,
Bellici cessat sceleris tumultus.
Mille sternuntur, fugiuntve turmae,
Mille cohortes.
Tollit ut sancta caput in Sione
Turris, arx firmo fabricata muro
Civitas David, clypeis et acri
Milite tuta.
Virgo sic fortis Domini potenti
Dextera, coeli cumulata donis,
A piis longe famulis repellit
Daemonis ictus.
Te per aeternos veneremur annos
Trinitas, summo celebranda plausu,
Te fide mentes, resonoque linguae
Carmine laudent. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Ad Benedictus Antiphona:

Ad te, o sancta Dei Genitrix, clamavimus, et per te venit Domini auxilium nobis.

Oremus. *Oratio.*

Omnipotens et misericors Deus, qui ad defensionem populi christiani in beatissima Virgine Maria perpetuum auxilium mirabiliter constituisti: concede propitius, ut tali praesidio muniti certantes in vita, victoriam de hoste maligno consequi valeamus in morte. Per Dominum.

Ad Horas, Hymni, et Psalmi ut in Psalterio: sed in fine Hymnorum dicitur: Jesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine.

AD PRIMAM.

Antiphona. Dum esset Rex.

Capit. Regi saeculorum.

In ℟. br. ℣. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Absolationem Capituli. In plateis.

AD TERTIAM.

Antiphona. Laeva ejus.

Capit. Ab initio.

℟. br. Specie tua. * Et pulchritudine tua. Specie.

℣. Intende, prospere procede, et regna. Et pulchritudine.

Gloria Patri. Specie.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in medio ejus, non commovebitur.

AD SEXTAM.

Antiphona. Nigra sum.

Capitulum. *Eccli. 24. b.*

Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei

mei haereditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea.

℟. br. Adjuvabit eam, * Deus vultu suo. Adjuvabit.

℣. Deus in medio ejus, non commovebitur. Deus.

Gloria Patri. Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus, et praeelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

AD NONAM.

Antiphona. Speciosa.

Capitulum. *Eccli. 24. b.*

In platéis sicut cinnnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℟. br. Elegit eam Deus, * Et praeelegit eam. Elegit.

℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. Et praeelegit.

Gloria Patri. Elegit.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis.

Ad Magnificat Antiphona.

Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu; sentiant omnes tuum juvamen, quicumque sanctum tuum implorant auxilium.

Oratio. Omnipotens et. ut supra.

Deinde fit Commem. sequentis, et S. Urbani Papae et Mart.

Labacen.

*Ad augendum in Dioecesi Labacen. Cultum erga Beatissimam Virginem Mariam Rmus. Antonius Aloysius Wolf hodiernus Episcopus Ecclesiae illius ab hac Sancta Sede Apostolica supplicibus notis imploravit extensionem ad sibi comissum Clerum Saecularem, et Regularem Dioecesano Kalendario utentem Officii, et Missae ejusdem Beatissimae Virginis Mariae sub speciali titulo „**Auxilium Christianorum**“ ritu duplici majori persolven. die XXIV. Maji juxta concessionem a s. mem. Pio Papa VII. die 16. Septembris 1816. factam statui Ecclesiastico. Sacra Rituum Congregatio utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX. tributis de spiciali gratia benigne annuit juxta preces Episcopi Oratoris; dummodo Rubricae serventur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.*

Die 18. Decembris 1856.

C. Episcopus Albanen. **Card. Patrizi**

S. R. C. Praef. m. p.

Loco † Sigili. H. Capalti *S. R. C. Secretarius.*

DIE XX. FEBRUARII.

In festo

S. TITI EPISCOPI CONFESS.

(Dies assignata ex IV. Januarii).

Duplex.

Omnia de Communi Confessorum Pontificum, praeter sequentia.

In Hymno, Iste Conféssor, mutatur tertius versus.

Oratio.

Deus, qui beátum Titum, Confessórem tuum atque Pontíficem, apostólicis virtútibus decorásti: ejus meritis, et intercessióne concéde; ut juste, et pie vivéntes in hoc saeculo, ad coeléstem pátriam pervenire mereámur. Per Dóminum.

Lectiones I. Nocturni de Scriptura occurrente, in Quadrag. vero de Communi 1. loco.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Titum Creténsium Episcopum vix Pauli Apóstoli verbo christiánæ fídei Sacraméntis, mysteriísque excúltum, ea sanctitátis luce Ecclésiae tunc vagiénti effulsísse compértum est, ut inter ejúsdem Doctóris Géntium discípulos merúerit cooptári. Adscítus in partem óneris praedicatiónis, ádeo evangelizándi ardore, et fidelitáte Paulo éxtitit charus, ut ipse cum venísset Tróadem propter Evangélium Christi, testátus sit, non habuísse réquiem spirítui suo, eo quod Titum fratrem suum ibi non invénerit. Et paulo post Macedóniam petens, rursus suam in eum charitátem ita éxprimit: Sed qui consolátur húmiles, consolátus est nos Deus in advéntu Titi.

℟. Invéni David.

Lectio V.

Quamobrem Corínthum ab Apóstolo missus, ea sapientia, et lenitáte legatiónis hujus múnere functus est, quae praesértim de Fidélium pietáte eleemósynas colligéndas ad sublevándam Ecclésiae Hebraeórum inópiam spectábat, ut Corínthios non solum in Christi fide continúerit, sed étiam desidérium, fletum, aemulatiónem inter eos pro Paulo, qui illos primus instítuit, excitáverit. Ad effundéndum ínterim inter gentes, linguis, locísque distínctas, divíni verbi semen, plúribus terra maríque itinéribus reléctis, magnáque ánimi firmitáte pro Crucis trophaeo curis laboribúsque exantlátis, una cum duce Paulo Cretae insulam áppulit. Cum porro huic Ecclésiae Episcopus ab ipso Apóstolo deléctus esset, dubitándum non est, quin in eo múnere ita versátus sit, ut, juxta ipsíus

Pauli praeceptóris monita, seípsum praebúerit exémplum bonórum óperum in doctrína, in integritáte, in gravitáte.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio VI.

Itaque tamquam lucérna inter eos, qui in idololatriae et mendaciórum ténebris, véluti in umbra mortis, sedébant, religiónis jubar diffúdit. Tráditur eum inter Dálmatas, ut Crucis vexíllum explicáret, strénue consudásse. Tandem meritórum et diérum plenus, quarto supra nonagésimum anno, prídie Nonas Januárii, pretiósa justórum morte obdormívit in Dómino, et sepúltus est in Ecclésia, ubi ab Apóstolo minister fúerat constitútus. Hujus nomen a sancto Joánne Chrysóstomo et a sancto Hierónymo praecípue commendátum, Martyrológio Románo eádem die inscríptum légitur; verum pro ejus die festo cum Officio et Missa in Cathólico orbe recoléndo ab utróque clero, primam insequéntem diem líberam Summus Póntifex Pius Nonus assignávit.

℟. Iste est, qui.

In III. Nocturno.

Lectiones de Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium, Designávit Dóminus, de Communi Evangelistarum, cum ℟℟. de Communi Conf. Pont.

Festum S. Titi Ep. C. sub ritu duplici minori SS. D. N. Pius IX. Pontifex Maximus recolendum mandavit in universa Ecclesia die prima, quae libera vacasset post pridie Nonas Januarii, servatis Rubricis, quibuscunque in contrarium disponentibus minime obstantibus, die 18. Maji 1854.

DOMINICA

prima mensis Julii.

In festo

Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.

Duplex 2. classis.

Officium fit, ut in Quadragesima ex Proprio pag. 116. recitatur, sed hic cum 9. Lectione et commemoratione Dominicae. Quodsi hac Dominica occurrat Officium aliud aequalis vel altioris ritus, Officium et Missa de pretiosiss. Sanguine fit die proxima, festo 1. vel 2. classis non impedita (cum 8. Lectione divísa, ubi pro nona: Sanguis Christi etc. legi potest), festo vero inferioris ritus, quod hoc casu propria die recitari nequit, secundum Rubricas transferendo. Ex Decreto dato Cajetae 10. Aug. 1849.

DIE I. JUNII.

In festo
S. ANGELAE MERICI VIRGINIS.

Duplex.

Dies assignata ex 31. Maji.

Omnia de Comm. Virg., praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui novum per beatam Angelam sacrarum Virginum collegium in Ecclesia tua florescere voluisti: da nobis, ejus intercessione, angelicis moribus vivere; ut terrenis omnibus abdicatis, gaudiis perfrui mereamur aeternis. Per Dominum.

In I. Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Angela Mericia Decentiani, Veronensis dioecesis oppido ad Lacum Benacum in ditione Veneta, piis orta parentibus, a prima aetate virginitatis lilium, quod perpetuo servare statuerat, sedula sepsit. Ab omni muliebri ornatu abhorrens, egregiam vultus formam, pulchramque caesariem studiose foedavit, ut coelesti dumtaxat animarum Sponso placeret. In ipso autem adolescentiae flore parentibus orbata, austerioris vitae desiderio, in desertum locum aufugere tentavit; sed ab avunculo prohibita, novit praestare domi, quod in solitudine non licuit. Cilicio ac flagellis frequenter usa, carnem nonnisi infirma valetudine, vinum in Nativitatis et Resurrectionis Dominicae tantum celebritate, complures vero dies nihil omnino degustavit. Orationi dedita, brevissimum humi carpebat somnum, Daemonem vero sub lucentis Angeli forma sibi illudere conantem agnovit protinus, et conjecit in fugam. Tandem paternis bonis abdicatis, et habitum ac regulam Tertii Ordinis sancti Francisci amplexa, evangelicam paupertatem virginitatis laudi conjunxit.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

Nullum pietatis officium erga proximos omittens, pauperibus, quidquid sibi ex emendicato victu superesset, largiebatur, libenter ministrabat aegrotis, pluraque cum magna sanctitatis fama peragravit loca, ut vel solatio esset afflictis, vel reis veniam impetraret, vel offensos invicem reconciliaret animos, vel e vitiorum coeno scelestos revocaret. Angelorum pane, quem unice esuriebat, frequentissime refecta, tanta charitatis vi ferebatur in Deum, ut saepius extra sensus raperetur. Sacra Palaestinae loca summa cum religione obivit: quo in itinere et visum, quem ad Cydonias appulsa oras amiserat, eodem regressa recuperavit, et barbarorum captivitatem ac naufragium imminens divinitus evasit. Romam denique firmam Eccle-

siae Petram veneratura, et amplissimae Jubilaei veniae percupida, sedente Clemente septimo, accessit; quam summus Pontifex allocutus, ejusdem sanctimoniam suspexit, et commendavit summopere: nec ab Urbe ipsam abire ante permisit, quam alio coelitus vocatam agnovit.

℟. Dilexisti.

Brixiam itaque, ubi domum ad sanctae Aphrae templum conduxit, reversa, novam ibi virginum Societatem sicut coelesti voce ac visione mandatum sibi fuerat, sub certa disciplina sanctisque vivendi regulis constituit, quam sanctae Ursulae invictae virginum ducis patrocinio ac nomine insignivit: eam vero perennem futuram morti proxima praedixit. Tandem prope septuagenaria, dives meritis evolavit in coelum sexto Kalendas Februarii anni millesimi quingentesimi et quadragesimi. Cujus cadaver per ipsos triginta dies inhumatum flexibile, ac vivo simillimum perseveravit. Demum in sanctae Aphrae templo inter ceteras, quibus illud abundat, Sanctorum Reliquias reposito, plurima ad ejus sepulchrum agi statim coepere miracula: quorum fama late diffusa, non Brixiae modo et Decentiani, sed alibi etiam vulgo coepit nuncupari Beata, ejusque imago aris imponi: imo sanctus ipse Carolus Borromaeus non multis post annis dignam, quae ab Apostolica Sede in sanctarum Virginum album referretur, Brixiae palam asseruit. Cultum vero illi jamdiu a populis exhibitum, et tum locorum Ordinariis probatum, tum pluribus etiam Summorum Pontificum Indultis munitum, Clemens Papa decimus tertius solemni Decreto ratum habuit, ac confirmavit. Eam tandem, novis miraculis rite probatis insignem, Pius Papa septimus, solemni Canonizatione in Vaticana Basilica peracta, die vigesima quarta Maji, anno millesimo octingentesimo septimo, sanctarum virginum Catalogo adscripsit.

℟. Afferentur.

In III. Nocturno.

Lectiones de Homilia in Evangelium, Simile erit regnum coelorum decem virginibus, **de Comm. I. loco.**

Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. Pontifex Maximus perversis conatibus sceleratorum hominum, qui hisce temporibus ad labefactandam Ecclesiam catholicam ac Societatem, nec non ad mulierum praesertim adolescentium mores eo fine pervertendos, ut ex depravata earum mente erroris venenum altius in filiorum animos inseratur, omnem curam impendunt, occurrere volens, ad enixas preces nonnullorum Eminentissimorum Romanae Ecclesiae Cardinalium et plurimorum totius Orbis Antistitum Apostolica Sua Auctoritate edixit, ut deinceps festum S. Angelae Merici V. cum officio et Missa aliquibus locis jam concessis, sub ritu duplici minori ab universa Ecclesia recolatur, ut ejus ope et meritis Dominus foemineum sexus ab omni labe et errore immunem servare, ac hostium depulsis insidiis Ecclesiae suae perpetuam pacem largiri dignetur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Ex Decreto S. R. C. dd. 11. Julii 1861.